image
not
available

H. Mon.
31.

Dominus exaudiet me, cùm clamauero ad eum. Ps. 4. v. 4.

Digitized by Google

<36633547630011

PONDVS SANCTVARII

Quo explorata, leviora oſtenduntur argumenta, quæ continet LIBRA Joannis Caramuelii Lobkowitzii, S.T. Doctoris

PRO

DD. Ciſtertienſium & aliorum omnium Benedictinorum,

RESPECTV

DD. Aroaſienſium, ac reliquorum Canonicorum Regularium præcedentia.

PER

Cornelium Bartholomæi Ordinis Canonicorum Reg. S. Aug. Presbyterum in Abbatia Brugenſi-Eeck-houttana S. T. Profeſſorem.

Iuxta Pondus Sanctuarii. *Num. 3. verſ. 50.*

R

Pondus meum Amor meus:

eo feror quocunque feror. *Aug. l. 13. Conf. c. 9.*

BRVGIS, Apud Lucam Kerchovium, viâ Breydeliâ, ſub ſigno S. Antonii. Anno 1654.

ADMODUM REVERENDO IN CHRISTO PATRI,
AMPLISSIMOQUE DOMINO
D. NICOLAO VAN TROOSTENBERGHE
INSIGNIS ECCLESIÆ
SANCTI BARTHOLOMÆI,
Vulgò de Eeck-hout
ORDINIS CAN. REG. S. AUG.
Abbati-Brugensi meritissimo, &c.

Ec ancipiti, nec diütinâ librâ delibe- randum fuit, cui potissimum opusculum nostrum, dedicandum foret Amplissime Domine, primâ siquidem pensiculatione factâ, altera libræ lanx, *PONDERE SANCTUARII* prægravata, quasi

venerabunda ad Vestram Adm. R. Paternitatem sese inclinavit, quæ contra sex potentes alterius ordinis Abbates, validissimo impetu; sed irrito conatu, arietantes *se murum opposuit pro domo Israel*, Ordine, inquam, Canonico, cujus institutio, *inter cæteras Religiosas est primaria*, ut habet Diploma Sixti IV. datum anno Verbi Incarnati 1483. prout antea decisum fuit in Concilio Aquisgranensi primo, sub Stephano V. & Ludovico I. anno 816. Equidem hujus domus zelus, quasi maturus quidam casti amoris, erga virginem illam, candidam, inquam, Religionem Canonicam, fructus pectus tuum cæterarum virtutum opulentum gazophylacium, divitat & exornat: quam quia *Libra dolosa* violare tentaverat, sequentis Scorpii vindicem caudam promerita erat experiri. Videntur enim inter duodecim illa Zodiaci signa, quodam prodigio tria hæc, *Virgo*, *Libra*, *Scorpius*, hoc ordine esse disposita, ut qui Librâ abuteretur contra *Virginem*, *Scorpium* sentiret *vindicem*.

Ezechielis. 13.

Apud Pen. lib. 3. c. 33. n. 3.

Aliàs IV.

Oseæ 7.

Hoc, inquam, Cœlum minitari videbatur. Sed cum *Astra* tantum *inclinent*, *non necessitent*, adeò ut *Sapiens dominetur Astris*, ab animo vindicandi fuit temperatum; unde & opusculum hoc, non

non *Scorpiacum*, ut olim ſuum Tertullianus, ſed *PONDVS SANCTVARII*, quia ejus gravitas, maximè in Pontificiâ auctoritate ſita eſt, fuit indigitatum. Sicut enim in veteri Lege profana pondera, commenſa eſſe debebant, *PONDERI SANCTVARII*, ſic dictum, quod in Sanctuario aſſervaretur, ut juſta, æqua & legitima cenſerentur: ita placuit D. Libripendis Adverſarii, cujus perſonam veneror, opinionem inſector, argumentorum momenta, in unâ libræ lance poſita, ad monumenta Pontificia in alterâ lance oppoſita, num juſta, æqua, legitima ac præponderãtia ſint, ut is prætendit, explorare & contrarium monſtrare. Quod quidem opuſculum in obſcuro muſeii noſtri angulo, præ verecundiâ non audens prodire in publicum, per aliquot latuit annos. Libri ſiquidem luxuriantis hujus ſæculi, homines & potiſſimum filias ejuſdem ſæculi, videntur imitari; vix enim illæ publicè apparebunt, niſi ſupra modum *compoſitæ & circumornatæ ut ſimilitudo templi*: Ita libri niſi ſingulariter compti ſint, & excellenter perpoliti, niſi cothurnati eleganti procedant greſſu, & *Pulchri ſint in calceamentis ut illa filia Principis*, exſufflantur, & exſibilantur. Nuda enim veri-

Iac. Tirinus in Exod.

Pſal 143.

Can. 7.

tas (quales Gratiæ pinguntur) hodiernis nec ſufficit nec ſatisfacit; ſed ſicut ornatus hodie virum, hodie feminam facit; ſic elegans ſtylus, hodie librum: quo quia nudus libellus noſter, etiamnum lucem videre verecundatur, niſi ſub *Veſtræ R. Paternitatis* umbrâ. Non defuêre tamen (novit eadem *Veſtra Paternitas*) viri & dignitate & eruditione magni, qui exiſtimantes ſufficere ſcriptionem conſimilem eſſe virgini Valentulæ, in quâ plus lacertorum, quam formoſitatis, plus roboris, quam nitoris, inter quos cum honore hîc mihi nominandus Adm. Rev. in Chriſto Pater, Ampliſſimuſq; Dominus, *D. Hugo Beeckmans*, Illuſtris Cyſonii Archimandrita digniſſimus, vir humanitate, modeſtiâ, pietate incomparabilis, pudibundum ad exitum ferè compulerunt, & nuditatem ejus, auctoritatis ſuæ pallio tegere promiſerunt. Quibus fretus, & maximè *Veſtræ R. Paternitatis* favoris

Iob. 3. afflante aurâ, *Videat lucem & ortum ſurgentis auroræ*. Hoc anno primo, poſt millenarium â primâ antiquiſſimæ veſtræ Abbatiæ per *S. Trudonem* Presbyterum Confeſſorem factâ fundatione, ſuperiore anno Iubilæo, per particulare Iubilæum (cujus hoc opuſculum deſcriptionem

habet

habet ad calcem) sub vestris auspiciis, publicâ pompâ concelebratum ad majorem *Dei Opt. Max.* & prænominati S. Confessoris ejus gloriam, cujus te sedulum & exactum imitatorem maximè in eâdem Abbatiâ restaurandâ & ornandâ, quam Sanctus ille primus fundavit, facilè probare possem, nisi scirem id grave esse vestris auribus, quibus nil gravius est, expertus loquor, quam proprias audire laudes; quas tamen posteritati, nobis *tacentibus* Abbatiæ à te reparatæ & exornatæ, *Lapides clamabunt.* Pro quo & aliis similibus præclarè gestis, (quod de *S. P. Augustino* canit Ecclesia) cum eodem S. Præsule, nec-non Fundatore *S. Trudone*, *dissolutâ hujus habitationis domo*, *domum non manufactam acceptura est in Cœlis.* Rev. V. Paternitas, postquam eam diu nobis incolumem servaverit in terris ille qui *Cœlestia simul & terrena moderatur*, sic vovet qui se glorianter scribit & signat

Lucæ 15.

In Off. prop. Can. Reg.

Ejusdem Adm. R. V. Paternitatis

Humillimum & addictissimum famulum

CORNELIUS BARTHOLOMÆI.

Vestro in Querceto, patulæ sub tegmine fagi
Sylvestrem recubās, quam sum meditatus opellā,
Inter Hamadryades, Druidas, Faunos, Satyrosque,
Optime Præsul habe, Quercus vestræque sub umbrâ
Protege, ab invidiæ Criticorum dente canino,
Queîs hodierna scatet sæcli quam ducimus ætas,
Quâ nulla ut Musis magis exculta exstitit unquam;
Sic nulla à Criticis minus unquam libera vixit:
Vt sit opus (mihi crede) pedo quo vestra sinistra
Illa tuo fulget, Diris mastigibus istis,
A nostro arcendis fœtu, qui prodit in auram,
Excipe quem gremiis, obstetricanteque dextrâ
Fac lucem videat, gere partes atque patrini:
Perque manus veri cultorum *hinc ambulet, usque*
Extremos Morinos? ultra. Ad Garamantas & Indos,
(Voto absit Nemesis) VERVM dominetur ubique,
Vllibi næve locus falso sit, at exulet orbe,
Pax sit & in terris, quas dudum bella fatigant:
Hic finis nostri voti nostrique Laboris,
Qui licet indignus lectu, ratione sui sit,
Est Mecœnatis nihilominus ore venustus,
Ejus & intuitu, supplebitur undique, quidquid
Parte deesse suâ, Criticorum nasus olebit.

Sic vovebat idem qui supra.

AD LECTOREM.

PAucis te conventum volo, prudens lector. Tractatus hic quinquepartitus ἀπολογία eſt, conſcripta in defenſionem Ord. Canonico-Auguſtiniani, contra quem in librâ Caramueliâ quædam ſcripta ſunt, occaſione præcedentiæ controverſæ quæ non erant ſcribenda. Titulus ejus *PONDVS SANCTVARII*, cujus rationem dedi in Epiſtolâ dedicatoriâ. In primâ parte adſtruitur & defenditur ordinis præfati ſpecifica unitas. In ſecundâ oſtenditur ejuſdem identitas inter Canonicos Auguſtinianos Lateranenſes & Aroaſienſes, & præ aliis ordinibus, antiquitas & dignitas. Quæ duo, Vnitas ſcilicet & Identitas, veluti bina tormenta bellica, demoliuntur oppoſita duo fulcra, inter quæ ſuſpenſa nutat libra, nimirum ejuſdem ordinis in ſe multiplicitatem & in ſuis cætibus diverſitatem, quæ confixit D. ζυγοστάτης & per totam libram valde declamat, credens fortè verum hunc eſſe verſiculum:

Dimidium cauſæ, qui bene clamat, habet.

In tertiâ trutinantur ecthеſes Caramueliæ, & oſtēduntur veridicæ gravitatis minus habere. In quartâ explorantur quædam ſolutiones, quas argumentis noſtrorum adhibuit D. Libripens, & detegitur earum inſufficientia, futilitas, & Sophiſtica infidelitas. In quintâ exhibentur fundamentalia pontificia diplomata integra, quorum fragmenta, ad quæ tanquam ad *PONDVS SANCTVARII* collibrata ſunt momenta Caramueliæ libræ, in prioribus partibus fuerant ponderata. Item juridicæ ſententiæ, & autentica inſtrumenta Canonicorum Auguſtinianorum cauſæ faventia, & tandem ut *Nubila Phœbus* ſequitur feſtiva Man-

tissa exhibens Iubilæi Eechoutani, anno M. D. C. L. in urbe Brugensi sollemnissimè celebrati descriptionem. Habes hic sparsim nonnulla de ordine, antiquitate, dignitate, statu, instituto, unitate, identitate, professione, functione, constitutionibus, obligationibus, regulâ, habitu, locis, gradu, jure, cætibus Canonicorum Augustinianorum, & habitudine eorum ad seculares Canon. & Monachos scitu digna & jucunda. Verum enimverò miraberis fortè in decursu opusculi, quædam in Adversarios prolata quasi diriusculè sonantia, & veluti nonnihil excedentia moderamen inculpatæ titulæ ac modestiæ Religiosæ: spero tamen, mirari desines, si prudenter & patienter pervolueris quartæ partis ultimum caput pag. 431. & seqq. ubi per ἀνακεφαλαίωσιν conglomerata & notata sunt dicteriorum Caramueliorum, sub *fortis Vrbanitatis* sipario latentium ἐπιδείγματα, quæ si in unâ libræ lance, nostra in alterâ collocata ponderaveris, facilè deprehendes ista graviora, nostra leviora. Vale & prudenter Lege, maximè quisquis es Caramueliæ lectione libræ præventus vel opinione.

INDEX RERUM.

Numeri ut plurimùm sunt paragraphici, nisi addatur. p. vel pag. tunc enim sunt paginales.

Cle-

D.

E.

Libræ

Publica

Textus

CORRIGENDA.

IN præfatione ad Lectorem lin. 16. lege *confinxit*. Item fol. vers. l. 11. lege *tutelæ*. p. 28. l. 5. lege *nisi*. p. 36 l. 8. lege *In quo pace &c.* p. 36. l. ult. lege *quot*. p. 66. l. 6. lege *Adversarius*. p. 82. l. 22. lege *accidisse*. p. 84. l. 5. lege *Sarcasmos*. p. 93. lege *prior pars secundæ*. Ibid. l. 14 lege *earum*. p. 94. l. 13. lege *quales*. pag. 97. l. 11. lege *obiter*. p. 103. l. 4. lege *sit* pag. 35. l. 19. lege *effloruisse*. p. 150. l. 1. lege *hinc*. pag. 160. l. 17. lege *anno* 880. pag. 190. l. 5. lege *Gervasianam*. p. 208. l. 15. lege *valere*. p. 307. l. 3. lege *ut*. p. 310. l. 4. lege *ex vi*. p. 360. l. 23. lege *antiquatis*. p. 374. l. 23. lege *proinde non*. p. 401. l. 11. lege *instituto*. pag. 423. lin. 1. lege *regulatam*. Cætera Lector benevole facilè corriget tua humanitas & eruditio.

REVERENDO VIRO DOMINO
D. CORNELIO BARTHOLOMÆI
ABBATIÆ EECHOUTANÆ
Canonico Reg. ſuum Sanctuarii Pondus publico donanti

QVod laude dignum cerno *Sanctuarii*
Prodire *Pondus*! arbitror facundiâ,
Antiſtitumque, *Roma*, quos pridem in tuâ
Cathedrâ aluiſti, robore potens, & *grave*.
Væ *Caramuelis* librâ tibi *Cornelii*
Examinanda ſymbolo: citaberis,
Pœnamque falſi victa fortaſſis lues.
Sic nempe totum *ponderat* negotium
Canonicus ille, tollat ut mundo Fidem,
Quam *Monachus* amplo ſibi præ-aſſumpſit libro.
Eeck-houta ſalve verſibus meritò meis
Laudata nuper. Nempe præſtantes ſtylo,
Ore & rotundos, & decoros moribus,
Et laude cunctâ præditos nutris viros.

Accinebat IOANNES DE LA SALLE
Paſtor in Score.

In

IN LAVDEM LIBRI
CVI TITVLVS:
PONDVS SANCTVARII.

ORdine de nostro meritus quam sis bene, *prodit*
Corneli mundo, quod modo *prodit*, opus.
Non *opus* est multis: titulus cui *Pondus* ab *extra*
Constat, quod multum *ponderis intus* habet.

D. IOSEPHVS BEERBLOCK
Can. Reg. Eeckhoutanus.

CORNELIVS BARTHOLOMÆI
ANAGRAMMA.
CARAMVELIS HONOR OLEBIT.

COrneli quid agis, *Bullarum pondere*, lancis
Caramuelis onus, siccine in alta levas?
Caramuelis honor, procul hinc, & nomen *olebit*,
Inversi ut uestri nominis omen habet.
Sæpius, ut fama est, præbent sua nomina *pondus*
Rebus, & aptantur cælitus illa suis.
Caramuelis honor benè vel malè nunquid *olebit*?
Si benè, collætor; si malè, compatior.

D. PHILIPPVS IENNYN.
Can. Reg. Eeckhoutanus.

CORNELIVS BARTHOLOMÆI

ANAGRAMMA.

Ha! cio jura, bellè monſtro.

Epigramma Leoninum.

POntificum bullâ gravior res pondere nulla,
Vincit, teſte Deo, pondere nixus eo.
Libra refutatur, tuus & tibi jure negatur
Caramuele ſcopus, libra fefellit opus.
Ha ! ſacrum *bellè* contra te *jus* ſine felle
Monſtrat, & inde pio corde, triumphat Io.
Ergo Deum laudo, congratulor & tibi plaudo
Noſtrâ CORNELI verſiculante cheli,
Tam ſacrum *pondus* poterit cognoſcere mundus;
Prælo *jure* ſatur dum liber iſte datur.
Serta parante Deo, fLore LIber ALMe trophæo,
RoMæ honor apparet, ponDere LIbra Caret.

D. ROBERTVS DE LA FONTAINE
Can. Reg. Eeckhoutanus.

FACULTAS SUPERIORIS.

INfrascriptus Abbas Monasterii S. Batholomæi de Eeck-hout Ord. Can. Reg. S. Aug. Brugensis diœcesis, potestatem facit ut tractatus Apologeticus, cui titulus *Pondus Sanctuarii*, compositus à D. Cornelio Bartholomæi, Monasterii nostri filio, & Lectore à viris doctis examinatus & probatus in lucem edatur. Actum hâc 31. Iulii. anno 1649.

NICOLAUS VAN TROOSTENBERGHE
Abbas Brugensis.

APPROBATIO
Censoris Ordinarii.

TRactatus hic Apologeticus cui titulus *Pondus Sanctuarii*, compositus à R. D. Cornelio Bartholomæi Canonico Reg. Eeck-houtano, cum nil contineat contrarium Fidei Orthodoxæ, ac bonis moribus securè in lucem exire poterit. Actum 12 Augusti 1651.

CHRISTIANUS VANDEN BERGHE
Archidiaconus Brugensis, L. C.

SVMMA PRIVILEGII.

PHILIPPVS Dei gratiâ, Hiſpaniarum, Indiarum &c. Rex Catholicus, Archidux Auſtriæ, Brabantiæ &c. Comes Flandriæ &c. Sereniſsimus Belgarum Princeps, diplomate ſuo ſanxit, ne quis Tractatum Apologeticum, cui titulus *Pondus Sanctuarii* compoſitum à R. D. Cornelio Bartholomæi Canonico Reg. Eeck-houtano, ad annos ſex proximos citra Lucæ Kerchovii voluntatem ullo modo imprimat, aut in inferioris Germaniæ ditiones importet, venalemve habeat, qui ſecus faxit, confiſcatione librorum, & pro quolibet exêmplari ſex florenis mulctabitur, ut latiùs patet ex litteris datis Bruxellæ.

Signat.

GOTTIGNIES,



ANDREÆ CATVLLE

PRESBYTERI I. C.

ARCHIDIACONI MAJORIS CANONICI, ET VICARII GENERALIS TORNACENSIS

CENSVRA

De Librâ Rev: Admodum Dñi Joannis Caramuëll S. T. D. Abbatis Ord. Cisterciensis,

SVPER IVRE PRÆCEDENTIÆ

Inter Dominos Canonicos Regulares Sancti Augustini, & Benedictinos ac Cistercienses.

An sit justa, seu legitima, & ad Regulas jurisprudentiæ accommodata?

AB annis plus minus viginti suscitata fuit controversia judicialis super Iure Præcedentiæ inter Dominos Abbates S. Ioannis Ordinis Canonicorum Regularium D. Augustini Oppidi Valencenensis ex una, & S. Salvii Ordinis S. Benedicti juxta Valencenas ex altera partibus. In qua acriter & alacriter utrimque disceptatum est coram supremo Senatu Regio Mechliniensi. Agebat Patronum Abbatis S. Salvii Clarissimus Dominus Iacobus de Villers, Ecclesiæ Tornacēsis Canonicus & Scholasticus doctrinæ non vulgaris, & judicii profundioris Iuriscōsultus: Sed & in Chronologiâ, historiis, scientiis Mathematicis & Philosophicis, nec non abstrusis rerum antiquarum monumentis versatissimus: Ille mihi tanquam alter Achates, sed & meus contubernalis. Dulces nempe simul in eadem domo & mensa cibos quotidie capiebamus, sermones de Themide, Parnasso, & turba musarum novena intermiscendo: id est prandia & cænas, seu convivia more latinorum (ut inquit alibi Cicero) celebrando, non verò symposia more Græcorum.

Etsi igitur magna inter nos necessitudo foret (quæ partibus litigantibus merito suspecta esse potuerit) tamen ego ab amicis ut patrocinium causæ Abbatis S. Ioannis suscipere vellem importunè fui interpellatus. Tantumque abest ut Dominus de Villers me ab eodem patrocinio suscipiendo abstraxerit, ut potiùs quasi nutantem & renitentem impulerit. Erimus inquiebat (juxta vetus dictum) adversarii in lite, in mensa amici. Solebat nihilominus sæpè dicere subridendo, quod ego capellam sterilem mulgendam suscepissem, ipse vero vaccam pinguem & distento ubere fœtam: quia nempè Abbates Benedictini (qui plures ex communi bursa contribuere dicebantur ad litem hanc defendendam) ditiores erant & opulenti, alii autem tenuiorum facultatum. Ideoque majus honorarium ipse à largiflua Benedictinorum manu etiam lite deperdita acciperet, quàm ego sententia in favorem Abbatis S. Ioannis reportata sperare unquam possem.

Hæc autem & similia joci gratia dicebantur, non quod ipse aut ego causas vel lites suscipere pro honorario assequẽdo profiteremur. Longè à bona mente & liberalibus artibus inter clericos similes intentiones eliminandæ sunt. Porrò pro honore Dñi de Villers hoc sine palpo & adulatione verè dixero, quod tanta vi & energia argumentorum non solùm ex promptuario Iuris, sed ex historiarum antiquarum monumentis scripta sua stilo terso & polito efformarit & exornarit, ut nullis vigiliis, nulli labori parceret ac sudori. Ita quod mihi etiam ad hujusmodi argumentorum, ac rationum energiam enervandam, summopere fuit elaborandum: præsertim in illo Iuris motivo, quod ad faciliorem lecturam & distributionem inter judices typis impressum fuit.

Fuit ergo lis illa operosè pro parte Abbatis S. Salvii & Benedictinorum instructa, omnibusque numeris suis (ut dicunt) absoluta. Et nihilominus Iure sic exigente Abbas Sancti Ioannis sententia definitiva, anno Domini 1632, 4. Idus Septembris lata in causa triumphavit, Iudice referendario Amplissimo Nicolao du Fief Canonico Tornacensi, & supremi Senatus Mechliniensis Consiliario Ecclesiastico dignissimo, qui in omnibus causis dirimendis semper fuit habitus bonæ mentis arbiter ac Iudex, sed & in juribus partium enucleandis, quàm maximè diligens & exactus: qualem superior ætas Consiliarios inter Ecclesiasticos in isto Senatu vix parem vidit, & posterior forsan dudum non videbit magis diligentem & eruditum. Quod sine injuria aliorum eruditissimorum virorum qui eandem spartam modo egregiè adornant, dictum sit: & equidem sine fuco, sed verè & sincerè, quod & omnibus notum est. Ab illo enim nihil expectandum, qui longiori vita dignus nuper obiit Sanctioris sive Privati Consilii suæ Majestatis primus Senator ac vice-Præses.

Itaque postquam sententia hæc à tali Referendario lata in rem judicatam transiit, nulla reclamatione seu revisione (ut dicunt Pragmatici) suspensa, sed ex consensu interpretativo partis (contra quam lata fuit) acceptata, & ad effectum deducta. Nescio cur in mentem venit Domino Ioanni Caramuelio S. T. Doctori edere librum (qui intitulatur Libra) ad hanc sententiam oppugnandum, quòd est velut post prandium synapi adferre, aut ———————— *amisso claudere septa bove.*

Nisi forsan hujus scripti finis non sit veritas, sed ostentatio orta à spiritu contradictionis, qualem solent induere pertinaces, qui nunquam superati aut victi videri volunt. Ad quid enim aliud servire potest ille Caramuëll libellus? cum nullum supersit remedium sententiam illam reformandi. Anne forsan etiam ad criminandum vel injuriis lacessendum partis suæ adversæ Patronum? Quod de viro Religioso non præsumendum.

Conviciari

Convitiari (inquit ille) *in æquitate alienum est non à docta solum mente sed humana.* An ergo ad persuadendum omnibus (nam & intelligimus per varias Provincias libellum istum fuisse dispersum) quod causa illa pro parte Abbatis S. Salvii non fuerit satis defensa & instructa? Certe toto cœlo erras Caramuëli, quia inter te & Dominum de Villers, quantum ad praxim & scientiam Iuris attinet, tantum discriminis erat seu tantum ille eminebat

Quantum lenta solent inter viburna cupressi.

Multum profectò ego subtilitati ingenii, & multifario labori in componēdis & edendis diversarum artium opusculis Caramuëlio ante tribuendum esse duxi: mirabarque quasi ex semine Cadmæo tot & tantos libros & libellos tam subito in publicum ab uno viro prodire: licet eruditiores mecū satis adverterent ipsum ingenio suo nimium indulgere & fidere; quod de Ovidio exprobrando dixit Quintilianus. Sed modo visâ hâc Librâ, quæ non sine aliquâ insolentiæ (non ausim dicere dementię) mixtura post latam sententiam de controversia disputat, quid de isto viro æstimare debeam ignoro. Iudicium esto pænes legum Iurisque Authores, non solum modernos, sed & antiquiores: Licurgum, Minoem, Draconem, Solonem, Trismegistum, sive Minam, Numam Pompilium, Zoroastrem, Charondam, Philolaum, Andromodorum, Protagoram, Zaleucum, Hortensium, Trebatium, Labeonem Sulpitium, Sabinum, Menacium, Priscum, Olpium, Marcellum, Iabolenum, Domitium, Volusium, Metianum, Scævolam, Æmilium, Papinianum, Caium, Marcellum, Pomponium, Gordianum, Hermogenem, Africanum, Modestinum, Celsum, Iulium, Paulum, Triphonium, Venatum, Alphenum, Florentium, Calistratum, Venulum, Severum, Severianum, Ulpianum, Theophilum, Doroteum, & alios quotquot à retro sæculis vixerunt, quos interrogare licet, an unquam à suis geniis vel præceptoribus audierint, vel ipsi ore docuerint & scripto reliquerint istam methodum de litibus judicandi, ut etiā lata in Supremo Senatu sententia definitiva, integrum sit parti devictæ rursus in arenam & forum prodire? sive an jura partium sint ante judicis sententiam discutienda, An verò tum demum quando sententia lata est & transiit in rem judicatam? Nullus ut opinor ex tot Iurisconsultis hoc unquam docuit, scripsit vel audivit. Non Ipse Tribonianus cum sedecim aliis ejusdem studii & operæ Iurisconsultis qui Iustiniani Imperatoris mandato digesta compilarunt, & tamen hoc vult & intendit in hac nova sua Iurisprudentia Caramuëlius. Valete ergo modo Digesta, exulate Codices, & Pandectæ Iustiniani, sileant Decreta Gratiani, obmutescant Decretales Papæ Gregorii, taceāt Constitutiones Clementis Papæ V. & extravagantes Ioannis Papæ, & Communes à diversis Pontific bus editæ. Obstupescant Canonistæ: Innocentius in primis, quamvis Canonicæ Censuræ Monarcha, Hostiensis æquitatis supremus Doctor, Abbas Panormitanus Iuris Canonici Antistes verè dictus, Cardinalis Zarabella disertus Canonum explanator, Ioannes Andreæ Rabbi Doctorum Lux, censor normaque morum, Anthonius à Butrio, & Philippus Francus quæstionum Canonicarum magni definitores, Archidiaconus & Cardinalis de Turrecremata summi Decretorum Ecclesiasticorum observatores, Geminianus clarus & dilucidus Canonum Doctor, Felinus sui sæculi inter Iuris Canonici interpretes ornamentum & lumen, Didacus Couvarruvias Iurisconsultorum Hispaniæ lux & decus, Martinus Navarrus Azplicueta divinus consciē-tiarum

tiarum director. Obstupescant inquam & cæteri Iuris Canonici Doctores, interpretes & lectores, titulosque illos honoris jure merito acquisitos exuant, ut unus & solus Caramuëlius iis in posterum exornetur. Similiter à lectionibus, repetitionibus & scriptionibus abstineant civiles Doctores sive *Legistæ*, Accursius Glossarum accuratus Magister, Bartholus Iuris Coryphæus merito appellatus, Baldus legũ vertex omniscius qui nihil ignoravit, neque ullam Iuris quæstionem intactam reliquit, Ludovicus Romanus absolutè Iurisconsultus cognominatus sicut Aristoteles Philosophus, aut Homerus Poëta. Angelus de Aretio & alter Perusinus, ambo verè *Angelici* legum interpretes, Andreas Barbatias Iuris *Lucerna* cognominatus, Iason Iuris Thesaurus, Durandus speculator à nomine suo verè civilis Doctrinæ speculum, Oldradus & Paulus à Castro Consultantium in Iure tuta oracula, Philippus Decius eloquens controversiarum Civilium explorator, Ancharamus doctrinæ legalis firmamentum, Alexander ab Imola vir impubes Themidis lauro dignus, Renerus Forolivienfis legalis apex, Iuris venerabile lumen, Aymo Cravetta litigantium certa Cynosura, Azo inter Summistas princeps, Ioannes Faber vas Iuris legumque jubar, Andreas Alciatus inter Iuris interpretes disertissimus; & inter disertissimos Iurisconsultissimus, Ioannes Calderinus magnæ scientiæ & majoris sanctitatis Doctor, Budæus, Boerius, Chassanæus, Tiraquellus, Argentræus, innumerique alii, tum juris scripti, tum consuetudinarii exacti observatores, Sorinus senior ac junior, Surdus, Præses Everardus, Bertozolius, Wamesius, Menochius, & quotquot, sunt alii fideles & eruditi Consiliorum, Controversiarum, & Decisionum Iuris Doctores.

Ecce enim prodiit nouus Legislator & Doctor instar omnium Caramuëlius, qui novam litium instruendarum methodum adinvenit: qui & novo stilo ad syllogisticam Dialectices formam composito & accomodato scripta omnia Iuris, tum theoricæ, tum practicæ reduci debere contendit. Improbat autem rationes Iuris proponi simplici illo modo, quo hactenus ut plurimum, tum Canonistæ tum Legistæ in foro, Iudiciis, & Scholis confidenter & ingenuè usi sunt. Et ne videar fucum obtrudere, appello ipsius verba fol. 232. num. 271. Objectione prima, ubi hæc novella suæ Iuris scientiæ documenta proponit. Nempè non satis fuit illi novam Dialecticam (nescio an ab Aristotele an ab Academicis probandam) composuisse, nisi & novam traderet Iurisprudentiam, ipse professione Theologus, in Iure nescio an adeò excellens, an praxeos gnarus & expertus. De quibus semi-Iurisperitis disertè & verè dixit Præses Everardus Conf. 9. num. 25. sive finali: Periculosius est habere modicam peritiam Iuris, quam nullam: quia modica peritia ducit in errorem, sed prorsus inexpertus sapit alios consulendo. Ita quoque Angelus Aretinus ad constituta Iustiniani in proœmio notabiliter docet: *Nullum opus alicui committendum esse, nisi totius artis sit peritus, non partis tantum: cumque agitur de hac quæstione, an vulnus sit mortale, non esse adhibendum medicum qui sit tantum Chirurgicus; sed qui sit totius Medicinæ expertus, tam practicæ quam speculativæ.*

Forsitan hic fallor, quia dicunt Caramuëlium prodigiosi ingenii virum omnes artes, omnesque scientias etiam majores & altiores quàm perfectissimè scire. Quod & de se satis expressè profitetur in sua *Libra* fol. 231. num. 226. nam & in omnibus artibus & disciplinis facilè est illi libros componere, & ea quæ sunt hujus vel illius artis tradere: sed utinam ex arte & non nimium præcipitanter. Non ita Bartholus noster qui ea quæ sunt artis etiam ex arte scribit & in unica lege explicanda (videlicet illa

quæ

quæ incipit: De ætate 43. lib. 4. Digestorum tit. de minoribus) quinque annos consumpsisse fertur. Expedit certè ut libri in publicum edendi serio revideantur

——————— *nonumq; premantur in annum.*

Potiùs quàm ita propere publicentur: cum & per rerum experientiam videamus ea citò perire quæ citò nascuntur, instar istorum animalium, quæ uno die nata, altero pereunt. Quod idipsum egregiè declaravit Euripedes (referente Valerio cap. 8. lib. 3.) Philosophus & Tragicus, qui cum irrideretur ab Alcestide Poëta, quod toto triduo non ultra tres versus improbo labore contexere potuisset, & ipse Alcestis centum scripsisse gloriaretur; respondit inter utriusque versus hoc interesse, quòd centum Alcestidis, triduo nati, triduo peribunt; At sua Carmina longo tempore elaborata longo etiam ævo perduratura. Optima est circa hæc ratio quàm Plinius se usitatum esse refert lib. 7. Nullum, inquit, emendandi genus omitto. Ac primùm quæ scripsi mecum ipse pertracto: deinde duobus aut tribus lego: mox trado aliis annotanda; notasque horum si dubito, cum uno rursus, aut altero pensito; novissimè pluribus recito. Macte Plini hi gradus ad limam sunt, hi ad librorum tuorum immortalitatem. Utinam scriptores hujus sæculi imitentur. Nihilominus fateri oportet opera Caramuëlii quæ sunt professionis, non adeò usque cruda & impolita esse ex quibus etiam potest cognosci ipsum esse multifariæ lectionis & laboris indefessi. Duo quidem sunt opera extra limites suæ professionis ab ipso edita in materiâ Iurisprudentiæ vel politico-juridica, quæ ego vidi. Unum sub titulo Philippi Prudentis, in quo laudanda est ejus opera, vel exinde quòd Regis Catholici causam contra notorium Regni usurpatorem non sine optimo zelo tuetur: Sed qui poterit tueri propositiones seu politico-juridicas, seu absolutè Iuris in isto tractatu, hinc inde sparsas: ô video. Inter quas sunt illæ: REGNUM EST DUPLEX, NEMPE TEMPORALE ET ECCLESIASTICUM: HOC DIVIDITUR IN PONTIFICIUM ET MONACHALE. Cujusmodi nova documenta cum protheorematibus aliquot sequentibus tradita lib. 1. art. 3. fol. 103. si Regnum in proprio suo significato capiatur, quis à civilis doctrinæ perito prodire judicabit? Alia propositio subjicitur libr. 2. art 3. fol. 131. quæ est talis: IN IURE NATURÆ CONTRA NEMINEM PRÆSCRIBITUR. Ubi notandum est Caramuëlium non agere de jure illo naturali simplicis notitiæ quod in cordibus nostris scriptum est, ut inquit D. Paulus Romanor. 2. de quo etiam differit eleganter Cicero lib. 2. de inventione cap. 5. rursusque lib. 1. de legibus, & lib. 3. officiorum ibique docet jus istud naturæ esse immutabile. Sed agit de Iure naturali, quod ex notitiâ compositâ nempè ratiocinatione cōmodorum & societatis humanæ defluit seu introductum est. Quale jus vicissitudini est obnoxium, & pro diversis personarum, rerum, temporumq; considerationibus aliter atque aliter habetur accommodaturque. Quòd & jus gentium largo modo potest appellari. Quòd autem mutationi est subjectum experientia docet in libertate hominis, quæ per servitutem mutatur & in Iure sanguinis, cujus effectum lex & Princeps tollere potest: licet jura sanguinis à jure naturali profluere compertum sit. Quòd notat Tuscus, verbo IUS NATURALE, Conclusione 529. Videmus item in successionibus (qualis est casus Caramuëlii) jus naturale per constitutiones civiles immutari & alterari. Nam feminæ secundum naturā æqualiter ad successiones cum Masculis admittuntur: sed aliter civili jure cautum est, ut à

 plerisque

plerisque succeſſionibus bonorum præſertim feudalium excludantur. Idem evenit in portione legitimâ filiis jure naturæ debitâ, ut quandoque major, quandoque minor, juxta jus cujuſque Regionis aut civitatis municipale conſtituatur. Ita diſertè Lapus allegatione 102. quæ incipit: IN CIVITATE FLORENTIÆ num 11. & ſequentibus, ubi & tradit jus naturale ſemel mutatum ſemper manere mutationi obnoxium, unde conſequenter inferre licet IN IVRE NATVRÆ PRÆSCRIBI POSSE.

Alia propoſitio reperitur diſputatione 1. concluſione 2. artic. 7. lib. 3. fol. 205. Alphonſus & reliqui Luſitanorum Reges qua creantur, eliguntur & confirmantur à ſummo Pontifice non ſunt Reges temporaliter ſed ſpiritualiter, & tamen alibi lib. 2. artic. 3. fol. 190. ſibi ipſi omnino contrarius aſſerit: REGIAM DIGNITATEM NON ESSE ECCLESIASTICAM SED CIVILEM ET MERE TEMPORALEM.

Item alia propoſitio præcedenti non multum abſimilis traditur eadem diſputa. 1. artic. 7. concluſ. 31. fol. 207. LVSITANIA EST FEVDVM SPIRITVALE: IDEO FEVDATARII TENENTUR SANCTÆ SEDI APOSTOLICÆ PRÆSTARE OBSEQVIA SPIRITVALIA. Cujuſmodi illatio non eſt Dialectica vel ſaltem legalis ſed verè ridicula. Quaſi verò hoc eſſet ſpeciale Luſitanis, & non æquè omnes Catholici ſint ad obſequia ſpiritualia erga ſanctam Sedem præſtanda obligati. Quod ſi Luſitania non eſſet feudum à ſancta Sede dependens, an inferre liceret ipſos ad ejuſmodi obſequia præſtanda non obligari? Deinde neque ſcriptura prophana neque ſacra docuit unquam titulum Regis eſſe ſpiritualem. Etenim Deus Opt. Max. duas inſtituit Dignitates ſicut duo luminaria magna in firmamento cœli: Sacerdotium nempè & Regnum: quorum & nomina & officia voluit eſſe diſtincta: ita ut in Sacerdotio nihil non ſit propriè ſpirituale: in Regno totum munus eſt temporale juxta textũ in c. ſollicitæ benignitatis tit. de majorit. & obedient. qualis diſtinctio etiam à Chriſto Dño notatur Matt. cap. 22. ibi: Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo. Intelligo tamen hanc doctrinam, ſalvâ ſemper ſuperioritate in habitu, quæ Papæ competere dignoſcitur. Prætereà non omne quod à Papa conceditur vel confirmatur eſt purè ſpirituale, ſed dependenter poteſt eſſe temporale & profanum. Non ignoro inter Doctores & Canoniſtas controverti, an perſona Regia ſit Eccleſiaſtica, aliis affirmantibus, aliis negantibus, aliis mediam viam tenentibus, nempè partim eſſe ſæcularẽ ob munus ſæculare, partim Eccleſiaſticum quia Reges ſacrantur, & unctione ſpirituali perfunduntur. Sed hæc ratio & quæſtio ad Regnum cujus officium eſt mere civile & politicum non poteſt applicari.

Alia item propoſitio ſuperiori quaſi ex diametro repugnans continetur diſputat. 3. art. 5. lib. 5. fol. 267. Quod hujus cauſæ (ſcilicet de contentioſa Regni Portugalliæ ſucceſsione) cognitio ſive ſententia ſummo Pontifici non competebat. Nihilominus ſi Regnum Portugalliæ eſt feudum ſanctæ Sedis Apoſtolicæ, & tunc erat quæſtio de feudi ſucceſſione, quid ni juxta indubitatas & vulgatas juris feudalis regulas ad Pontificem tanquam feudi Dominium ſupremum & directum hæc cognitio pertineret, ſtante præſertim hac Caramuelli opinione? *QVOD LVSITANIA SIT FEVDVM SPIRITVALE.*

Denique alia propoſitio traditur eadem diſput. 3. object. 5, lib. 5. fol. 248 nempè Portugalenſes ibi novum Regem eligere poſſe ſub quibuſcumque conditionibus. Quod & ſi ibi intelligatur deficientibus filiis vel affinibus qui poſsint jure ſanguinis vel hæreditatis

ditatis Regno succedere nihilominus talis doctrina concedi non debuit: quia Regnum Portugalliæ est pars Regni Castellæ seu à Regno Castellæ dependet ab anno 1094. ut ex ipsismet Caramuelli documentis, & historicis enarrationibus lib. 2. hujus tractatus elicitur. Quare deficientibus filiis, consanguineis, & affinibus Regnum revertitur ad jus suum primævum seu secundum leges Regni Castellæ regulatur. Sicuti si quidpiam legibus Regni Lusitaniæ decisum non reperitur, ad leges Hispaniæ recurrendum est. Ergo Portugalenses tale jus electionis quale hic proponitur non habent; & si qui fuerint aliquando sic à populo electi, censendi sunt illegitimi & intrusi, quia jus eligendi competit Regnis liberis dumtaxat, quæ ab alio non dependent: qualia sunt Regna Arragoniæ & Navarræ. De cujusmodi Regnis liberis, seu de populo superiorem non recognoscente loquuntur Baldus & alii Doctores hic per Caramuelium citati, sic nominatim Tiraquellus de primogen. quæstione 17. opinione 9. & rursus opinione 2. & 3. Nam si Regnum non est liberum & ab alio dependet, tunc electio Regis spectat ad Superiorem qui gratificari potest. Baldus in proemio decretalium: versic. Rex potest determinare, textus expressus in §. sed & quod principi placuerit institution. lib. 1. tit. de jure naturali. Si verò Regnum est liberum, tunc demum deficientibus cognatis, agnatis, & affinibus Magnates & populus in jus electionis succedunt loco superioris sive locum Principis obtinent, ut patet ex lege 2. lib. 1. Digesto. tit. de origine juris & c. 2. Codicis lib. 8. tit. de adoptionibus. Has omnes ferè notas mihi suggessit D. Anthonius Desuectes Iuris Doctor, & in ea facultate excellens, qui etiam in eàdem sententiâ mecum est, quod in hunc scopulum ferè semper impingit Caramuelius ut sectetur regulas juris communis & ad fallentias seu exceptiones à regula non attendat. Quas tamen qui ignorat Iurisconsulti titulum non meretur.

Plures aliæ reperiuntur in isto tractatu propositiones Iuris & quidem sibi adversantes, quas si Caramuelius in scholis tueri, ac profiteri vellet, profectò à legum studiosis exsibilaretur & exploderetur. Nempè sicut periculosæ plenum opus aleæ & saltatori inimico inexperto velle agere digladiatorem in campo Martio seu in aliena palestra: ita Doctori Theologo vix unquam bene succedit velle agere jurisconsultum juxta vetus adagium: NE SUTOR VLTRA CREPIDAM. Alterum in jure opus est hæc *Libra*, quæ risum potiùs meretur quàm plausum, ubi non nisi verborum tumor, & vanissimus Ecthesium & protheorematum Dialecticorum strepitus & clangor, sparsis hinc inde venenatis contumeliarum & irrisionum globulis in eos qui opinioni suæ adversantur ubi nequidem Navarro tantæ auctoritatis & eruditionis viro parcit, sed eum taxat quod Lateranensium antiquitatem propugnarit, perinde ac si arte rustica leonem malo aut pyrum leoni infereret, Ecce quomodo Caramuelius nimium præsumptuosè loqui audet de eo qui fuit in superiori sæculo juris Canonici vertex, cujus obitum Curia Romana maximè deploravit: cum & Pio V. Gregorio XIII. & Sixto V. Pontificibus maximis ob doctrinæ excellentiam, vitæ sanctitatem, morum suavitatem carus omnibusque nationibus gratus esset: à Ioanne III. Lusitaniæ Rege, & Carolo V. Imperatore etiam in magno honore & pretio habitus. Nihil itaque mirum si & in Patronum causæ Abbatis S. Ioannis insurgere audet, quando videlicet argumenta in Iuris responso comprehensa (quod susceperit oppugnandum) enervare nequit. De quo tamen sic ipse loquitur in Libra sua pagina 6. num. 4. *Anno MDCXXXI. Andreas Catullegenta S. Salvi is ordinis S. Benedicti Abbatem, pro Abbate S. Ioannis ordinis Canonicorum Regularium:*

viam S. Augustini motivum juris edidit tanta eruditione plenum ut mireris virum sæcularem tot ad hanc Regularem materiam rationum momenta congerere potuisse. Nescio quomodo hæc cohæreant cum iis quæ postea in sua Libra effutit ipsum passim ignorantiæ inculpando: alibi nempè quoad methodum argumentandi nequidē pueris in scholis æquiparando: alibi affirmando non esse magnum Dialecticum: alibi prorsus ignarum Dialectices: sunt ejus verba fol. 285. num. 330. Nihilominus vulgaris opinio est eos qui in cursu Philosophico Academiæ Lovaniensis, & in prima ut dicunt linea inter centum & amplius artium magistros seu promotos, eos inquam logices & Physices prorsus ignaros habendos non esse: qualis ego fui, qui & novo ab Academiâ istâ condita exemplo primus Dialecticam, Physicam, Metaphysicam & Philosophiam universam thesibus impressis publicè propugnavi. Fateor equidem me posteà ab ancillaribus istis artibus in Iuris-prudentiam Dominam, studium & affectum meum transtulisse, sed tamen Philosophiam ac liberales artes non adeò usque despexi quin aliquando bonas horas adhuc in earum studio recolendo consumpserim.

Existimo igitur me in Dialecticis etiamnum aliquid scire, & à memoria nostra nondum excidisse: quid sint voces categorematicæ, quid syncategorematicæ, quid mixtæ, quid sit arbor Porphyriana, quid sit species subjicibilis, quid prædicabilis: quid sit essendi consequentia, quid sit modus prioris, vel posterioris, quid sit modus simul: quid sit ascensus & descensus Logicus: quæ sint principia materialia: quę formalia syllogismi, quorum illa in terminis & enuntiationibus, hæc in modo & figura consistunt; quæ & quot sint figuræ syllogisticæ: quot & quæ sint species argumentationis non syllogisticæ, nempè Inductio & Enthymema, ac qualiter Enthymema ad Syllogismum reducere oporteat: Quid sit Reductio ostensiva, quid Reductio per impossibile, quid reductio per expositionem: quid sit Syllogismus demonstrativus, quid Dialecticus sive probabilis: quid sint argumentationes Topicæ & in quo bonitas consequentiarum Topicarum fundetur: qui & quales sint loci Dialectici Syllogistici, ex quibus probationes quæstionum depromuntur: Quid è converso sint loci (sive ut cum Aristotele loquar) modi Sophistici quibus impostores sub veritatis larva adulterinum fœtum pro genuino obtrudunt; qui & quot sint fines vel metæ Sophistarum: seu quid redargutio, falsum, inopinabile, sollæcismus, nugatio: quid fallaciæ propter dictionem cujusmodi sunt fallaciæ figuræ dictionis, accentus, compositionis, divisionis, Amphibologiæ, & æquivocationis: quid item fallaciæ extra dictionem, nempè accidentis, consequentis, ignorantiæ, elenchi, petionis principii, &c. Inter quos modos argumentandi Sophisticos meo judicio vix absurdior & ineptior est, quàm petitio principii & circulus vitiosus: Ideoque Caramuelius nostrum Iuris responsum sæpiùs redarguit, quasi in hisce cespitet pueriliter argumentando & principium petendo quòd illi facilè est dicere, sed non probat concludenter: Atque ita in hac redargutione sequitur morem Sophistarum, qui contentiosissimę vanitati amicior est quàm pacatissimæ veritati non aliud intendunt, quàm ut apparenter persuadeant sese alios in sinuosis Dialecticæ gyris atque mæandris tanquam ad Siræneos scopulos detinere comprehensos, & quemadmodum observat Aulus Gellius noctium Atticarum lib. 6. c. 9. eo nempè fine ut ipsi apud populum rudem & imperitum omnibus sapientiores videantur & in pretio habeantur. Si tamen ex adverso Ectheses & argumentationes Caramuelli (quas ipse nobis pro demōstrativis obtrudit) adamussim examinare Quis voluerit,

rit, profectò plures reperiet Sophisticas in quibus continentur passim fallaciæ propter dictionem & extra dictionem præsertim nugationes, petitiones principii & circuli vitiosi. Cujusmodi aliquot tales annotavit hic Dominus Bartholomæi, & vicissim nostras argumentationes à Caramuelio taxatas & damnatas à simili vitio vindicavit. Ecce quomodo malè Dialecticæ leges sequitur magnus ille Dialecticus: quomodo etiam scientiâ illâ abutitur. Non ideo tamen damnandam esse Dialecticam aut fugiendam ego censeo, quod plerique eâ ad captiones seu strophos sophisticos abutantur, cùm nihil ita sit bonum, quin pravi in fines & sensus perversos etiam Sacram Scripturam detorquere conantur, ut notat S. Augustinus contra Cresconium Grammaticum lib. 1. de hac certè Dialectica eleganter disserendo: cujus efficaciam, stimulos, & nervos etiam valere ait ad confundendos hæreticos, qui in suis erroribus stabiliendis plurimum Dialecticâ subtilitate utuntur, & argumentationum rivos de Aristotelis fontibus mutuantur, potiùs *Catenulas Dialecticas quam rete Apostolicũ quærentes.* Quod & comprobat D. Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos. Non rectè itaque Dialecticen tanquam transversum agentẽ Epicurus damnavit, ac contempsit, ideoq; in fœdos errores lapsus est teste Lactantio lib. 1. divinarum institutio. ubi hosce errores enumerat ab inscitiâ disciplinarum liberalium promanantes. Mihi quidem insanire videntur Epicurȩi, quos imperitiȩ liberalium artium non solum non pudebat, verùm etiam ea delectabat, hâc rationis umbrâ, quod artes illæ atque adeo illarum dux & directrix Dialectica necesse habent aperire insidias & ostendere quàm variè quis vitiis aut laqueis deceptionum possit irritiri: ipsa enim ars seu facultas in eo non est culpanda sed perversitas & improbitas eorum qui tali facultate malè utuntur, condemnanda est ut notant D. Augustinus lib. 2. de doctrina Christiana c. 36. & Rodolphus Agricola lib. 2. de invertione: *Aperienda quippe sunt ut caveantur mala, & nemo artifex tantum remedia novit.* Quare nolim ut Caramuelius vel alius quispiam me existimet esse de schola Epicuri, quasi scientiam Dialectices ego damnare velim, imo agnosco, cum antiquis Philosophis, Anaxagora, Socrate, Platone, Zenone, Chrysippo, Aristotele, Scævola, Cicerone, Boëtio, aliisque, Dialecticam cæteris artibus perficiendis & formandis esse admodum utilem in distinguendo, dividendo, eliciendo, implicando, separando & resolvendo.

Ampliùs est quod Dialecticæ peritia Iureconsultis lucem quoque magnam adferat ad hæc nempè, ut apud eos non sint omnia actorum similia, teste Crasso apud Ciceronem: quin etiam ad sacras scripturas exactiùs intelligendas maximè conducit, ita docente D. Augustino lib. 2. de doctrina Christiana cap. 31 & 37. *Disputationis*, inquit, *Disciplina ad omnia genera quæstionum quæ in litteris sacris sunt penetranda & dissolvenda plurimum valet.* Sed nota bene Caramueli quod posteà D. Augustinus subjungit: TANTVM IBI CAVENDA EST LIBIDO RIXANDI ET PVERILIS QVÆDAM OSTENTATIO ADVERSARIVM DECIPIENDI. Quod & monet Rupertus abbas Tuitiensis eruditissimus lib. 7. de operibus Spiritus Sancti cap. 13. circa finem. Hujus artis, inquit, utilitas & virtus sola ostenditur in Syllogismis, quorum conclusio plurimum lectorem adjuvat ad veritatem investigandam; Tantum ut absit illi error decipiendi adversarium per sophismata falsarum conclusionum. Non possum hic omittere per modum digressionis quod idem Abbas cap. 10. de ceteris quoque artibus liberalibus disertè tradit, nempè earum usum in sacrâ scripturâ non infructuosum esse. Ingressæ sunt, inquit, septem artes liberales tanquam famulæ in sacrum, & reverendum

reverendum Dominæ suæ Sapientiæ triclinium, & quasi de triviis licentiosis ad districtum & severum verbi Dei Magisterium dispositæ & assidere jussæ sunt. Vagabantur enim priùs per circuitum, lascivæ, garrulæ, & verbosæ puellulæ, nihil operantes sed curiosè agentes solummodo: ubi negotiosæ magis esse videbantur circa creaturam discutiendam cursitantes, ipsum autem Creatorem negligentes, missæ sunt ergo in opus, ut non jam quòd superfluum erat de creatura mundi fabularentur, sed seriò fideliterque quod expediret de Creatore loquerentur, bonumque ad honorem ejus sermonem opere splendido tenentes operarentur, id est ut jam non res verbis, sed verba rebus ornarentur. Quid quæso sublimius, quid eximius de effectu & fine ad quem Dialectica & septem artes liberales institutæ sunt, dici aut excogitari potest? Utinam Philosophi & quotquot sunt earum sectatores, ad hunc finem & scopum colliment, intercedatque hoc modo pulchrum & amicum commercium ut artes illæ, & earum facultates ex Philosophicis puteis deprompta serviant ad veritatem non destruendam sed propugnandam, atque ita fiant instar aquæ vivæ salientis in vitam æternam, quàm Christus Dominus mulieri Samaritanæ propinavit. Sed redeo undè tantillum digressus sum. Quæ ego superiùs dixi de Dialecticæ peritia, à multis annis in Academia Lovaniensi acquisita, nolim sic accipi quasi ad ostentationem vel commendationem propriam, ea aliàs satis nota hic evulgaverim: quamquam commendatio sui siue laus in ore proprio non semper fœtida est. Cum quædam sit necessaria, quædam utilis, quædam voluntaria. Necessaria permittitur utpotè ad sui defensionem juxta lib. 7. Codicis lib. 12. tit. de proximis sacrorum scriniorum. Utilis similiter est licita c. tenere debet distinct. 31. & ibi Glossa lib. 7, si in aliam Digestorum lib. 1. tit. 16. de officio Proconsulis. Imo neque voluntaria à Iure reprobata est quando est notoria, exemplo Iustiniani Imperatoris, qui in proemio institutionum & Digestorum gloriatur sese feliciter ex immensis veteris prudentiæ voluminibus (quæ referunt fuisse viginti millia cum millibus versuum trecentis) totum corpus juris collegisse, & in novam pulchritudinem redegisse providentià nempè Sacrosanctæ & Individuæ Trinitatis, undè (inquit Iustinianus) & mundi totius elementa processerunt & eorum dispositio in orbem terrarum producta est. Scio tamen commendationem sui voluntariam debere esse discretam & moderatam, non ex alto supercilio ortam ad instar Trasonis Plautiniani vel per modum vanitatis & gloriæ inanis, juxta illud Catonis.

Nec te collaudes, nec te culpaveris ipsum, &c.

Neque hîc me taliter commendatum cupio, sed tantùm defensionis jure naturali repono, me non adeò Dialectices ignarum esse, qualem facit Caramuelius: cui non satis fuit istas contumelias leviter effutire, sed alibi aliis injuriis adhuc onerat: non sum equidem Alexandro sublimior, qui nefas putem oppugnari: sed illud fiat rationis momento non convitio. Quemadmodum Caramuelius se facturum protestatur in initio Libræ num. 4. fol. 7. Quod nempè servatâ debitâ reverentià causam hanc examinabit: sed nihil minùs. Non etiam intelligo cur miretur virum sæcularem (ut ipse loquitur) in hac regulari materià ita scribere & rationum momenta congerere potuisse. Non enim ego sum vir secularis nec tunc eram cùm scripsi, sed Dei gratia Clericus, Presbiter Ecclesiæ Cathedralis Canonicus, Curiæ spiritualis Tornacensis Officialis seu Iudex ordinarius, ad quem spectat de omnibus Iuris Ecclesiastici quæstionibus prælertim.

tim super Iure præcedentiæ, inter Ecclesiasticos seu seculares, seu regulares cognoscere & dijudicare, etiam ex dispositione concilii Tridentini sess. 25. c. 13. de Regularibus. Non enim quia personæ Regulares, ideò solæ sapiunt in materiâ Regulari: nominatim illa quæ forum judiciale concernit. Sed potiùs Episcopi & eorum Officiales de rebus & negotiis Regularium dijudicant & cognoscunt: ideoque non mirum si notitiam omnium quæ ad Regulares spectant habere præsumantur. Obmitte ergo Caramueli vir religiose atque etiamnum ob litteras mihi suspiciende, obmitte hæc talia quæ tuum honorem radunt, aliorum lambunt. Quamquam ego similia scommata contemnere soleo neque ideò dignatus fuissem calamum adhibere, nisi & à Domino Bartholomæi aliisque viris gravioribus per litteras non unas ad id fuissem importunè vehementerque sollicitatus ac quasi coactus. Ad quòd etiam me accendit monitum aureum D. Ambrosii ad Constant. scribentis: Duo, inquit, sunt tibi necessaria, CONSCIENTIA ET FAMA: Conscientia propter Deum, Fama propter Proximum. Quippe quamdiu in hoc rerum humanarum curriculo agimus, non totam orbitam dirigit animus recti conscius, sed & altero Auriga opus est qui famæ tuæ inserviat. Curandum nempè ne quis adversarius te alium publicè faciat sicque conviciis ferociat: ut famam tuam labefactare possit.

Quare si quid non ad gustum Caramueli hîc dictum est aut repositum hoc sibi imputet, qui primus nullâ datâ occasione dentem in scripta nostra acuit, & contumeliosis sagittis impetivit, protestor tamen non ex convicio sed pro tuitione Iustitiæ, ac veritatis me hîc cum Caramuelio disceptare, *Nam error cui non resistitur (ait Felix Papa scribens ad Achatium Constantiensem Episcopum) approbatur, & veritas quæ minime defensatur opprimitur.*

Quamquam mei instituti hîc non est sigillatim denudare & enodare argumenta quę Caramuelius in suâ Librâ contra sententiam suprà jure præcedentiæ latam proponit: multoque minus asserere quòd omnes omnino generaliter Abbates Ordinis Canonicorum Regularium S. Augustini habeant prærogativam præcedendi omnes omnino Abbates S. Benedicti præsertim in hisce provinciis, quæ vocantur consuetudinariæ, ubi multum possessioni & consuetudini tribuitur. Quæ in uno atque altero ordine varia est & diversa: non autem favet generaliter ordini Benedictinorum vel Cisterciensium ut contendit Caramuelius; quandoquidem adhuc nuper Abbas monasterii Cysoniensis Ordinis Canonicorum Regularium S. Augustini Sedi Metropolitanæ B. Mariæ Cameracen. immediatè subjecti, in Tornacensi Diœcesi constituti, Ius præcedentiæ, provisionaliter obtinuerit contra Abbatem Monasterii de Laude Ordinis Cisterciensis juxta oppidum Insulense. An verò Ius præcedentiæ ex vi ordinis & instituti his vel illis competat etiam hîc non inquiro. Relinquo hanc Spartam adornandam Domino Bartholomæi, qui in suo Pondere Sanctuarii solidè & exactè illud expendit. Aliundè etjam mihi negotiis ac curis gravioribus & publicis occupato tempus nimis carum est ut similibus privatis me involvam.

Ergo paucis & generaliter hîc quasi digito demonstrare solum intendo omnia ista Caramueli protheoremata, ectheses, parallelas atque subtiles positiones non nisi in argutiis & sophismatibus consistere; neque ad justitiæ & æquitatis pondus Libram istam esse dispositam; sed (ut ipsemet loquitur & agnoscit parte 3. fol. 105. ac alibi passim) juxta Dialecticæ leges nescio an velit dicere suæ novæ an verò Aristotelicæ, ita

ita ut Dialecticen quasi Dominam Iurisprudentię constituat, cum sit tantùm ejus ancilla seu pedissequa. Atqui si Iurisconsultus foret scire debuerat Iurisprudentiam non secundum logicalia præcepta tractandam esse sed per quæstiones in justitia & æquitate fundandas, ut egregiè deducit, Ancharamus consul. 39. ad quam rem faciunt quoque ea quæ tradit Baldus Conf. 434. in cap. pactum inter locatorem circa finem libr. 1. IN CONTRACTIBVS, AIT, BONÆ FIDEI PLVS VALET ÆQVITAS QVAM NIMIA SVBTILITAS, VEL DIALECTICA ARGVMENTATIO. Viden' Caramueli quomodo Baldus quem sequuntur alii Iurisconsulti, à doctrinâ Canonica & legali nimias subtilitates & argumentationes Dialecticas excludant? nec mirum cum subtilitas & juris æquitas tanquam diversa & opposita censeantur, ex Gloss. In. c. ut constitueretur 50. distinct. ubi subtilitas confunditur cum rigore Iuris per textum in. l. in litteris ꝟ de restitutione spoliatorum. Vbi & Panormitanus in ultimo notabili, cujusmodi Ius subtilè Marcus Tullius Cicero versutum quoque & callidum appellat, hæc enim sunt verba illius in oratione pro Cæcinnâ TVM VOCIFERANTVR EX ÆQVO ET BONO, NON EX CALLIDO VERSVTOQVE IVRE. Et alibi in eadem Oratione CALLIDE VERBIS CONTROVERSIAS DIIVDICAS NON ÆQVITATE. Vndè emanavit Axioma vulgare Iurisconsultorum quòd etiam usurpavit Tullius l. Officiorum 1. SVMMVM IVS SVMMA INIVRIA EST. Sive ut Terentius loquitur in Heauton. summum jus sæpè summa malitia, Columella lib. 1. de re rusticâ cap. 7. SVMMVM IVS, inquit, ANTIQVI SVMMAM PVTABANT CRVCEM. Hincque summo Iure agere sæpè in Cicerone legimus, pro eo quòd est non ex æquo & bono, sive ex æquitate, sed iniquiori quodam jure ac præfracto agere, quod & Budæus notat multisque auctoritatibus probat in adnotationibus prioribus ad libros digestorum. Alii jus istud subtile & summum vocant rigidum aut durum. Plinius lib. Epistolarum 4. ad Vrsum, QVIBVS, inquit, SENTENTIA CÆPIONIS PLACVIT, SENTENTIAM MARCI, VT RIGIDAM DVRAMQVE REPREHENDVNT. Et Terentius in Adelphis. NIMIVM IPSE DVRVS EST PRÆTER ÆQVVM ET BONVM. Ex quo loco videre licet duritiem bono & æquo adversari. Alii jus istud subtile vocant asperũ præfractum & abscissum. Valerius Maximus lib. 6. tit. de Iustitia, cujus hæc sunt verba: SED ALIQVANDO CHARMIDÆ TYRII PRÆFRACTIOR ET ABSCISSIOR IVSTITIA AD VIM ET CRVOREM VSQVE SEDITIOSAS CONCIONES CIVIVM PARAVERAT. Alii Ius istud subtile etiam scrupulosum vocant, ut in L. posthumus. 12. circa principium lib. 28, Digestorum tit. 3. de injusto testamẽto, cujus textus sic habet: LICET ENIM SCRVPVLOSITATE, NIMIAQVE SVBTILITATE TESTAMENTVM RVPTVM ESSE VIDEATVR, &c. Vbi Glossa in verbo *relicta sunt*, eum textum de rigore Iuris explicandum esse docet. Alii vocant apices Iuris, quia nempè scrupulositatem & subtilitatem in apici-

bus

bus Iuris consistentem dicimus esse quidquid bonam fidem non tangit, lib. 61 fide jussor §. quædam lib. 17. Digestorum tit. mandati Baldus in c. 1. vers. Apices ꝟ de Constitutionibus.

Quia verò tale Ius sive summum sive subtile, sive rigidum & durum, sive versutum & callidum, sive quocumque alio nomine nuncupetur, Iuris-prudentiæ nostræ omnino adversum est & oppositum: Ideo ista nova Iuris-scientia, quàm Caramuelius ex argumentatione Syllogistica & Dialectica subtilitate efformandam proponit, non potest evadere notam iniquitatis, quandoquidem certum sit eam neque cum Canonica, neque legali Iuris doctrina convenire, quæ hactenus tam in scholis quàm foro & judiciis usurpata est. Hos Iuris innovatores & transgressores detestatur sacra scriptura Isaiæ cap. 24. ibi terra infecta est ab habitatoribus suis quia transgressi sunt leges, mutaverunt Ius, dissipaverunt fœdus sempiternum. Attamen rursus hic fateri cogar, dialecticam Iuris civilis studiosis non infructuosam esse. Quòd & indicat Quintilianus lib. 12. Oratoriarum institutionum. *Nonne quæstio*, inquit, Iuris omnis aut verborum proprietate, aut æqui disputatione, aut voluntatis conjectura continetur? quorum pars ad rationalem (id est Dialecticam) pars ad moralem tractatum redundat &c. Agnoscit tamen ibidem Quintilianus quod non tam subtiliter concisè, atque minutè in actionibus Iuris utendum est, quàm in disputationibus Logicis, quasi dicat Ius nostrum planè magis, ac rotunde tractandum esse: utpotè in quo prævaleat subtilitati simplicitas, & æquitas. Quod Iuri divino etiam est conforme juxta illud Isaiæ *Prophetæ* cap. 11. IVDICABIT IN IVSTITIA PAVPERES ET ARGVET IN ÆQUITATE PRO MANSVETIS TERRÆ. Nempè sicut aurum adhuc in materia sua rudi existens. v. g. ad pateram conficiendam per manum artificis dolatur, perficitur & elimatur, ita legum rigor, & austeritas judiciorum à beneficio æquitatis perpolitur & exornatur. Non enim ad hoc tendunt Iuris quæstiones ut per subtilitatem argumentorum aliquis capiatur seu involuatur, sed ut æquum ab iniquo, & licitum ab illicito dignoscatur seu ut vera Philosophia à simulata discernatur. Iuxta textum in l. 1. lib. 1. Digestorum tit. de Iustitia & Iure, ita ut æquitas sit temperamentum, quòd ex perfecta & naturali ratione omnia moderatur quemadmodum loquitur Iuris Consultus in l. *Divus* lib. 4. Digestorum tit. de in integrum restitutione. Quem sequitur Couarruvias in c. possessor 2. parte. §. 6. tit. de regulis Iuris. Nec minùs disertè Baldus Cons. 486. lib. 2. Æquitas, inquit, est quasi columna in medio posita non autem angulus vel fautor partialis. Non ergo æquitatem sequitur in sua *Libra* Caramuelius, qui totus est in argutiis Dialecticis, cujus & stilus acer prodit ipsum esse omnino partialem. Quamquam ipse fol. 7. num. 4. *Protestetur sese deposita partium discretione collimaturum in sanctam & puram veritatem nec moraturum Cistercienses nec Aroasienses.* Sunt ipsius verba, sed verba tantùm, quandoquidem nihil minùs præstet quàm quòd ibi protestatur. Personam quippe Cisterciensium omnino induit, & Aroasienses tanquam hostes suos & capitales insectatur, & tamen satis absonum est quempiam in sua aut suorum causa judicem agere velle cum omnibus adeò insita sit philautia seu amor sui, ut neminem tam religiosum, tam modestum, tam attentum, tam oculatum invenias quin in sua causa existimanda atque introspicienda corruptus quadam animi propensione cæcutiat, caliget, lippiat, fluctuet, hebetescat, deliret.

Quare etsi Caramuelius non foret professione & ordine Cisterciensis (in qua qualitate

litate meritò suspectus & partialis haberi debet) tamen ob animosos nimium & indiscretos loquendi modos, contra Aroasienses eorumque Patronos, & defensores apparet ipsum non instar columnæ æquitatis in medio consistere, sed ad latera & angulos iniquitatis deflectere

——— quis enim celaverit ignem
Lumine qui semper proditur ipse suo

Nisi tamen Caramuëlius aliam & specialem æquitatem sibi efformet, quæ (ut inquit ille) habeat nasum cæreum, vel quæ desumitur ex inordinata affectione, & in cerebro cujuslibet efformatur. Qualem sibi nonnulli judices fingunt & sectantur, quando præoccupati passione vel affectu Reo vel Actori favere intendunt. Talis autem æquitas abusiva vocatur, neque in Iure attenditur, sed illa quæ in arte recti & boni sine ulla partium discretione consistit. Quod & docet Baldus Cons. 99. incip. super primo in fine lib. 4. *Debere videlicet nos sequi æquitatem rationi conjunctam, non imaginariam & nostri capitis*. Quorsum enim attinet leges condere si Iudicibus liceat suo arbitrio æquitatem fingere. Æquitas ergo non habet in se pondus ab homine excogitata nisi legibus vel consuetudine sit roborata, & sic æquitas conficta, ut dicit idem Baldus Cons. 4. lib. 1. duplex est æquitas.

Demum inter Dialecticæ subtilitates & Iurisprudentiæ æquitates tantum discriminis est, ut Dialectica à legibus suis nunquam recedat, sed Iurisprudentia ubi est æquitas, legem quodammodo fallit, quod tanquam multum notabile docet Gloss. in authent. ut sine prohibitione. Atque ita Iurisprudentia habet æquitatem præ oculis instar lapidis *Lydii* vel angularis, potiusque à lege ipsa recedit quàm ab æquitate. Aliundè etiam Dialectica & Iurisprudentia differunt non solum in ipsa causa materiali, formali, & finali, sed etiam in verborum usurpatione & significatione. Quod enim Dialectici speciem dicunt, hoc Iuris Consulti vocant genus: & rursus quod illi individuum nominant, hoc à I. C. species appellatur, teste Præside Everardo in suis Topicis loco legali à genere ad speciem. Rursus quod apud I. C. in se est forma, hoc plerumque apud Physicos ut materia consideratur, teste Angelo Aretino ad institutiones tit. de Iustitia & Iure num. 1. sic quoque aliter naturam ac naturæ appellationem considerant Philosophi: aliter Iuris conditores ut tradit Hotomannus ad instituta § Actionum. Non semel enim naturale Ius pro Iure gentium à I. C. & Imperatoribus usurpatur, propterea quod ratione naturali ab ipsis gentibus inductum & receptum est l. cum amplius 85. §. 1. Digestorum lib. 5. tit. de Regulis Iuris. Eleganter Cicero 1. Tusculan. Quæstion. Nec Philosophi vere ad rem adduci possunt cum naturale jus à jure gentiũ haud secreverint: omni in re consensio hominum lex naturæ putanda est.

Deinde Dialectici seu Philosophi semper à definitionibus rerum argumentantur, quemadmodum in sua *Libra* passim facit Caramuelius: Iurisconsulti raro ad definitiones descendunt, tum quia ob innumeras fallentias à regula communi vix ulla perfecta esse potest in jure definitio: tum præsertim quia Iurisprudentia à definito recedit, ut æquitatem individuam sibi comitem amplectatur. Quo sensu communiter intelligitur *Ulpianus* in l. 203. lib. 5. Digestorum tit. de Regulis Iuris, qui tradit omnem definitionem in jure periculosam esse: ex hac nempè ratione quod rarum evenit, ut subverti non

ti non possit: cum & modica facti circumstantia efficiat ut in tali vel tali casu non conveniat neque adaptetur, quemadmodum notat Arius Pinellus I. C. Lusitanus non ignobilis eruditionis in suo tractatu de rescindenda venditione parte 2. lib. 3. cap. 3. Quinimo ne à subtilissimis quidem Dialecticis definitio illa constitui potest, quæ non aliqua ex parte cespitet ac claudicet., ideoque sæpiùs etiam ad descriptiones per accidentia recurrere coguntur quando scilicet non reperiuntur differentiæ ad definitionem essentialem necessariæ ac convenientes, tunc ad genus definiti tot accidentia conjungere solent, quoad usque definito congruant adæquatè, seu cum illo convertantur. Adeo nempè multa in perfecta definitione à Logicis desiderantur. Quemadmodum notat Tiraquellus tom. 1. de Iure primogeniorum quæstione 1. num. 1. monendo ne circa definitionem ingenium suum quispiam excruciet, in quâ nimirum laborandum foret, ut Dialecticorum subtilibus & acutis scrupulis satis fiat. Idem monet Galenus lib. 4. de differentiis pulsuum, nequis se conjiciat in definitiones de quibus nec inter Dialecticos satis convenit. Aulus quoque Gellius Noctium Atticarum lib. 1. cap. 25. tradit Varroni illi Togatorum doctissimo nihil negotii aut curæ fuisse, ut superstitiosè definiret, & legibus rationibusque omnibus definitionum inserviret. Atqui Caramuelius totus est in hujusmodi definitionum superstitionibus, quas tamen à Iustitia & æquitate quàm longissimè exulare debere jam ostendimus. Quod & disertè docet Alciatus Parergorum lib. 1. cap. 31. Cui adstipulatur Couvarruvias in c. peccatum tit. de Regulis Iuris Decretal. lib. 6. part. 2. § 1. tradens in definitionibus Iurisconsultorum non tàm attendi substantiã definiti, quàm id quod ad faciliorem & æquiorem legũ interpretationem conducit: ideoque veteres consultos passim non definitionibus sed descriptionibus uti. Ratio annotatur à Baldo in l. maximum vitium Cod. de liberis præteritis: quia definitio, inquit, essentiam, descriptio verò rei intelligentiam claudit. Hoc enim intendunt I. C. ut rerum qualitates intelligant ad unicuique jus suum tribuendum quid autem ipsa res sit, & in quo consistat ejus essentia non multum solliciti sunt indagare, sed istam indaginem Physicis relinquunt: quod notat luculenter Gloss. in l. 1. circa finem lib. 1. Digestorum tit. 2. de legibus: cui consonant tradita à Præside Everardo in Topicis, loco legali 3. à definitione I. C. inquit, *Non essentias rerum rimantur quod est Physicorum, sed de Iustitia & Iure, & sic de rerum qualitatibus tractant.* Qua in sententia est etiam Socinus Iunior (quem velut Præceptorem suum & magnæ eruditionis virum nunquam satis laudavit Alciatus) in Rubrica de legatis primo num. 54. & sequentibus, ubi egregiè defendit ac tuetur definitiones legati à veteribus I. C. traditas per modum descriptionis & qualis qualis notionis, Mascardus quoque in tractatu de probationibus vol. 1. quæst. 2. num 5. & quæst. 16. num. 14. multum extollit I. C. qui abstinent à definitionibus quæ essentiam rerum demonstrant ac utuntur descriptionibus quæ qualitates magis sapiunt & ostentant. Eleganter & eruditè Angelus Aretinus d. tit. de Iustitiâ & Iure num. 2. Ius nostrum (inquit) fundatur super accidentibus id est casibus emergentibus, ex quibus oritur bonum & æquum, & ex illo jus scriptum: nam Iura ex factis nata sunt, undè & promanarunt decisiones legum quæ sunt propria & proxima materia artis sive scientiæ civilis & legalis tam practicæ quàm speculativæ. Frustra esset ulterius inquirere quid desuper sentiant alii Doctores, quandoquidem universa schola Iurisprudentium in ea opinione constanter sit & quiescat. Solus est Caramuelius professione Theologus (hunc titulum honoris causâ illi dono-
ne-

ne conqueratur de me, sicut & de aliis, qui ipsum æmulationis invidia magnum Dialecticum appellant, sunt ejus verba in suâ Librâ fol.281. num. 226.) Solus, inquam, est Caramuelius qui explosa tum veterum, tum modernorum Iurisprudentum doctrina novam methodũ cognoscendi de Iustitia & Iure per Ectheses, parallelas, protheoremata, positiones & rerum definitiones, per demonstrationes syllogisticas si non etiam Mathematicas introducere intendit. Profectò non illud temeritatis solum sed & magnæ ambitionis & audaciæ est, quod ipse solus contra tot præstantissimos in legali doctrina viros ausus sit tam aperto Marte manum conserere & calamum, quoniã nemo solus satis sapit juxta Aristotelẽ lib. Physicorum 3. cap. 12. NON FACILE, inquit, UNUS SOLUS DISCERNIT Euripides quoq; quẽ decreta Canonica non dedignantur citare in c. honorantur, causa 32. quæst. 2. ita sentit in Phœnicis. VIX UNUS NEMO CUNCTA DESPICIT. Scilicet illud integrum tantummodo censetur esse judicium, quòd multorum sententiis comprobatur c. extra conscientiam 64. dist. & c. Prudentiam de officio delegati & Clement. 1. de sententia excommunicationis. Non ignoro hanc fuisse Ciceronis opinionem, de Oratore lib. 1. *Perfectam autem Iuris civilis haberi posse magis magnam atque uberem, quã difficilem & obscuram si in genera digeratur, deinde eorum genera quasi quædam membra dispartiantur, tum propria cujusque vis definitione declaretur.* Hactenus Cicero. Verùm optimè animadvertit Benuenatus Starcha in tractatibus variis de mercatura tit. de Adjecto summa 1. quæstionis parte 4. Quod si id per occupationes Ciceronis facere licuisset, non ideò jus nostrum faciliùs cognosci, illustriùs reddi, seu in breve compendium redigi rectè potuisse videbatur. Ex hac nempè ratione superiùs allegatâ, quia omnis definitio in jure periculosa est. Item quia plura sunt negotia quàm vocabula: quâ de causâ veteres I. C. non abs re ut plurimum ad quæstiones confugisse videmus: tum denique quia selecti ab Imperatore Iustiniano prudentes viri methodum ac ordinem Iuris tractandi quem cernimus, constituerunt, & tamen eos Ciceronis sententiam non ignorasse credendum est. Sic enim eloquitur Iustinianus lib. 1. Digestorum l. 2. tit. de origine Iuris. HIS LEGIBUS SATIS (nempè 12. tabularum) CÆPIT (UT NATURALITER EVENIRE SOLET) UT INTERPRETATIO DESIDERARET PRUDENTIAM AUTHORITATE NECESSARIAM ESSE DISPUTATIONEM FORI. Quæ communi nomine appellatur Ius civile, deinde subjungit ex isto Iure civili natas & compositas fuisse legis actionis, quarum interpretatio & definitio apud Collegium Pontificum erat. Litigatoribus autem aderant I. C. ad jura partium proponenda & enucleanda ut notat Cicero in Oratore & Topicis. Iurisconsulti autem sive Advocati non aliter telam hanc judiciariam ordiebantur, quàm per quæstiones Iuris teste Cuiario ad leges 12. tabularum, meminitque Macrobius lib. 1. Saturnalium c. 16. & Varro lib. 4. de lingua ubi docent *Quid sit Lege solemniter agere*. Nonne & ad nostram ætatem hæc forma judiciorum perdurat? Nullus itaque fuit in tota retro antiquitate inter Oratores & Iurisconsultos, qui quod Cicero est opinatus, facere attentarit vel cogitarit, tanquam aliquid impossibile inutile & infructuosum. Unde videmus clarissimorum virorum Azonis, Hostiensis, & aliorũ Summas operosè & eruditè confectas prout & posteà methodum Vigelii accuratè elaboratam fuisse: nec tamen huic tantæ rei esse consultum.

Quid multis opus? ipsemet Caramuelius in suo tractatu seu libro qui nuncupatur

tur

tur PHILIPPVS PRVDENS disp. 3. art. 3. circa principium libri 5. hanc doctrinam tanquã veram agnoscendo sic eloquitur: NIHIL PRODEST CHIMERICIS AC FICTITIIS THEORICIS CONFUNDERE PRACTICAM IVRIS. Et tamen lectionis propriæ immemor vix quidquam aliud in suâ Librâ differit vel tractat quam Theoricas & superstitiosas definitiones subtilesque argumentationes, quas ponit in forma Syllogismorum Dialecticorum cum majori & minori propositione, assumpto & subsumpto, ex quibus etiam more suo philosophandi per fas & nefas (nihil illius interest) sibi utiles consequentias trahit, unde nascuntur turpissimi & absurdissimi in jure nostro errores, ita quòd liceat de hujusmodi suis argutiis sophisticis dicere, quod ipse de aliis prædicat fol. 291. num. 336. ABYSSVS ABYSSVM INVOCAT, FALSITAS CONCATENATVR FALSITATE, INEPTIÆ INEPSIIS, ET MENDACIA MENDACIIS. Et quare? Quia nimirum ipse non attendit ad rationis alicujus æquitatem, sed sufficit illi si quali quali modo differat, definiat, ratiocinetur, dividat, concludat, & reperiat alicujus argumenti aut consequentiæ sophisticæ subtilitatem, eamque persesquipedalia verba stilo inflato adumbret, buccis concrepantibus doctrinam suam eventilando. Vnde exprobrat generaliter Iurisconsultis, *etiam Navarro*, quod professi non sunt Dialecticam & rationes suas ad syllogisticam formam non reducant, sed rudi modo proponant, prout suprà annotatum est ex ejus verbis fol. 232. num. 271. An verò non sit Philosophus Et Dialecticus Navarrus (ut plures alios taceam) colligi potest ex suo commentario de finibus humanorum actuum, & ex aliis passim operibus in quibus solidè argumentatur. Sic de ejus Philosophia eloquitur Iulius Roscius: Postquam verò in Religione & humanioribus litteris adolevit, Complutum evolavit tanquam ad mercatum omnium disciplinarum ut Philosophiæ operam daret. Quo toto tempore neque fabulis Poëtarum, neque oratorum pigmentis delibutus, neque Sophistarum tendiculis irretitus quod in singulis purum erat ac solidum quasi apis delibavit. Nam ex Rhetorum scholis tantum arripuit quantum sibi ad scribendum satis esse videretur, & doctrinam è subselliis Philosophorum longè sapientius Platone traduxit. Ecce Navarrus posthabitis eloquentiæ affectatæ pigmentis & Dialecticis tendiculis sive subtilitatibus ad mentem antiquiorum Iurisconsultorum stud a sua sic direxit ut non nisi ad id quod purum erat ac solidum, animum intenderet, in qua puritate & soliditate Philosophiam illam subliniorem id est Iurisprudentiam sine ulla verborum ambitione & Dialectica subtilitate tractavit, quam & maximè illustravit. Cujus rei vaticinium fuit quod die festo S. Luciæ in hanc lucem prodiit ut lucem maximam adferret, non modo Curiæ Romanæ, & cæteris Curiis Spiritualibus, sed & universæ scholæ Canonistarum atque adeo universo orbi terrarum. Longe aliud est studium Caramuell qui Iurisprudentiam non puro & simplici sermone, sed fastuosa argumentorum Dialecticorum subtilitate tractandam esse censet. Quamvis Iurisconsultorum proprium sit non verborum popysmum quærere, sed sermonis puritatem & proprietatem ac rerum soliditatem quod & docet Fabius l. 5. circa finem. Scio equidem Constantii & Constantis Imp. tempore nondum omnino excidisse nitorem atque ornatum Romani sermonis, sed paulò post non elegantia solum verum & puritas quoque linguæ latinę pene fuit extincta passimque putida barbaries recepta, ut videre licet ex multorum recentiorum Imperatorum legibus, quæ ansam præbuerunt Baldo dicendi Imperatores quandoque grosso modo &

f impro-

impropriè loqui: ideoque excuſari poſſunt Iuriſconſulti legumque interpretes, ſi & ipſi non ita tersè ac politè loquuntur; quia curant magis de re, quàm de vocum Cretico nitore, ut alibi loquitur Caramuelius, cum & ipſis permiſſum ſit eodem ſtilo loqui quo lex vel Imperator loquitur, ſive propriè ſive impropriè quod notat Catellianus Cotta vir tamen minimè barbarus in §. ſic itaque colum. 8. lib. inſtitut. tit. de actionibus. Quando & Tullius ipſe latinæ linguæ parens in 1. lib. de legibus ſeſe excuſat. *Quod quoniam in populari ratione omnis ſua verſaretur oratio, populariter loqui ſibi neceſſe erat eidemque non tam propriis nominibus, quam vulgaribus & notioribus utitur.* Vt tradit Boëtius in Commentariis Topicorum ejuſdem Ciceronis. Tradunt & Solonem Athenienſem Legiſlatorem in ſuis legibus pingui ſeu craſſa minerva fuiſſe loquutum. Plato quoque ſcripturus de legibus lib. 1. ita loquitur, NEQVE DE HIS ITA DISPVTAMVS ELEGANTIAM VEL RVDITATEM OBSERVATVRI. Quaſi ſcilicet dicere velit in conſcribendis legibus, elegantiam non admodum curandam eſſe. Galenus autè omnium Medicorum eloquentiſſimus lib. Therapeuticæ 1. ſcribit *Non admodum referre, nihilque ad rei ſcientiam incommodi adferri; ſi quis nomina ſtilo mediocri explicet, dummodo iſtud clare efficiat.* Cui concinit tritum iſtud proverbium ab Aulo Gellio lib. 12. cap. 5. memoratum, ἀμαθέστερον πῶς εἰπὲ, καὶ σαφέστερον, id eſt rudius & indoctius loquere & apertius ſive clarius: de quo multa Eraſmus Chiliade 1. Centuria 1. cap. 39. Proculus autem Iuriſconſultus in l. Inſula circa finem lib. 41. Digeſtorum tit. de acquirendo rerum Dominio, tradit ſeſe non nunquam verbis abuti, qui facilius intelligatur quod & notat Ulpianus in l. nec ſervus. lib. 15. Digeſtorum tit. de peculio hinc vetus dictum: QVI LOQVITVR PLANE LOQVITVR SANE, quod ad hos fines uſurpat Angelus Aretinus ad inſtituta tit. de jure naturali, in additione marginali littera B. Cumque illud alias ſemper obſervandum ſit, certè tum præſertim dum res ſacras quales ſunt leges tractamus: quæ elegantiam affectatam & velut ad numerum compoſitam aſpernantur & abjiciunt ut videre licet apud Lactantium lib. 3. divinarum inſtitutionum cap 1. & rurſus lib. 5. etiam cap. 1.

Non deſunt tamen ex noſtris Iuriſconſultis, quos Minervæ lucerna aurea illuſtravit, id eſt in artibus etiam liberalibus & eloquentia excelluerunt, atque adeo Iuriſprudentiam ſtilo politiori tractarunt. Quales ſunt ſuperioris ævi ſcriptores, Budæus, Alciatus, Caſſanæus, Tiraquellus, Præſes Argentræus, qui non tantum leges ab Imperatore Iuſtiniano digeſtas uſurpant, ſed & illas veteres ſeu quas exactis Regibus à Græcis civitatibus petitas, & poſteà in tabulis eboreis præſcriptas ſanxerunt decemuiri, ut tradit Livius lib. 3. & Dionyſius Halicarnaſſeus lib. 1. quas ſequenti anno ad eaſdem tabulas adjecit Hermodorus Epheſius ex accidenti appellatas leges duodecim tabularum. Ita ut ab ipſo juris arcana hauriant. Imo ad ornandum ſcripta ſua etiam longius eunt, & in Platonis, Ariſtotelis, Charondæ, Zaleuci, taliumque campos legales expatiantur. Addunt & hiſtorias & documenta ſive naturalis ſive civilis doctrinæ ſub involucris fabularum per antiquiores rudiori adhuc & primordiali ſæculo tradita, & ſi quid aliud è Sapientiæ myſteriis reconditum in Parnaſſo & fonte Pegaſæo reperitur. Omnia illa, inquam, ad ſplendorem eloquentiæ tractatibus ſuis judicis immiſcent interſeruntque. Qualia ſcripta Iuriſprudentum Magnus Lipſius Epiſtola 39. Centuriæ 1. ad Belgas admodum probat: *O ſuavem,* inquit, *mixtionem & connubium, ac ſicut lupini per ſe amari aquæ perfuſi dulceſcunt, ſic tetrica illa legum ſcholaſticarum à tali temperie mitigan-*

tur

tur. eandem mistionem & temperiem antea approbaverat Cicero in lib. de perfecto Oratore, Ariſtoteles, inquit, tradidit præcepta plurima diſſerendi, & poſtea qui Dialectici dicuntur ſpinoſiora multa pepererunt. Ergo eum cenſeo qui eloquentiæ laude ducatur. non eſſe earum rerum omnino rudem: ſed quia talia præcepta ſponte ſua ſqualiora ſunt, adhibendus erit in his explicandis quidam orationis nitor. Viden qualiter Cicero inſtructum velit eſſe Oratorem ſuum ſive legiſtam, qui nempè rerum Dialecticarum omnino rudis non ſit, & qui earum ſqualorem nitore orationis noverit temperare? eloquii quippe flumen non in grandioribus & exoticis verbis, ſeu ſententiarum tumore conſiſtit, ſed in orationis rerumque concinna mixtione & ubertate: ita ut ſtilus non affectata ſed naturali pulchritudine exurgat. Quemadmodum picturæ elegantiam non tam colores faciunt, quàm colorum apta mixtura, quâ imagines exprimuntur & quaſi animantur: ſic eloquentiam nõ ſoli verborum ſelectiores flores conſtituunt, ſed facundæ mentis vigor à convenienti dictionis temperatura expreſſus & animatus. Quod & in forma corporis humani (quâ nihil pulchriùs eſt, teſte Auguſtino) videmus evenire ut illa à ſanguinis puritate, humorumque temperie efflorelcat. Quod autem in corpore pulchritudo, id in arte eſt facundia, cujus pariter dignitas & venuſtas à ſtili fluida ſuavitate, admixta ſcientiæ maturitate ſuum accipit incrementũ & ornamentum. Qualè facundæ mentis orationiſque vigorem ac majeſtatem aſſecuti ſunt, jam memorati in jure ſcriptores. Themidis ſimul & Muſarum ocelli, qui licet eloquentiæ ſtuduiſſe videantur, non tamen ſtilum acrem, argutum, & phaleratum unquam affectarunt: multoque minus ſcripta ſua Dialecticis argutiis accomodarunt. Neque alii Iuriſconſulti minus eloquentes veniunt aſpernandi, qui ſimplici & ſcholaſtico more Iuriſprudentiæ quæſtiones ſcripſerunt: cum ex illa loquendi ſimplicitate abſque elegantiarum ornamentis ſuccinctè magis & clarè æquum ab iniquo, verum à falſo diſcernatur; quòd eſt Iuriſprudentiæ finis. Quemadmodum enim Anatomiſtæ, ut corporis humani partes interiores & occultas perſpicacius intueri & examinare poſſint carnem exteriorem ab oſſibus ſeparant, ita iſti legiſtæ ut apertiùs jura & legum ſecreta examinent, omnem ornatum exteriorem à ſuis tractatibus exuunt, nudéq; ac ſimpliciter ſcripta ſua & quæſtiones oculis judicum ac lectorum exponunt.

Non rectè igitur Caramuelius noſtris Iuriſconſultis exprobrat quod ſcripta ſua ad Syllogiſticam formam non componant, quod ſtilum ſuum non exornant verbis nempè ponderatis, tralatiis & faſtuoſis.

——————— *Quæ pulmo animæ prælargus anhelet.*

Qualis eſt ferè tota ipſius in hac Libra ſcriptio vel inde tantùm faſtidioſa, & quæ ſine vigore, ſine calore, ſine ſanguine flacceſſit: ita ut cum omnia dixerit, umbram putes non hominem loqui.

Prudentiùs ac meliùs ſcripſiſſet Caramuelius (quemadmodùm ipſe in Philippo Prudente loco jam citato exprobrat Antonianis) ſi ſimpliciter deduxiſſet juris motiva utilia & efficacia, non vero protheoremata inania ſeu ſophiſticis argumentis turgentia, quæ ſunt inſtar tympani & cymbali tinnientis, neque alio fine ſerviunt quàm ad veritatem & æquitatem obſtruendam, fuiſſque Ciſtercienſibus ac Benedictinis perſuadendum quòd ſententia illa in favorem Abbatis S. Ioannis lata ſit erronea, illegitima, & injuſta: facillimè enim permittimus nobis perſuaderi etiam id quòd falſum eſt dummodo voto ac deſiderio noſtro correſpondeat, & utilitati noſtræ conducat.

Verùm non obſtantibus tot ipſius Caramuelis ſophiſmatibus perſtabit æternum-

que manebit sententia, semper intacta, quæ & sese ipsam tuebitur dissipando proprio splendore nubes quibus pars adversa conatur eam involuere & obscurare. Iustitia & veritas non indigent externis auxiliis apud viros bonæ mentis: sed error, iniquitas, & mendacium quæ carent fundamento, absque subtilitatibus & argutiis, ut plurimum cum violentia & calumnia admixtis subsistere non possunt. Imo nec isto modo diu subsistent. *Tam machæra* (ut inquit ille) *quam stilo opus est, ne dicam mammona iniquitatis sive pecunia & auro* (tu Caramueli nosti si & quantum ex hac tua Libra tibi attraxisti) *ad manum veritati ac justitiæ, exertè inserendum.* Quam notam Tertullianus Marcioni ritè & rectè inurit lib. de præscriptionibus adversus hæreticos cap. 38. istæ nempè sunt machinæ eorum, quibus rationes desunt, ut convicti de errore vel doctrinæ falsitate ad argutias & calumnias sese conferant, si non ad subsannationes & maledicta. Nam is qui veritatem & justitiam tuetur, non multum laborat, sed ex adverso & contra veritatem, cum magno labore & languore trahuntur argumenta. Qui scribit contra veritatem, inquit Baldus cons. 44. lib. 2. volat sine plumis sicut noctua dum hesperus noctem reducit. Qui pigmentis, ait alter, fucat veritatem & adulterat justitiam, quæ præsertim per sententiam clara est & perspicua, quid aliud facit quàm de calcaria ad carbonariam transire? inaniter nempè laborat, neque fluctus dissertationum Decumani labefactare vel movere possunt sententiam quæ constanter stat ut Marpesia cautes. Imo etiamsi ad dissertationes post sententiam deveniri adhuc posset propugnandæ veritatis gratia, tamen eo casu maximè servanda foret modestia ob rei judicatæ, ipsiusque judicis præsertim Regii & supremi auctoritatem & honorem. Quod nullo modo hic facit Caramuelius, sed usque adeò frontem in suis argutiis obduravit, ut sophismata sua Dialectices ponat spem imo fiduciam suam, & quidquid subtiliter arguendo fingit sibi cedendum & credendum existimet. Apage apage argutias & subtilitates Caramueli velle ista larva fucum obtendere Viris à sacra Themide dilectis & electis, ac circa Axiomata seu Philosophica seu Iuridica nimium perspicacibus profectò si non furor dementia est. Non tenetur equidem quispiam post reportatam in lite lauream seu sententiam ampliùs sua Iura in controversiam reducere & refricare. Nec enim instaurari finita rerum judicatarum patitur authoritas, inquit Iustinianus Cod. lib. 7. tit. 52. l. 5. Quia res judicata pro vera habetur ut resolvit Ulpianus in l. 207. tit. de diversis Regulis Iuris antiqui lib. ultimo Digestorum. Eruditè more suo Præses Argentræus. SI, inquit, PRIOR CONTROVERSIA RECRUDESCERE POSSET POST REM IVDICATAM ET COMPLETAM, PESSVM IMUS OMNES, ET NOSTRORUM COMMERCIORUM SECVRITATES ET MAGISTRATVS AC PARLAMENTORUM AVCTORITATES LABEFACTANTUR. Nam Iure sive dominio semel quæsito, nec vendicatio, nec actio, nec ullum aliud remedium superest, quia sententia non ut simplex judicatum accipitur, sed ut titulus qui nulli exceptioni aut oppositioni ampliùs subjicitur propter consensum interpretativum partis contra quàm lata est.

Ecce nihilominus Dominus Bartholomæi non quidem disputationis Iudicialis, sed quasi scholasticæ concertationis gratia tecū Caramueli in arenam descendit, seu ad *Pondus Sanctuarii* omnia tua protheoremata Ecthefes, & logicas subtilitates expendit. Quisquis defecato & non præoccupato ex affectione aliqua judicio, utriusque scripta & argumenta ritè & justè trutinare voluerit, profectò dicet mecū CARMVELIVS SVSPENSVS EST IN STATERA, ET INVENTUS EST MINVS HABENS.

PONDVS SANCTVARII

Imprimatur. *C. vanden Berghe, Archid. Brug. L. C.*

PONDUS SANCTUARII.

PARS PRIMA.

In quâ adstruitur & defenditur Canonici ordinis Sancti Augustini specifica unitas.

CAPUT I.

Occasio & intentio scriptionis, nec-non ratio inscriptionis.

1.

PRæcelsum illud ecclesiæ firmamentum, & eximium Canonici ordinis columen S. Augustinus, non minus verè, quam eleganter, libro de Natura & Gratia, cap 28: *Quædam*, inquit, *nimis acuta videntur quia acutulè sonant, at discussa inveniuntur obtusa*: Quod ipsum quidem, non

inconcinnè accomodari posset, nupero cuidam tractatui, cui titulus non liber in masculino; sed in feminino libra, forte propter infirmas quidem, sed acutulè sonantes, ratiunculas, quibus probare conatur D. Libripens ejus Auctor, Canonicos Regulares Sancti Augustini, præsertim Congregationis quondam Aroasiensis, ut juniores (sic putat) Cistertiensibus Monachis esse postponendos. Quæ si scrupulosè fuerint discussæ & libratæ ad PONDUS SANCTUARII; ad momenta, inquam, sacrosancta & monumenta Pontificiorum diplomatum, in quibus fit mentio ordinis Canonici S. Augustini, non tantum invenientur obtusæ, verum etiam evanescent confusæ. Explorabimus igitur humili hoc & rudi opusculo, num Potifices Maximi, de hoc ordine Canonico ita sentiant, sicuti recentiores quidam scriptores, quorum Coriphæus Libripens Adversarius noster. Forte peracto examine de eo pronuntiari poterit illud Danielis 5: *Appensus es in staterâ & inventus es minus habens.*

2. Porro omissis prolixioribus ambagibus, ut sciatur quid nuperus tractatus ille contineat, conclusa est tota ejus substantia, in hac, quæ eundem claudit, conclusione, quæ talis est;

Stat

Stat igitur omnes Benedictinos (nempe Cluniacenses, Cistertienses, Bursveldenses &c.) Regularibus Canonicis Antiquiores. Adeoque debere in omni consessu, & loco, publicè aut privatim, capitulariter aut particulariter præcedere; Stat adversarios ut contrarium suadeant, adniti improbabilia, nomine primorũ principiorum, & sophismata nomine demonstrationum protrudere. Stat talia ipsos assumpta in suis argumentis præmittere, ut negata aut concessa non urgeant. Stat denique vel extra arenam, illos volitando discurrere, vel in arena semper demonstranda supponere, nunquam negata nequidem verisimiliter probare. Unde necessario convincitur sententia, quæ Dominus Aroasiensibus favet, non falsa modo sed omnino improbabilis.

3. Quam conclusionem bene illatam esse ex traditis in illo tractatu forsan poterunt æstimare, qui in hac materiâ regulari minus versati ignorant, quantum tradita illa distent, à verâ & genuinâ notitiâ ordinis Canonici S. Aug. prout ea elucet ex Pontificiis constitutionibus, diplomatibus, & privilegiis, jure Canonico, Provinciali Romano, libro taxarũ Cameræ Apostolicæ, praxi Apostolicæ Cancellariæ, antiquarum fundationum manu-scriptis Codicibus, sinistrâ

interpretatione non depravatis, nec-non meli-
oribus Historicis scriptoribusque antiquioribus.

4. Quare operæpretium fuerit ne tales falsitate capiantur in examinandâ veritate, cujus amore hæc scribimus, uti PONDERE SANCTVARII sacrarum scilicet auctoritatum potius, quam levibus momentis subtilium, & ideo tenuium rationum intellectus humani per lapsum primi parentis obtenebrati, & in propria caussa communiter cæcutientis.

Iob c. 29. v. 18. 5. Proposueram quidem *in nidulo meo mori*, cum Propheta Iob, quia sæpiusculè canente poëta: *Bene qui latuit, bene vixit*, non qui publicè dixit; nam & ut modernus quidam scribit: vix Deum ipsum publicè loquentem videas, quin plurium aspectum rabidum, & ferales voces ac sibilos sustineat; cum vix hodie sit lector, quin censor & idem sit: ac nemo sit censor, quin se Catonem putet, ut verè dici possit: non est liber nisi labor, non est penna nisi pœna, non est calamus nisi calamitas. Optimè etiam consulente venerabili Thoma nostro Kempensi: *Ama nesciri & pro nihilo reputari.* Verum admonuit me S. P. Augustinus cujus ordinem profiteor, & tueor scribens lib. de bono perseve-

rantiæ

rantiæ cap. 16. in hæc verba: *Dicatur verum, maxime ubi aliqua quæstio ut dicatur impellit, & capiant qui possunt: ne forte cum tacetur, propter eos qui capere non possunt, non solum veritate fraudentur, verum etiam falsitate capiantur, qui verum capere, quo caveatur falsitas, possunt.* Ita Aug.

6. Impellit quæstio typis edita & in vulgus sparsa, cujus non interest, quid enim popularibus, cum controversiis Regularium, maximè de præcedentia? Interea de ætate ordinis Canonico-Augustiniani multa scribuntur, sed nō ex vero, tametsi, ut fit, sub veritatis pallio, sic putamus. Periclitantur qui legunt, fortè falsitate capiuntur & nesciunt. Dicendum est verũ cum dilectione hominis & odio falsitatis. Siquidem, *sic diligendi sunt homines ut eorum non diligantur errores, quia aliud est amare quod facti sunt, aliud odisse quod faciunt.* ait S. Prosper in sentent. Propulsanda est invidia de arrogatâ præcedentiâ, de qua quæstio sub titulo libræ in lucem edita, quamvis melius *sub modio* latuisset; nam vereor ne forte pertineat ad classem earum quæstionum quas dignas esse quæ puniantur asserit Clemens Alexandrinus lib. 5. Stromatum non longè ab initio: *Cujusmodi est quærere,*

rere, inquit, *probationes an sit providentia ; cum sit manifesta Divina providentia, ex aspectu omnium quæ videntur effectorum quæ arte & sapientiâ constant. &c.* Ita ille de providentia. Sed numquid idem sentiendum de præcedentia? Ita videtur. Maximè cum integer tractatus exstet hac eâdem de re ab Ascanio Tumburinio relatus (olim etiam typis evulgatus anno Dñi 1567) cum allegationibus pro utrâque parte, sententiâ, & brevi Apostolico executorio in forma processus.

7. Quare facile potuisset Libræ Auctor prodigi notam nō incurrere, cum *tempus sibi*, ut ait, *pretiosum forte somno & saluti debitum in eâ disputandâ consumpsit*; nam actum agit, & eandem crambem recoquit, atque ita oleum & operam perdit. Eo vel maximè quod res controversa transierit in judicatam, primo à Ioanne XXIII. confirmante Synodo Constantiensi, & Innocentio VIII. corroborante, & postea à Pio IV. confirmantibus Pio V. & Clemente VIII. qui quidem Pius IV. in Bulla quæ incipit: *Sedis Apostolicæ providentia &c.* piè admodum monet controversias hujusmodi *in Ecclesia præsertim inter Religiosas & reformatas personas, quæ*

relictis

relictis mundi vanitatibus, votum suum in humilitatis spiritu Domino Deo nostro, qui se pro nobis usque adeo humiliavit, ut formam servi acciperet, persolvere profitentur, non modicum illi praeclarae, Deoque praecipue dilectae virtuti quae est humilitas, labem infundere, populoque scandalum generare ac propterea illas omni ratione submovendas esse. Unde illi parum aedificare populum Christianum videntur, qui rursus tractatus edere incipiunt, in quibus ea, quae est de praecedentiâ, controversia ventilatur.

8. Quare protestor me directè de eâ, vel pro eâ scribere non intendere, sed potissimum ea, quae in illorum opinione versantur, ad examen PONDERIS SANCTUARII, id est Pontificii judicii revocare, & explorare an Ordo Canonicus S. *Augustini*, tam levis momenti sit, quam adversarius noster in trutinâ librae suae se deprehendisse concludit; eo etiam fine ut prostratâ vanitate, veritas triumphet, & confusione sublatâ, idem ordo in eo ordinis gradu in quo à summis Ecclesiae; *quae terribilis est ut castrorum acies ordinata*, Pastoribus collocatus est conservetur, sed hoc ultimum tantum ut dixi indirectè, in quo puncto non sumus adversarii, Cant. 6.
cum

cum triumphum veritatis, & ordinum ordinem intendamus ambo, licet in modo intendendi nonnihil diſcrepemus, nam quod ad me attinet, de præcedentiâ me non velle directè agere, jam ſum proteſtatus.

CAPVT II.

9. Porro in hac veritatis trutinâ rationum momenta libravit Antagoniſta, & factâ exploratione, aſſerit *ſe tam dibiles inveniſſe noſtræ opinionis rationes, ut probabiles* (ejus verba ſunt in proœmio) *dici non poßint*. Sic ille confidenter. Verum ut & ego dicam quod ſentio, quando auctoritatum Pontificiarum momenta pondero, in favorem Ordinis Canonico-Auguſtiniani pronuntiantium, quæ maximè in hac cauſſa trutinandæ fuerant, tale judicium non parum obſtupeſco. Quamvis nonnihil obſtupeſcere deſinam, cum earum, ut ita loquar, neſcientiam vel inadvertentiam facilè in eo advertam. Adeo ut in eundem quadrare videatur, illud Nazianzeni: Τί γὰρ εἰ ςρέφεσθαί σοι τὸ πᾶν δοκεῖ ναυτιῶντι τυχὸν ἢ μεθύοντι, καὶ τὴν σὴν ἀφροσύνην ἑτέρων ὑπολαμβάνεις. .i. *Quid enim ſi tibi nauſeanti fortè aut ebrio*

In proœmio libræ.

ebrio universum circumagi videatur, & tuam ignorantiam aliorum esse interpreteris.

10. Alias profecto si non portentum, saltem paradoxum est asseverare, sub genere ordinis Canonici non dari in Ecclesia, ordinem quendam Canonicorum Regularium S. Augustini simpliciter dictum, specie infimâ, distinctum ab ordine Canonicorum Regularium v. g. S. Norberti, vulgo Præmonstratensium, & si qui sunt, talium. Paradoxum est asserere hunc ordinem recentiorem esse, ac proinde multis & præsertim Cistertiensi postponendum. Paradoxum est hunc ordinem putare apud solos Lateranenses reperiri. Paradoxum est hos non ratione ordinis, sed eâ, qua Lateranenses, ut quondam Cathedrales, reliquis religiosis fuisse prælatos. Paradoxum est sub hoc ordine tot statuere ordines diversos, quot congregationes, imo quot monasteria diversa statuta observantia. Paradoxum est hujus ejusdem ordinis Canonicos Aroasienses, fingere dicendos esse vel Canonico-Cistertienses vel Cistertio-Canonicos. Paradoxum est procudere novum quendam, & hactenus inauditum ordinem Gervâsianum, à quo qui defecerunt, licet jam Canonici Regulares S. Augustini

vulgo habeantur, tantum tamen abesse, eos tales esse, ut merito dubitari possit, an saltem sint Religiosi. Paradoxum est suadere Canonicos Regulares S. Augustini vix habere aliquid commune cum Canonicis, præter solum nomen; imo tantam esse distantiam inter Lateranenses & Aroasienses, sub nomine Canonici, quanta est sub nomine Monachi, inter Benedictinos & Franciscanos. Et tamen hæc & similia, magnâ pompâ, magnâ confidentiâ, & magnâ audaciâ ab adversario adstruuntur, cum Lectoris obtestatione ut Narcissum exuat, arbitrumque se sistat. Et interea priusquam ejus judicium audiat, ipsemet Libræ Auctor *Audacter enim dicam*, inquit, *vix aliquàm ab annis plurimis resoluisse quæstionem, cujus mihi decisio visa sit clarior, & securior.* ita ille in procemio.

11. Sed alteram partem Lector audito, & eâ auditâ Radamanthum indue, justitiæ Libram suspende, & quod justum est, judicare non detrecta. Salvâ semper Christianâ pace, & religiosâ charitate contra quam ut alibi mellifluus ait Bernardus: *Quæ pro ea instituta sunt militare non debent.* Agamus & dicamus quod agendum & dicendum est, sentiamusque in hujusmodi contro-

versiis cum eruditissimo simul ac piissimo Navarro nostro, tomo 1. Comm. 4. de Reg. in cap. *Statuimus.* de *stabilitate & transitu.* 19. quest. 3. in hæc verba scribente: *Quidquid tamen hi aut illi sentiant, illam ego partem mihi persuadeo quam sacro-sancta sedes Apostolica, vel ab ea in id delegati, veriorem judicaverint, satis certus nonnulla origine noviora, præstare vetustioribus, & contra nonnulla vetustiora præcellere novioribus, in omnique gente qui majorem faciunt justitiam magis placere Deo, qui non solum Regulares sed etiam Sæculares omnes Christianos sua charitatis vinculo in suam gloriam vinciat.* Amen. Ita ille Christianè & Religiosè.

In citando Navarro usus sum editione Coloniensi anno 1616.

CAPUT III.

PRÆNOTATIO.

12. PONdus totius difficultatis, quam Libripens Canonicis Reg. S. Augustini in sua Librâ movet, eo vergere deprehenditur, ut probetur illos juniores esse Cistertiensibus monachis, ut hinc concludatur his illos esse postponendos. Quod ut ipse faceret, cum videret suos non posse præponderare

Canonicis Lateranensibus, ut qui bullati essent; sic loquitur, persuadere molitus est; ordinem Canonicorum Regular: S. Augustini à solis Lateranensibus teneri; itaque Aroasienses, Windesemienses, & similes sub generali nomine Canonici Regularis, esse alterius ordinis specie distincti ab ordine Canonico S. Augustini à solis Lateranensibus observato, sicuti sunt Præmonstratenses. Quos omnes vult ordine juniores esse, non solum ipsis Lateranensibus (in quibus ponderat, quod tales sint ab Ecclesia scilicet Lateranensi Cathedrali, vel Collegiali denominati, ab Apostolis instituti, & à Sancto Augustino reformati, atque adeo hæc omnia illis esse propria) verum etiam suis Cistertiensibus.

13. Si itaque solummodo sustineri possit, quod ordo Canonicus ab Apostolis fundatus, & à Sancto Augustino viro Apostolico restitutus, sit in specie infimâ id est non divisus in plures ordines, sed tantum Congregationes, Lateranensem, Aroasiensem, Windesemiensem &c. distinctâ ab ordine Præmonstratensi, Salvatoriensi, & simili, nec tantum observetur à Lateranensibus, sed etiam ab Aroasiensibus olim, & nunc à Windesemiensibus, & aliis sine con-

gregatione

gregatione in Monasteriis degentibus, sicut non ita â multis annis, in non paucis Ecclesiis Cathedralibus, idem ordo observatus fuit; parvimomenti deprehendentur omnia, quæ tanto apparatu ab adversario pro sua caussa trutinantur in Libra. Quod ut fiat, statuenda, & salvanda est hæc

CAPVT IV.

CONCLVSIO.

14. INter cæteros Religiosos ordines, datur in Ecclesia ordo quidam Clericorum seu Canonicorum Regularium S. Augustini in Conciliis antiquis, litteris Pontificiis, Jure Canonico, Breviario Romano, itemque provinciali Romano, libro taxarũ Cameræ Apostolicæ, nec non in praxi Cancellariæ Apostolicæ, simpliciter dictus (de quo in bullis Pontificiis ordinariè pronuntiatur hæc clausula; *in primis statuentes, ut ordo Canonicus qui ibidem secundum S. Augustini Regulam dignoscitur institutus, perpetuis temporibus inviolabiliter observetur*; Quæ formula mutatur quando bullæ ad Monachos diriguntur, in quibus

bus ſic ſcribitur ; *Vt ordo Monaſticus qui ibidem ſecundum S. Benedicti* v. g. *regulam dignoſcitur inſtitutus. &c.* Ubi manifeſta ponitur diſtinctio inter ordinem Canonicum & monaſticum de quo infra ſuo loco) quem obſervant Lateranenſes Canonici Regulares in Italia, olim Aroaſienſes, & nunc Windeſemenſes in Belgio & alibi alii, qui ab Apoſtolis inſtitutus, à S. Auguſtino reſtitutus, ac proinde ordine monaſtico antiquior, per Orientalem & Occidentalem Eccleſiam quondam diffuſus, olim in Cathedralibus & Collegialibus Eccleſiis, & nunc in monaſteriis florens, ſpecie infimâ diſtinctus ab ordine Canonicorum Regular: S. Norberti vulgo Præmonſtratenſium, & ſi qui ſunt aliorum qui à primævâ ſuâ inſtitutione nec ſunt nec appellantur Canonici Regulares S. Auguſtini.

15. Ad hanc Concluſionem probandam produco primo Conſtitutiones Benedicti XII. quondam, nî fallor, Monachi Ciſtertienſis, per quas ordinem Canonicorum Regular: S. Auguſtini reformare decrevit, circa annum recuperatæ ſalutis 1339. quæ conſtituunt juſtum volumen, ſed prolixitatis vitandæ gratiâ, ferè tantum dabo titulos paragraphicos ex quibus multa

quæ

quæ in Conclusione posuimus spontè prosilient, & sua claritate se prodent. Inspiciamus prius titulum, deinde prologum, postea singulos titulos ac tandem quæ hinc sequentur & colligentur manifesta Corollaria, quæ quid olim fuerit de hoc ordine & nunc sit, absque hæsitatione declarabunt, & omnem hallucinandi ansam dubio procul amovebunt. Titulus autem sic habet:

CAPVT V.

16. *Benedicti Papa duodecimi Constitutiones pro generali reformatione, Canonicorum Regularium ordinis S. Augustini.* Circa quem titulum observo, in eo ordinem S. Augustini, quem observant Clerici ceu Canonici einsdem ordinis, supponi ut specie distinctum ab aliis ordinibus, qui quamuis observent regulam S. Augustini non tamen vocantur simpliciter Canonici Regular: S. Augustini, quos propterea hæ constitutiones non tangunt. Quare sicuti v. g. ordo S. Norberti seu Præmonstratensis est unus specie infimâ morali, ita & hic; de quo infra iterum redibit sermo in primo Corollario.

17. Prologus vero talis est. *Benedictus Episcopus*

copus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Ad decorem Ecclesiæ sponsæ Dei & Sanctarum Religionum fundatarum in ea quæ licet diuersis distinctæ sint gradibus in vnius tamen veræ fidei propositum coeuntes, eandem Ecclesiam venustant variis floribus meritorum, pro injunctæ nobis Apostolicæ seruitutis officio summis vigiliis & indefessis studiis intendentes ad ea, quæ pro diuini nominis laude Religionum ipsarum statum, puritatem, honestatem morum, regularis obseruantiæ disciplinam, & sacrarum peritiam Scripturarum, respiciunt, labores nostros libenter impendimus & opportunè sollicitudinis diligentiam adhibemus: ideoq́; inter Religiones alias in agro ejusdem plantatas Ecclesiæ, ad Religionem Canonicorum Regularium ordinis S. Augustini ab Christi gloriosis discipulis in primitiuâ Ecclesia sacris institutionibus stabilitam gerentes præcipuæ charitatis affectum, ac nolentes quæ in eadem Religione reformanda cognouimus, absq́; reformationis remedio præterire, omnia quæ in religione prædicta tam à primà ejus institutione, quam à sacris Canonibus sunt salubriter instituta, omnino immota in sua firmitate manere censentes, nonnulla quæ experientia deesse probauit, & supplenda dictæ Religionis vtilitas, quinimo necessitas perstatuendum suadet, prouidimus in eâ perpetuis

futuris

futuris temporibus obſeruanda. Huc vſque prologus. Circa quem obſeruanda verba illa Pontificis: *inter Religiones alias in agro plantatas eiuſdem Eccleſiæ ad Religionem Canonicorum Regularium Ordinis S. Auguſtini ab Chriſti glorioſis Diſcipulis in primitiuâ Eccleſiâ ſacris inſtitutionibus ſtabilitam gerentes præcipuæ charitatis affectum. &c.* Quæ manifeſtè declarant: primo, Ordinem Canonico-Auguſtinianum eſſe ſpecie diſtinctum ab aliis Ordinibus in Catholicâ Eccleſiâ plantatis. 2. Eiuſdem illuſtrem antiquitatem præ cæteris Religionibus monaſticis, quia Religio hæc peculiariter à Pontifice aſſeritur *In primitiua Eccleſia à Chriſti glorioſis Diſcipulis ſacris inſtitutionibus ſtabilita.* Quæ verba coram Cardinalibus, olim fortiter fuerunt à noſtris contra Aduerſarios allegata, & ab illis valde ponderata, vt patet ex horum allegationibus per Scipionem Lancelottum apud Aſcanium ſupra, & illorum relationibus, de quibus infra. Nec putandum Pontificem tantum loqui de Ordine quem obſeruant Lateranenſes ſoli in Italia, quia ex §. 19. conſtat quod loquatur de Ordine illo quem obſeruant Canonici Regulares S. Aug. per totum orbem Chriſtianũ, lõgè lateque per oriẽtem & occidẽtem

tunc diffusi, de quo postea. Nunc autem ex Ordine ponemus singulorum paragraphorum prædictarum constitutionum titulos, additis nonnullis obseruationibus, nec in tam multis recensendis inutilis, aut superuacaneus labor erit habendus, quia in singulis ferè obseruare est aliquid ad rem nostram probandum, quod pertineat, & ex omnibus simul sumptis clarè elucescet, quis aut qualis sit status Canonicorum Regularium Sancti Augustini.

CAPVT VI.

§. 1.

18. C*Anonicorum recipiendorum forma*. Sub hoc titulo habentur hæc verba notatu digna: *Statuimus igitur ut quando in Ecclesia Cathedrali, Monasterio seu loco alio Religionis eiusdem Canonicorum Creatio fuerit facienda &c.* Ex quibus patet Canonicos Reg. Ordinis Sancti Augustini qui in monasterijs degunt, esse eiusdem specie infimâ Ordinis, cum ijs qui tunc residebant in Ecclesijs Cathedralibus.

§. 2. *Probationis modus & locus*. Sub hoc titulo decernitur vtrosque Canonicos tam Cathedrales quam Claustrales ante professionem debuisse obser-

obſeruare tempus probationis.

§. 3. *Canonicorum creatio ad quem ſpectet.*

§. 4. *Profeſſio vt facienda.* Vbi ſtatuitur profeſſionem debere eſſe expreſſam, inſinuatur etiam in eodem ordine, tunc fuiſſe Superiores immediatos & mediatos.

§. 5. *Receptio Clerici vel Laici vt prohibetur.* Vbi notanda illa verba: *Prohibemus inſuper ne in Eccleſia Cathedrali ſeu Monaſterio vel loco alio Religionis eiuſdem, quiuis Clericus ſæcularis vel Laicus recipiatur ad præbendam, ſeu etiam portionem, niſi eidem Eccleſiæ ſeu Monaſterio vel loco dederit ſe & ſua.*

§. 6. *Prioris clauſtralis electio quando & quomodo facienda.* Vbi habentur hæc: *Vt autem dicta Religio ſalubriter in omnibus dirigatur, in Eccleſia ſeu Monaſterio locove alio collegiato ſeu conuentuali Religionis eiuſdem.*

§. 7. *Regulare Capitulum quoties & quomodo tenendum.* Vbi iterum hæc. *Pro Regulari diſciplina attentius obſeruanda in Eccleſia Cathedrali ſeu Monaſterio. &c.*

§. 8. *Annuale Capitulum vbi conuocandum & qui eidem intereſſe debeant, & quæ in dicto capitulo agenda.* Vbi ſic: *In ſingulis Eccleſiis Cathedralibus,*

Monasteriis, aliisq́ue locis Collegialibus seu Conuentualibus Religionis præfatæ principalibus, non ab aliis dependentibus (etiamsi in eis alias non fuerit consuetum) & in singulis aliis locis religionis eiusdem habentibus membra sibi subjecta, aut si inibi solitum est capitulum celebrari annis singulis capitulum celebretur die videlicet ad hoc constituto. &c. Posteà subjungitur de Abbatibus, Præpositis, Prioribus, & Archidiaconis qui huic Capitulo iubentur interesse vel per se vel per procuratorem.

§. 9. *Capitulum Prouinciale vbi & per quos fieri debeat.* Hic notanda sequentia: *nec-non præpositorum, Priorum, & aliorum maiorum in Ecclesiis Cathedralibus post Antistites existentium, ac post Antistites ipsos regularem curam Canonicorum habentium &c.*

§. 10. *Prædicti Capituli ordinationes quos ligent.*

§. 11. *Ejusq́ue expensæ à quibus sustinendæ.* Ubi notandum quod sequitur: *Decernimus etiam quosque dictarum Ecclesiarum & Monasteriorum, vel aliorum locorũ ejusdem Canonicos beneficia obtinentes, &c.* Capaces igitur Canonici Reg. beneficiorum.

§. 12. *Quid agendum quando Cathedrale Canonici carerent majoribus tempore celebrationis dicti capituli.*

§. 13.

§. 13. *Quadriennium pro capitulo celebrando, quomodo intelligatur.*

§. 14. *Quoquè in loco celebrandum sit.*

§. 15. *Quæ in eodem statuenda sint pro futuro capitulo.* Hic obseruandum quod subjungitur: *Qui & quot & quoties Ecclesias Cathedrales Religionis eiusdem debeant visitare.*

§. 16. *Quæ personæ ad Capitulum duci debeant.*

§. 17. *Impedientium celebrationem Capituli Prouincialis seu Annalis pœna.*

§. 18. *Offendentiumq; personas & loca Religionis pœna.*

§. 19. *Prouinciarum in quibus celebrentur Capitula distinctio.* Hic articulus totus exscribendus, quia totus notandus vt videatur quod hic Ordo Canonicus S. Augustini circa annum Dominicum 1339. per vniuersam Ecclesiam Catholicam Orientem versus & Occidentem fuerit diffusus, vnus quidem licet per varias Congregationes diuisus, pergit itaquè Pontifex: *Vt autem de Prouinciis in quibus dicta capitula Prouincialia fuerint celebranda, distincta limitatio habeatur, nec de ipsis in posterum hæsitetur. quoad huiusmodi prouincialia tenenda & celebranda capitula pro vt sequitur limitamus. In primis Vrbs Romana cum Episcopatibus*

ſcopatibus nobis immediatè ſubjectis in noſtra ſpeciali Prouincia conſtitutis, cum toto regno Siciliæ pro vna Prouincia computatur. Prouincia Thebanã, Cretenſis, Athenienſis, Patracenſis, Corinthienſis, & Neopathenſis cum toto Patriarchatu Conſtantinopolitano pro vna. Regnum Cypri pro una. Regnum Corſicæ & Sardiniæ pro una. Provinciæ Piſana, Ianuenſis, Mediolanenſis & Ravennas cum Epiſcopatibus Placentenſi, Ferrarienſi, Ariminenſi pro una. Patriarchatus Aquilegenſis & Gradenſis, cum Provinciis Iadrenſi, Spalatenſi, Raguſienſi, Antibarenſi pro una. Provinciæ Strigomenſis, Coloſenſis, ac Geſnenſis cum Epiſcopatu Camenenſi pro una. Rigienſis pro una. Saliſburgenſis, Magdenburgenſis & Bremenſis pro una. Colonienſis, Moguntinenſis, Trevirenſis cum Epiſcopatu Bambergenſi pro una. Ebredunenſis, Viennenſis, Aquenſis, Arelatenſis pro una. Lugdunenſis, Tharantaſienſis, & Biſuntina pro una. Remenſis, Senonenſis pro una. Rothomagenſis & Turonenſis pro una. Burdegalenſis & Bituricenſis cum Epiſcopatu Anicienſi pro una. Narbonenſis & Tholoſana & Auxiana pro una. Taraconenſis & Cæſarauguſtana cum Epiſcopatu Majoricenſi pro una. Toletanenſis, Hiſpalenſis, Compoſtellanenſis & Bracharenſis pro una. Cantuarienſis & Eboracenſis pro una.

Tota

Tota Hibernia pro una. Regnum Scotiæ pro una. Regna Daciæ, Noruegiæ & Sueciæ pro una provincia deputantur.

Siqua vero Episcopatus vel Monasteria aut loca dictæ religionis existant, quæ in aliqua dictarum provinciarum minimè includantur, quo ad dicta capitula provincialia intelligantur esse de illa provincia cui viciniora existere dignoscuntur. Ubi clarè vides tempore Benedicti duodecimi ordinem Canonicum S. Aug. per totum Christianum orbem palmites suos extendisse, salvâ manente ejus unitate specificâ, quamvis in tam diversis provinciis varias ejusdem ordinis congregationes fuisse certissimum sit, quas dictæ constitutiones tangebant, sive interea in Cathedralibus, sive in Collegiatis Ecclesiis ejusdèm ordinis professores, sive in monasteriis sub diversis congregationibus ceu capitulis residerent, ut vel ex hoc sufficienter pateat, eosdem omnes tam Cathedrales quam Conventuales Canonicos Augustinianos, unius & ejusdem specie ordinis fuisse, ut vanum sit existimare hunc ordinem in solâ congregatione Lateranensi viguisse, eo vel maxime quod tunc ea congregatio nondum inchoata fuerit, Canonicis

nicis Auguſtinianis à tempore Bonifacii VIII. Patriarchali Eccleſia exactis, & tantum ad eam reductis ab Eugenio IV. inter quos notabili intervallo interceſſit Benedictus XII. harum Auctor conſtitutionum. Cujus tempore qui poſtea Lateranenſes dicti fuerunt Canonici Reg. S. Aug. vel in Cathedralibus vel Collegiatis Eccleſiis, vel in monaſteriis, Abbatialibus, Præpoſitalibus, Prioralibus, vel aliis Clauſtralibus reſidebant. Imo ex monaſteriis deſumpti fuerunt, qui ab Eugenio IV. in Patriarchali Eccleſia repoſiti fuerunt, ut poſtea ſuo loco uberius declarabitur. Quod bene notandum, quia defectu hujus notitiæ & advertentiæ in pluribus adverſarius eſt hallucinatus.

§. 20. *Viſitatorum munus præfinitur.*

§. 21. *Collectæ quæ & quando pro ſubventionibus imponuntur & quomodo.*

§. 22. *Magiſtri ad docendos Canonicos deputentur.* Ubi inter cætera: *Statuimus ut in Eccleſia Cathedrali, monaſterio habeatur magiſter, qui Canonicos doceat inter ſepta locorum &c.* Et honorarium aſſignatur 20. librarum Turonenſium parvarum magiſtro non Canonico, Canonico vero decem ſimilium librarum pro libris comparandis.

§. 23.

§. 23. *Canonici qui & quot ad ſtudia mittantur.* Ubi inter cætera: *Vt Eccleſia Cathedralis, monaſterium, Prioratus, locuſve alius Religionis ejuſdem unum Canonicum aptum hujuſmodi ſcientiis* [Theologiæ ſc. vel Canonum ut conſtat ex initio paragraphi] *acquirendis ad generalia ſeu ſolemnia ſtudia mittere &c.*

§. 24. *Penſiones Doctoribus, Lectoribus, Scholaribus &c. aſſignantur.*

§. 25. *Et per quos illæ ſolvantur.* Ubi ſic: *Contributiones quæ pro penſionibus ſtudentium & inſtructorum fuerint faciendæ, ſolvantur per capitulū Eccleſiæ Cathedralis & Abbatis, Prioris, Præpoſitum ceu Conventum------Religionis ejuſdem: nec-non beneficiatos quorumlibet beneficiorū Canonicaliū &c.*

§. 26. *Diſtributio librorum inter Conventus. Volumus etiam quod ſi in Eccleſia, monaſterio, & loco alio Religionis ejuſdem, libri multiplicati fuerint------ librorū per Antiſtitem Abbatem ceu alium------fiat conveniens diſtributio inter ſtudentes eoſdem.* Et infra: *Si quis vero de ſtudentibus per ſe vel per alium, librum------contra hoc diſtraxerit vel obligaverit, eo ipſo ſit inhabilis per biennium ad quodcumq; beneficium obtinendum &c.* Ubi & de promotione Canonicorum ſtudentiū ad gradus Academicos.

D §. 27.

§. 27. *Regimen Canonicorum ſtudentium quod eſſe debeat.*

§. 28. *Præſidentium munus quoad Canonicos ſtudentes.*

§. 29. *Quæ per aſſumendos ad gradus ſervari debent.* Hic conceditur privilegium, quo poſſint Canonici Religionis ejuſdem aſſumi ad magiſterium in Theologia, & in Jure Canonico; eaſque facultates in Pariſienſi vel alio quovis ſtudio generali in Cappa ſuæ religionis competente profiteri.

§. 30. *Obſervanda à Canonicis beneſicia obtinentibus.* Sic incipit: *Vt cultus divinus augeatur, & Religioſis vagandi materia precludatur: Statuimus quod Canonici Religionis ejuſdem extra Eccleſias, monaſteria, ſive loca alia principalia obtinentes prioratus, ſeu quævis alia beneficia quibus ad id ſuppetent facultates in ipſis beneficiis reſidere, & ſocium vel ſocios ſui ordinis ſecum habere teneantur.* Et infra. *Diſpoſitio de beneficiis ſimplicibus.*

§. 31. *Canonici quid circa officia celebranda ſeruare debeant.* Diſponitur quando miſſam & horas Canonicas debeant cantare, quomodo bini incedere in habitu decente, & tonſura Conveniente. Quomodo dies obitus notari. Et ad finem

finem notandum Antiſtites, ceu Epiſcopos etiam hujus Religionis tunc fuiſſe Superiores.

§. 32. *Beneficiati ſubſint Superioribus.*

§. 33. *Locus infirmariæ exiſtat.*

§. 34. *Numerus Canonicorum.* Hic mentio fit regulæ, diſciplinæ & obſervantiæ regularis, & profeſſores hujus ordinis vocantur Canonici Regulares.

§. 35. *Vetantur animalia ac ſæculares præter hic exceptos.* Sic orditur: *Prohibemus ne Canonici Reg. in Ecclesiis Cathedralibus---religionis ejuſdem teneant, aut nutriant equos---nec ſervitores habeant ſæculares niſi ratione dignitatum &c. aut in coquina &c.*

§. 36. *Vetantur lauta Convivia & immoderati ſumptus Superioribus & aliis.*

§. 37. *Religioſi aſſociati incedant.* Præcipitur id etiam Superioribus ſi ſit competens Canonicorum numerus & facultates ſuppetant.

§. 38. *Superiores prædicta faciant obſervari.*

§. 39. *Ad ordines promovendi qui & quomodo.* Ubi notandum exordium. *Præſentium autoritate ſtatuimus, quod Canonici beneficia ſimplicia obtinentes, & alii beneficiati Religionis ejuſdem. &c.* Et infra circa medium: *Prioratus quoq; Conventua-*

les, dignitates, personatus, officia, seu administrationes videlicet sacristia, Thesauraria, Eleemosynaria, operaria, cameraria & similia quæ in Ecclesiis & aliis locis conventualibus seu collegiatis dictæ Religionis alicui nisi 25. annum attigerit conferri nequeat.

§. 40. *Vestium præfinitio.* Hic notanda multa genera vestium, quarum usus tunc temporis erat apud Canonicos Religionis ejusdem, quæ vel probantur vel improbantur. Fit mentio Capparum, mantellorum, Rodondellorum, Elochiarum, Tabardorum, Capparum Choralium à festo omnium Sanctorum usque ad Pascha gerendarum, almutiarum, caputiorum, forcaturarum, superpelliciorum, rochettorum, camisiarum Romanarum. Item mentio habetur colorũ quarumdam vestium: sc. albi, flavi, nigri, sed albus cæteris præfertur, brevitatis quoque quæ prohibetur, longitudinis denique quæ commendatur. Porro Rodondellus vel Rotondella juxta Tumburinium disp. 20. q. 2. n. 9. est mantellus longus parte anteriori apertus. Forcatura verò est scapulare pellicium, quod alias varêta dicitur juxta Pennottum lib. 2. Generalis hist. c. 69. n. j. & 2.

§. 41. *Exitus de monasterio quando permissus.* Ubi

Ubi de licentia exeundi & de pœnis exeuntium illicitè, vel ultra terminum extra morantium. Item de Regulari porta, parlatorio, clauſtro, capitulo, Magiſtro Noviciorum &c.

§. 42. *Alienatio prohibetur abſque licentia ſedis Apoſtolicæ.* Ex quo paragrapho conſtat olim integras civitates, caſtra, villas cum ſuis juriſdictionibus ad loca ordinis pertinuiſſe.

§. 43. *Ficti contractus prohibentur.* Fit hic mentio Converſorum in ordine Canonico, ex quo ſequitur non repugnare ſtatui noſtro quod habeamus Converſos qui quamquam non ſint Canonici, ſi tamen profeſſi ſint, ſunt Religioſi in ordine Canonico, & ipſis illicitum eſt habere proprium.

§. 44. *Mutua quomodo recipienda.* Ex hoc §. iterum liquet Superiores in hoc ordine non ſolum Abbates & Priores, ſed etiam Epiſcopos fuiſſe.

§. 45 *Locationes quæ damnatæ ſint.*

§. 46. *Regiſtra & archiva conficiantur.*

§. 47. *Alimentorum præſtationes non differantur.* Obſervandum initium hujus paragraphi: *Quum ſit rationi conſonum, illos non debere onera recuſare qui rerum commoda complectuntur, Statui-*

mus quod Antistites, Abbates, Præpositi, Archidiaconi, Priores & Administratores cæteri Religionis præfatæ &c. Et infra. *Institutionibus regularibus inhærentes, statuimus ut Canonici in Ecclesiis Cathedralibus, monasteriis sive locis aliis Collegiatis seu Conventualibus dictæ Religionis constituti, consuetudine seu usu (quinimo abusu contrario non obstante) in refectorio commedant in communi secundum regularia & Canonica instituta. Proviso quod illi quibus incumbit onus providendi de victu Canonicis eisdem provideant sufficienter & decenter non in pecunia sed in victualibus. Quod si qui reditus vel pensiones alicui ex Canonicis singulariter hactenus pro victualibus fuerint assignati nullatenus dimittantur eidem.*

§. 48. *Esus carnium quando prohibitus. Vt Salutis Auctori purius serviatur, Statuimus quod universi Canonici Religionis præfatæ ab esu Carnium diebus sabbati, & per totum adventum Domini studeant abstinere, non obstantibus statutis, vel contrariis quibuscumque. Super abstinentiâ verò ab esu carnium in feria quarta & septuagesima, Prælati seu alii ad quos spectaverit consuetudines, & statuta antiqua & nova, honesta & rationabilia suorum locorum servent, & faciant observari : illis*

tamen

tamen qui ad majorem abstinentiam sunt adstricti, per hoc esum carnium non intendimus indulgere. Ita paragraphus. Ex quo solerter notatum volumus ab Adversario, in ordine Canonico haberi diversa statuta localia, & rigores diversos; & signanter circa abstinentiam à carnibus, quæ tamen nil detrahant ejus specificæ unitati & identitati.

§. 49. *Accubitus sint in dormitoriis. Rursus præcipimus quod Canonici Religionis ejusdem residentes in Claustris, omnes simul vel si multitudo eorum non sinit, saltem quanto plures ex ipsis commodè poterunt, in una domo dormiant, & juxta regularia instituta. Canonica-----cellæ jam factæ remaneant, sed à parte anteriori debeant aperiri.*

§. 50. *Privilegia & mobilia non transferenda. Religionis ejusdem consulere commodis, & præcavere dispendiis cupientes, Statuimus ut siquis Ecclesiæ Cathedrali, Monasterio, Prioratui, Præpositur æ seu administrationi cuivis dictæ Religionis præsidens, aut simplex Canonicus seu Conversus Religionis ejusdem privilegia- vasa aurea, seu argentea--libros, vel res alias notabiles, vel pretiosas ipsorum, extra Ecclesiam monasterium--in damnum ipsorum--fraudulenter transportare, seu tenere præsumpserit, ex tunc simplex

plex Canonicus vel Conversus ad beneficia, seu officia quælibet Religionis ipsius obtinenda, sit eo ipso tam diu inhabilis, quo usq; cum eis fuerit misericorditer dispensatum.

§. 51. *Missarum celebratio iniungitur. Vt Canonici residentes in Ecclesiis, monasteriis, & aliis locis conventualibus, saltem bis in septimanâ celebrent, qui in locis non Conventualibus semel, qui verò in studiis, semel in quindenâ.*

§. 52. *Et Eucharistiæ susceptio. Canonici non sacerdotes, ubilibet constituti, in quâlibet quindenâ saltem semel confiteantur, & quolibet mense suscipiant Eucharistiam.*

§. 53. *Diuinorum officiorum celebratio.* Ubi inter cætera: *Sane in Ecclesiis Cathedralibus, Monasteriis & locis Conventualibus Religionis ejusdem, missa major per Canonicum celebretur &c.*

§. 54. *Reliquiarum &c. Conservatio. Deniq; sollicititi sint Antistites, Abbates, Præpositi, Priores, Sacristæ, Administratores alii Religionis præfatæ, quocumque nomine censeantur, quibus incumbit Ecclesias——— & alia vestimenta Ecclesiastica munda & nitida conservare &c.*

§. 55. *Fori usus damnatur. In favorem Religionis præfatæ prohibemus, ne Antistites & alii Ecclesiastici*

clesiastici Iudices, trahant professores Religionis ejusdem, in causis criminalibus ad eorũ consistorium. &c.

§. 56. *Venantionumq́.*

§. 57. *Armorum retentio prohibetur.*

§. 58. *Accusationes quæ recipiendæ.*

§. 59. *Reparatio locorum præcipitur. Si aliqua Ecclesia Cathedralis, monasterium seu locus religionis ejusdem in Religione, vel regulari observantiâ, adeo sint collapsa, quod per Antistitem, Abbatem seu Administratorem, vel Canonicum verisimiliter nequeant reparari, Statuimus auctoritate Apostolicâ quod ---- de aliâ Ecclesiâ, Monasterio, seu loco in quâ ceu quo ejusdem Religionis noscitur observantia reflorere, Canonici assumantur idonei, & eo mittantur, ut ibidem quam diu expediens fuerit morentur, per quos locus hujusmodi reparetur &c.* Nil clarius proferri potest, pro unitate specificâ ejusdem ordinis inter Canonicos Cathedrales Regulares & Conventuales.

§. 60. *Proprietarii damnantur. Licet contra Religiosos proprietarios, sit provisum per Canonicas sanctiones, tamen specialius providere volentes, contra illos Canonicos & Conversos dictæ Religionis, qui suæ salutis obliti, contra Regulares & Canonicas institutiones pecuniam congregant------peculium oc-*

cultant & illicitè detinent &c.

§. 61. *Conspirationesq. Statuimus quod conspiratores & coniuratores si qui Religionis ejusdem, de crimine hujusmodi ligitime conuicti fuerint vel confessi———eo ipso beneficiis sint privati———si vero beneficiati non fuerint eo ipso reddantur inhabiles ad quævis beneficia &c.*

§. 62. *Ejecti & fugitivi puniantur.*

§. 63. *Per prædicta jurisdictioni ordinariorum non præjudicetur.*

§. 64. *Iussio illa publicandi in Capitulis. Vt autem statuta hujusmodi quæ Religionis ejusdem salutem sapiunt, & profectum, ad cunctorum professorum hujusmodi ordinis notitiam deducantur, ac inviolabiliter, ac fideliter obseruentur ab eis, auctoritate Apostolicâ præsentium tenore præcipimus———quod———solemniter publicentur, eorumq. singulæ copiæ singulis locis Religionis ejusdem, sigillata tradantur, & bis in anno legantur &c. nulli ergo &c.*

Datum Avenione idibus May Pontificatus nostri Anno Quinto.

19. Hæc carptim delibare ex constitutionum pontificiarum libro, consultum visum fuit, quia ea vel sola sufficere videntur, ad explicandum antiquitatem, dignitatem, status qualitatem,

&c

& unitatem specificam ordinis Canonicorum Regularium S. Aug. & ad confutandum multa quæ contra eum, his inconsultis, vel etiam forte ignoratis, ab Adversario sunt producta, & in librâ posita; quæ alicuius mometi rerũ imperitis videri possent, sed pensiculatè examinata ad hoc PONDVS SANCTVARII *facile deprehẽdũtur minus habere.* Verum placet ex his pontificiis placitis, ad majorem rei inculcationem, & ponderationem exactiorem, subnectere quæ sequuntur.

CAPVT VII.

Corollaria ex Constitutionibus Benedicti XII. præallegatis.

20. Primum. EX titulo patet, dari in Ecclesiâ Catholicâ, inter cæteros ordines Religiosos, ordinem quendam qui dicitur vulgariter Canonicorum Regularium S. Aug. & hic ordo totis, præter summum Pontificem, nullum alium agnoscit Generalem supremum, cui subjecti sint omnes hi Religiosi Canonici, per totã Ecclesiã diffusi; quibus solis non aliis v. g. Norbertinis (quamquam etiam

Canonicis Regularibus) latæ ſunt hæ conſtitutiones generales, a Benedicto XII. quondam monacho Ciſtertienſi, qui certè aliter ſenſit de ordine Canonicorum Reg. S. Aug. quam quidam recentiores Ciſtertienſes, qui ita ſcribunt de hoc ordine, ac ſi genus quoddam eſſet in varias diſtinctas ſpecies, ordinum Canonicorum Regulariũ S. Aug. diviſum. In (quo pace ipſorũ Ciſtertienſium dixerim) plurimum ipſi hallucinantur. Quia hic ordo, ut facilè ex præfato titulo deprehenditur, ſub genere ordinis Canonicorum Regularium, eſt in ſpecie infimâ, diſtinctâ ab ordine Præmonſtratenſi & aliis. Quod confirmatur etiam ex libro taxæ ſacri Collegii, & reverendiſſimæ Cameræ Apoſtolicæ, omnium Abbatiarum, & monaſteriorũ orbis Chriſtiani, in quo omnes Abbatiæ, & monaſteria ejuſdem ordinis, ſive ſint in Italia, ſive in Gallia, ſive in Hiſpania, ſive in Belgio, ſive alibi, vocantur ordinis S. Aug. ſicuti alia ordinis S. Benedicti, Sancti Baſilii, ordinis Ciſtertienſis, Præmonſtratenſis; & hoc titulo ſolo ab his omnibus diſcernitur & diſcriminatur: ut frivolum ſit, velle orbi obtrudere, ſub eo ordine tot ferè diverſos ordines, quod congregationes, in quo tamen

falſo

falſo fundamento, magnum præſidium ponitur ab Adverſario, & refugium quæritur ſed fruſtra.

Secundum. Ex prologo patet antiquitas hujus ordinis, quia dicitur *à Chriſti glorioſis Diſcipulis* (quod alii Pontifices poſtea ſuo loco citandi ab Apoſtolis dicunt) *in primitivâ Eccleſiâ ſacris inſtitutionibus ſtabilitus*, Sic enim loquitur Benedictus duodecimus, & quidem aſſeveranter. Patet denique jus Canonicum loqui de Canonicis Regularibus hujus ordinis. Nam hic patenter dicitur, quod ea quæ ſunt, à ſacris Canonibus; pro his Canonicis, inſtituta, omnino immota, in ſua firmitate manere debeant. Quod bene notandum eſt contra Abbatem Ioachimum, Hieronymum Romanum, & alios qui hos ſequuntur (de quorum numero etiam eſſe vult Adverſarius noſter) contrarium ſcribentes. Nota.

Tertium. Hunc ordinem fuiſſe diffuſum tempore Benedicti XII. circa annum 1339. per totam Eccleſiam Orientalem, & Occidentalem, diviſum quidem, non in plures ſpicies; ſed in plures ejuſdem ordinis congregationes, ejuſdem inquam ſpecie infimâ, congregationes, dico, vel capitula, quidquid reclamet Adverſarius: ſicut ordo Benedictinus, etiam in plures congre-

gationes, & ordines mendicantium, in plures provintias. Vide paragraphum 19. ubi de distinctione agitur provinciarum pro capitulis celebrandis.

Quartum. Loca in quibus hic ordo fuit obseruatus, fuisse Ecclesias Cathedrales, Collegiales, monasteria, & alia minora. Constat ex §. 1. 5. 7. 8. 12. 15. 22. 23. 25. 47. 50. 51. 53. 59. Hinc sequitur, omnes hos Canonicos Reg. (sic enim hic vocantur) siue in Cathedralibus Ecclesiis, siue in monasteriis resederint, à Pontifice habitos fuisse, unius & ejusdem ordinis, seu Religionis (hoc enim vocabulo sæpe utitur Pontifex) & Cathedrales etiam Canonicos, habuisse annum probationis, & professionem debuisse facere expressam liquet ex §. 2. 3. 4. 5. Locorum autem nomina hic sæpe posita, sunt Ecclesiæ Cathedrales, Collegiatæ, Abbatiæ, Præpositura, Prioratus &c.

Quintum. Ordinis ejusdem Superiores, fuisse Antistites seu Episcopos, Abbates, Præpositos, Priores, Archidiaconos constat ex §. 8. 25. 26. 31. 47. 54. 59. Ibi enim istis nominibus exprimuntur. Mentio etiam fit Prioris Claustralis §. 6. & Magistri Noviciorum §. 41.

Sextum.

Sextum. Religiosos Canonicos Reg. eo tempore obtinuisse dignitates, personatus, beneficia tam curata, quam simplicia, liquet ex §. 11. 25. 26. 30. 32. 39. 50. 61. Fuisse item tunc in ordine hæc officia scilicet Sacristiam, Thesaurariam, Eleëmosynariam, Operariam, Camerariam, sic enim hæc vocantur §. 39. fit item & mentio variarum officinarum, Infirmariæ §. 33. refectorii §. 47. dormitorii & cellarum §. 49. portæ, parlatorii, Claustri, Capituli §. 41.

Septimum. Jngentes fuisse hujus ordinis possessiones, integras civitates, villas, castra, territoria cum eorum jurisdictionibus §. 42.

Octavum. Quantum ad subditorum conditiones & appellationes, inter eos: aliquos fuisse simplices Canonicos §. 50. alios beneficiatos §. 11. 30. &c. imo & Conversos §. 50. &c.

Nonum. Vestes Canonicorum Reg. esse Cappas Chorales ferendas à festo omnium Sanctorum, usque ad Pascha, Almutias, superpellicea, Camisias Romanas, ceu Rocchetta. patet. §. 40. Porro Rocchettum dicitur, vestis illa linea quam gestant Canonici Reg. S. Aug. cujuscumque tandem sit formæ, tamquam proprium sui ordinis habitum, de qua pulchra habet

Ioannes

Ioannes Buschius in Chronico Windesemiensi lib. 1. cap. 23. & hæc inter cætera. *Hæc linea vestis sancta & sacerdotalis, quâ filii Aaron qui omnes erant sacerdotes in officiis divinis indui consueverant Ephod nuncupatur, quæ verus est jam habitus omnium Canonicorum Regularium. Tempore quoq́ gratiæ novi testamenti, hæc linea vestis præcellentis est gloriæ & dignitatis Apostolicâ autoritate, in usum Ecclesiasticæ Prælationis summorum Pontificum, Cardinalium & Episcoporum gloriam & decorem ab antiquo assumpta. Dominus enim Apostolicus in divinis & missarum celebrationibus, Cardinaliumq́. & Episcoporum conciliis vestem illam lineam quam Rochettum Romanum appellant, super omnia vestimenta sua rubea aurea seu serica per humum defluentia deferre consuevit; nisi ad papatum de regulis S.S. Benedicti, aut Francisci fuerit assumptus: tunc enim vestem ordini suo congruam solitus est deferre. Omnes etiam Cardinales & Apostolicæ sedis Legati, Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi & Pontifices in Domini Papæ præsentia cum hujusmodi Rochetto Romano, quod nos subtile vocamus, variis Colorum vestibus de subtus induti solent apparere, atq́. in suis Ecclesiis, propriis habitationi-*

bus,

bus, ac per orbem diœcesibus, præsertim in divinis officiis & rebus Ecclesiasticis de jure & consuetudine Ecclesiæ Romanæ hujusmodi Roketis induti incedere. plures etiam vidimus locorum ordinarios, Archiepiscopum, Primatem & cæteros diœcesanos in Ecclesiis, monasteriis, castris & domiciliis suæ diœcesis Roketum Romanum sive subtile quod idem est, supra cætera vestimenta sua cuncto populo inspectante publicè deferre in eo celebrare, divinis interesse, & ad mensam manducare. Hucusque Buschius, qui dum dicit Roketum Romanum esse verum habitum omnium Canonicorum Regularium, intelligit Canonicos Reg. S. Aug. neque enim hoc Roketum est verus habitus Canonicorum S. Norberti Præmonstratensium, ut qui gestent Cucullã & scapulare. Agit de eodem habitu Ascanius, tom. 1. disp. 26. q. 2. n. 5. ubi & constitutionum Benedicti XII. mentionem facit, qui etiam eodẽ tomo disputatione 20. q. 3. refert conclusionem quandam de habitu Prælatorum ex Ordine Canonicorum Reg. assumptorum probatam ex multis juribus, auctoritatibus & rationibus quæ sic habet:

Stat ergo conclusio omnes septem suprapositas conclusiones connectens, quod nostri Canonici Reg. de

quibus agitur, tanquam essentiales Clerici distincti à Monachis & aliis regularibus, uti possint Almutiis, pellibus, cappis, habitu, forma, & colore Clericis sæcularibus non prohibitis. Data tamen differentia signi in toga linea quæ est eorum essentialis habitus: qua à sæcularibus Clericis distinguantur, & quod Prælati ex Canonicis Regularibus, uti possint Roketo, more Romanæ Curiæ, almutiis de panno super utrumq; humerum & Cappa violacea cum pellibus albis, & pileo viridi si sint Episcopi vel rubeo si Cardinales more aliorum Prælatorum. Et ita postmodum determinavit Leo X. in bulla quæ incipit Dudum cum ad Ecclesiam Sebastiensem &c. Quæ extat apud eundem Ascanium sup. ex quo elucet Rochetum Romanum, qui est proprius & verus habitus Canonicorum Reg. S. Aug. esse signum Clericalis dignitatis, essentialiter ipsis competentis, quod monachi gestare non possunt, nisi ex privilegio, qui etiam habitum suæ religionis retinere tenentur etiamsi ad Episcopatum assumantur.

Nos eam transcripsimus in fine hujus operis.

Decimum. Aliqua hujus ejusdem ordinis loca, seu capitula fuisse independentia, aliqua verò dependentia ab uno primario, ex paragrapho 8. hinc distincta capitula, & multæ congregationes;

gregationes; nec-non plura monasteria, sub uno capitulo, vel congregatione, in ordine Canonico salvâ manente ejus specificâ unitate.

Undecimum. Ecclesias, monasteria, & alia loca deformata, debuisse reformari, ex decreto Pontificio, per Canonicos aliorum locorum, ejusdem ordinis, bene formatorum; erant ergo omnes tam Cathedrales, quam monasteriales ejusdem Religionis & rationis ex §. 59.

Duodecimum. Hanc identitatẽ specificam, non destrui in eadem Religione, per hoc quod, in aliquibus capitulis, ceu congregationibus peculiaribus, observentur particulares constitutiones, vel consuetudines, aliquæ rigiditates, ut stictior v. g. abstinentia ab esu carnium, & similes quam in aliis patet. ex §. 48.

Decimum tertium. Eandem disciplinam Regularem observandam præcipi tam in Cathedralibus Ecclesiis, quam in monasteriis Religionis ejusdem §. 7. consistentem in capitulo quotidie tenendo, item in capitulo annuo & quadriennali §. 8. 9. &c. in observantiâ regulæ. §. 34. in habitu & tonsurâ decenti & convenienti, in incessu associato. §. 31. 37 in veniâ exeundi petendâ. §. 41: in communi refectorio,

& dormitorio tenendo. §. 47. 49. in officio divino & Missæ Sacrificio celebrando, in cantu Ecclesiastico. §. 31. 51. 53. in usu Sacramentorum frequentando. §. 52. in cavendo à prohibitis, servitio famulorum sæcularium & quorumdam animalium. §. 35. à lautis conviviis §. 36. à venatione tumultuosâ. §. 56. armorum retentione. §. 57. accusatione invidiosâ. §. 58. conspiratione perniciosa. §. 61. proprietate damnosa §. 60. & in transgressores statui eandem pœnam §. 50. 60. 61.

Decimum quartum. Quantum ad litterarum studia, Philosophiam, Theologiam, jus Canonicum, gradus Academicos sumendos in dictis falcultatibus, pensiones studiosis, præsidentibus, docentibusque assignatas, privilegia docendi in Cappâ competenti in Academiâ Parisiensi, vel aliâ, indifferenter disponi, tam quoad Canonicos Cathedrales, quam Conventuales ex §. 22. 23. 24. 25. & sequent. Quæ certè omnia clarè arguunt, quantum ad Canonicum ordinem S. Aug. attinet nullam esse inter eos differentiam, quod etiam tanquã indubitatum supponit Pontifex.

Ad hæc Corollaria, tantâ tamque naturali sequelâ

ſequelâ reſultantia, ex prædictis conſtitutionibus, forte aliqui non habentes, quod reſpondeant, eo confugient; ut eas in dubium revocent, qui mos eſt hujus ſæculi inter ſubtiles magis quàm eruditos; quare non abs re erit, nonnulla in medium proferre, quæ oſtendant eas eſſe per-quam autenticas, & fide dignas: quod ſequentibus capitibus agendum.

CAPVT VIII.

22. BEnedictus XII. Religioſiſſimus Pontifex, de omnibus religionibus optimè meritus, dictas à ſe conceptas Conſtitutiones, pro generali reformatione ordinis Canonico-Auguſtiniani, quam ocyſſimé, datis litteris Apoſtolicis per ſingulas ferè provincias promulgari, & executioni mandari præcepit. Unde & quamprimum, nonnullis in provinciis eâ de cauſâ celebrata ſunt Capitula; ut in provinciâ Romanâ, & quidem in Cathedrali Eccleſiâ Eugubinâ tunc Regulari, Anno ſalutis 1344. die 4. Maij. in quo provinciali capitulo, ſecundum formam prædictarum conſtitutionum, viſitatores Eccleſiarum & monaſteriorum, per provinciam illam deputati ſunt,

 qui

qui ſequuntur. *Prior S. Frigdiani Lucæ viſitare debeat & teneatur omnes Eccleſias, monaſteria, & & loca conventualia, exiſtentia in Civitatibus & Epiſcopatibus Civitatis Caſtelli, Eugubij, urbis veteris, Viterbij & Romæ. Dominus Iacobus Prior Cathedralis Eugubinæ, SS. Mariani & Iacobi, viſitare debeat & teneatur omnes Eccleſias monaſteria & conventualia loca civitatum & Epiſcopatuum Peruſij, Cluſij, Florentiæ. Prior S. Mariæ novæ-Romæ viſitare debeat omnes Eccleſias, monaſteria & conventualia loca Civitatum Epiſcopatuum Beneventi, Neapolis, ac etiam in Regno Siciliæ & in Apulia. Prior S. Andreæ de Moſciano Florentiæ viſitare debeat & teneatur omnes Eccleſias, monaſteria, & loca conventualia Civitatis & Diœceſis Lucenſis. Prior S. Ioannis de Vrbe veteri, viſitare debeat & teneatur omnes Eccleſias, monaſteria, & loca conventualia exiſtentia in Civitatibus & Epiſcopatibus Firmano & Aſculano: cujus Capituli acta exſtant in Archivis Cathedralis Eccleſiæ Eugubinæ.* Hinc habes anno prænotato ordinem Canonicorum Reg. S. Aug. viguiſſe per Italiam non tantum in monaſteriis aliiſque locis conventualibus, verum etiam in Eccleſijs Cathedralibus quod ſæpè inculcandum eſt.

CA-

CAPVT IX.

23. SEd & hoc Capitulo, antiquius eſt Capitulum Provinciale Papienſe, eandem ob cauſam habitum anno partæ ſalutis 1340. in feſto S. P. Aug. quod editum eſt typis magiſtri Stephani Guillereti de Luna-rivilla Diœceſis Tullenſis impreſſoris circa annum 1500. hoc titulo prænotatum: *Conſtitutiones factæ in Capitulo provinciali Canonicorum Reg. Ordinis S. Aug. in Piſan. Ravennat. Ianven. & Mediolanen. provincijs cum Epiſcopatibus Placentin. Ferrarien. & Ariminen. ſub anno & indictione infraſcriptis celebrato in Abbatia S. Petri in Cœlo aureo Papiæ---- ſic incipit: In nomine Domini Amen. Venerabilis ac Religioſus vir Fr. Philippus Abbas monaſterij S. Petri in Cœlo aureo Papien. Ordinis Canonicorum Reg. S. Aug. Comiſſarius à ſede Apoſtolica deputatus in hac forma.*

Benedictus Epiſcopus ſeruus ſervorum Dei dilectis filiis Abbati S. Petri in Cœlo aureo Papien. & Priori S. Georgij de Ferreola prope Ferrariam per Priorem ſoliti gubernari monaſterii ſalutem & Apoſtolicam benedictionem paternæ conſiderationis apicem

cem ad ſalubrem ſtatum ordinis ſeu Religionis Canonicorum Reg. ordinis S. Aug. attentius dirigentes pro ſalute & proſperitate ipſorum, præhabitâ deliberatione maturâ, nonnulla ſtatuta edidimus, & ordinationes fecimus: quæ volumus & mandamus in eodem ordine ſeu religione perpetuis futuris temporibus obſervari, & quia in eiſdem ſtatutis & ordinationibus inter alia diximus ſtatuendum quod in ordine præfato in ſingulis provinciis per nos in ordinationibus noviter ſtatutis, & etiam deſignatis fiat de quadriennio in quadriennium provinciale Capitulum Abbatum & Priorum monaſteriorum Abbates proprios non habentium, & etiam Priorum Cathedralium Eccleſiarum ordinis ſeu Religionis ipſius ſeu aliorum majorum in ipſis Eccleſiis exiſtentium poſt Antiſtitem eorundem &c.

24. Poſt recitationem bullæ pontificiæ, ſequuntur acta capitularia, in quibus, inter cætera hæc leguntur circa medium: *Die vero ſequenti de mane præfatus Dominus Abbas Commiſſarius librum conſtitutionum ei ex parte prædicti SSmi. in Chriſto Patris & Domini Benedicti XII. & ſub eius bulla miſſum prædictis Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis aliiſq; prædictis & abſentium procuratoribus ibidem in dicto monaſterio congregatis,*

&

& qui totum Capitulum faciebant & ipsi capitulo præsentavit, &c. Qui liber sic incipit: *Benedictus Episcopus servus.* Et sic finit: *datum Avenione idibus Maij Pontificatus nostri anno 5. & ipse librum à principio usq; ad finem in Capitulo audientibus & auscultantibus publicavit, & legi fecit clarè eadem die, & die altera immediatè sequenti citò & distinctè &c.* & infra circa finem. *Et quoniam ex mandato Apostolico tenetur Capitulum memoratum providere de locò accommodo & securo ubi liber bullatus bullâ papali Constitutionum & ordinationum suarum debeat perpetuis futuris temporibus custodiri, mandato prædicto parere volentes, providerunt, statuerunt, & ordinaverunt præsidentes, & totum capitulum ante dictum, quod dictus liber bullatus Constitutionum & ordinationum prædictarum in monasterio S. Petri in cœlo aureo ubi corpus Egregij doctoris S. Augustini residere noscitur tumulatum, reponatur & ibidem debeat perpetuis futuris temporibus custodiri, &c.* Ita Ibi.

25. Hic solerter notandum, has constitutiones, observatas fuisse à Canonicis Reg. Ordinis S. Aug. per provincias Italicas, diu ante reformationem Lateranensem, ortam, circa annum Domini 1446. in quà manentibus substantiali-

bus professionis canonicæ antiquæ, concepta tantum fuerunt statuta quædam, quæ in varijs Capitulis ex causa quibusdam additis vel demptis mutantur; cui Congregationi Lateranensi reformatæ plurima loca regularia, in prædictis actis capitularibus recensita, paulatim fuerunt incorporata & nominatim ipsummet venerabile monasterium S. Petri in Cœlo aureo, circa annum Domini 1517. ut patet ex diplomate Leonis Decimi prodictâ unione dato, quod incipit: *Leo Episcopus &c. Etsi de cunctis orbis Ecclesijs & monasterijs----solliciti cogitare teneamur, ad Monasterium tamen S. Petri in Cœlo aureo Papien. ordinis S. Aug. &c.*

26. Porro Constitutiones hæ Canonicos S. Frigdiani vulgo Frigdionarios, seu Frisionarios appellatos, Ordinis S. Aug. ut ex bullis liquet, per quos agente Eugenio IV. circa annum Domini 1446. Lateranensis Ecclesia reformata est, & congregatio, ex eà reformatione nata, dicta Lateranensis, ut ceteros ejusdem ordinis tunc obligabant, quousque ab eis absoluti fuerunt speciali dispensatione à Martino V. *Eo quod mores observantias & consuetudines haberent illis & in rigiditatibus, ac disciplina ordinis strictiores*

ſtrictiores & obſervantiæ regulari aptiores ad conſervandum religionis debitæ ſtatum, inquit in bulla diſpenſationis idem ipſe Martinus Pontifex. Produxerunt tamen eas poſteà in causâ præcedentiæ, contra Monachos Caſſinenſes, ad probandum ſui ordinis antiquitatem, & ab Apoſtolis ſeu glorioſis Chriſti diſcipulis deſcenſum, ut liquet, ex allegationibus Scipionis Lancelloti numero 43. & ex relatione Joannis Baptiſtæ Cicadæ S.R.E. Cardinalis, quæ infra ad longum, ſuo loco recitabitur; ut inde videre liceat, Lateranenſes, in arduo illo negotio, ſuppoſuiſſe ſe fuiſſe ejuſdem ordinis, cum alijs omnibus Canonicis Regularibus S. Aug. per orbem diſperſis, pro quorum generali reformatione latæ ſunt Pontificiæ illæ conſtitutiones, quod ſcriptores aliqui vel ignorantes vel non advertentes dum aliud ſcribunt, multum hallucinantur.

CAPUT X.

27. DEbuiſſent iiſdem conſtitutionibus teneri, cum eſſent ordinis ejuſdem Windeſemienſes: verum idem Pontifex

ſex Martinus V. exemit illos, eo quod acceperat, conſtitutiones illas non fuiſſe in partibus Belgicis promulgatas, nec moribus utentium approbatas. Ita lego in bulla quæ incipit: *Martinus Epiſcopus ſervus &c. S. Mariæ in Windeſem------ordinis S. Aug. monaſteriorum Prioribus, Rectoribus, & Conventibus ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Sponſa Chriſti ſancta Mater Eccleſia nullam maculam vel rugam habens ſub unitate fidei religionum diverſitate non mediocri venuſtate decoratur, quæ licet una dici poſſit & debeat propter ſuorum civium unitatem ſuis tamen per orbem domibus diſtributis ſupernæ retinet civitatis exemplar, quæ cum ſit unica multas habet (teſtante Domino) manſiones. Hæc eſt quidem veteris arca Noë miro ſtudio fabricata, manſiunculas habens & cameras; hæc Ioſeph myſtici tunica polymita, hæc ipſius Domini veſtis inconſutilis ſed deſuper contexta per totum ut ex iis pateat & Eccleſiæ ipſius unitas, quæ regularium diſtinctionẽ profeſſionũ non abjicit; & earum diverſitas, quæ materni corporis nec tollit nec lacerat unitatem. Ad hanc ſanè mirabilem pulchritudinem qua ſplendet & ſplenduit quaſi varietate circumdata ipſa mater retroactis temporibus adjecit plurimum ordo veſter: qui ſicut à ſuis primordiis,*

poſt

post beatos Apostolos Christi per regularia S. P. Augustini instituta luculenter per orbem effloruisse dignoscitur; ita etiam nunc divina propitiante gratia, iis novissimis temporibus, eundem ordinem in Monasteriis vestris per disciplinæ regularis & fraternæ visitationis observantiam, fælici pullulatione reflorere, & uberrimam exinde animarum frugem Deo referri læti gratulamur------Et infrâ:-------*non obstantibus tamen fælicis recordationis Benedicti Papæ* XII. *& prædecessoris nostri------quæ quamvis de ordine vestro editæ sint, non tamen fuerunt in provincia vestra & in quibusdam aliis provinciis, vt asseritis, particulariter promulgatæ, seu moribus utentium approbatæ quam aliis quibuscumque constitutionibus Apostolicis &c.* Hactenus Pontifex: qui signanter hîc, inter cætera testatur constitutiones Benedicti XII. editas esse de ordine Congregationis ceu Capituli Windesemensis, quia nimirum generales sunt editæ, pro omnibus Canonicis Reg. S. Aug. quales sunt Windesemiensis, Aroasienses, Lateranenses, &c, unum & eundem ordinem profitentes, ut nil vanius fingi possit, quam imaginari, diversas has congregationes esse ordines specie diversos, quod tamen non semel, persuadere imperitis

hujus materiæ, Adverſarius noſter molitur; ſed ut ſuo loco clarius videbitur, *mole ruit ſuâ*.

28. Non tamen fuiſſe has Conſtitutiones in Belgicâ noſtrâ priſcis temporibus ignotas, ſatis apparet ex eo quod Arnoldus Gheiloven Roterdamus Juris Canonici Doctor, Canonicus Reg. S. Aug. monaſterii Viridis-vallenſis propè Bruxellas, qui obiit anno 1442. ſcripſerit tractatum quendam inter cætera, cui titulus: *Lectura ſuper conſtitutionibus Benedicti duodecimi*, teſte Reverendo Domino Marco Maſtelino ejuſdem ordinis, & monaſterii Canonico lib. 2. Necrologii. cap. 37.

CAPVT XI.

29. CÆterum Ioannes Trullus, Canonicus Reg. Aragonenſis lib. 1. de Canonicis cap. 2. luculenter teſtatur, has ſæpè dictas conſtitutiones, in Hiſpaniâ quam primum anno ſcilicet 1340. promulgatas fuiſſe, dum ſic ſcribit: *Iubente Benedicto* XII. *Prælati Regulares Eccleſiarum Cathedralium & monaſteriorum provinciarum Taraconenſis & Cæſar-auguſtanæ anno Domini* 1340. *menſe Auguſto in Caſtro Re-*

gio

gio civitatis Illerdæ Capitulum provinciale coegerunt & aliquot diebus celebrarunt in quo promulgatæ fuerunt saluberrimæ illæ constitutiones omnium totius orbis Canonicorum Reg. eodem Benedicto Autore & Evulgatore.

30. Denique Bonifacius Nonus anno 1401. mandavit Abbati S. Petri, in Cœlo aureo, & Prioribus S. Frigdiani Lucensis, & S. Aug. Pisani, Capitulum provinciale cogere, juxta dictarum formam constitutionum; quâ de re exstant autenticæ litteræ, in prænominato S. Petri in Cœlo aureo, Cœnobio, verum dirissimo schismate, quod tunc temporis Ecclesiam perturbabat, impediente, ut quidem videtur, negotium mansit infectum. Quod reliquum est prædictas constitutiones recitari tomo 1. Bullarii testatur Aubertus Mireus in auctario codicis regularium c. 5.

31. Quibus omnibus, debitè libratis, nullus superesse potest, de earum autoritate constitutionum, ambigendi locus, quæ profectò sufficere abundè deberent, pro certificandâ unitate specificâ, Canonici ordinis S. Aug. nisi incidissemus in exotica hæc tempora, in quibus reperiuntur homines, magis novis viis inveniendis

(quibus

quibus Dialecticam, Physicã, Mathematicã, adde & Theologiam moralem, imo & ius Canonicũ ad ſuum cerebellum reformare ſeu potius difformare nituntur) quam veteribus, tritis, & ſecuris permeandis ſtudentes, vel certè nodum in ſcirpo quærentes.

CAPVT XII.

32. HAnc eandem unitatem ſpecificam, ordinis Canonico-Auguſtiniani, ſpectavit Ioannes Buſchius, Auctor Chronici Windeſemẽſis (nec bene allegatus, nec bellè explicatus ab Adverſario) quando lib. 1. Chronici Wind. cap. 23. ſcripſit agens de habitu Canonicorum Reg. *quamvis autem habitus iſte* [ſcilicet veſtis linea ceu Rochetum] *in diverſis mundi provinciis in ordine noſtro* [haud dubiè Canonico S. Aug. diſperſo per totum mundum, cum interea congregatio Windeſemenſis vix Belgium, & aliqua loca vicina excedat] *diverſimodè formetur, unus tamen eſt tantum ordo Canonicorum Reg.* [intellige S. Aug.] *per totum mundum, cujus habitus eſt linea veſtis variè* [accidentaliter ſcilicet] *licet formetur.* Quæ non poſſunt

possunt intelligi, de unitate genericâ ordinis Canonicorum Reg. sed de unitate specificâ, quia Auctor hic loquitur de ordine Canonicorum Reg. quorum proprius habitus est prædicta linea vestis, quam Rochetum dicimus, qui proprius est Canonicorum Regularium S. Aug. ut alibi plenius declarabitur, & de quo supra quædam ex eodem Auctore produximus, distinctus ab habitu proprio & distinctivo Canonicorum Reg. S. Norberti scapulare & cucullam gestantium, ut patet, consulatur Adamus præmonstratensis. Quando ergo supra dixerat Buschius hanc eandem lineam vestem, seu Rochetum, esse habitum omnium Canonicorum Reg. nonnisi de Canonicis Reg. S. Aug. intelligi potest, nec ideo hic Auctor, sibi erit contrarius, eo quod capite præcedente nimirum 22. scripserat in hæc verba: *Cum plurimi Religiosi ordinum diversorum solemnem faciant professionem, secundum Regulam B. Aug. sola tamen statutorum diversitas differentiam facit ordinum singulorum, statum, habitum, mores, ritus, & ceremonialia hujusmodi ordinum singulorum specialiter exprimentium &c.* Non enim hoc dicit quasi velit insinuare diversitatem statutorum inducere dif-

ferentiam ſpecificam in ordine Canonicorum Reg. S. Aug. (qui unus quidem ordo per ſe eſt à multis aliis diſtinctus) ut prætendit Adverſa-trius: ſed inter ordines ab eodem ſpecie diſtantes, quamvis ſub eadem Regula Auguſtiniana merentes, etiam ſub communi nomine Canonicorum Reg. ſub quo etiam comprehenduntur Præmonſtratenſes. Quæ Auctoris hujus mens, clarè colligitur, ex iis quæ ſtatim ſubjungit: *duodecim*, inquiens, *autem ordinum diverſorum Religioſos in diverſis mundi partibus vidimus ſecundum Regulam B. Aug. expreſſè profeſſos, habitu tamen, moribus, ceremonialibus & ſtatutis apertè diſtinctos Canonicos videlicet Regulares, Præmonſtratenſes, Auguſtinienſes, Ioannitas, Dominos Teutonicos, Prædicatores, Cruciferos, Servos Mariæ ſive ſpectantes, B. Mariæ Magdalenæ de penitentia, Ambroſianos, Hieronymitas, & Fratres Sororeſq. ordinis S. Brigittæ.* Ubi vides ipſum ponere differentiam ſpecificam inter Canonicos Regulares haud dubiè S. Aug. & Præmonſtratenſes (quamvis & hi Canonici Regulares etiam nuncupentur aliàs) habentes cum Regulâ S. Aug. ſtatuta, ſtatum & habitum diſtinctum exprimentia (ſicut & habent cæteri Religioſi, conſequenter ibi enumerati

enumerati) diſtinctum inquam à ſtatu & habitu Canonicorum Reg. S. Aug. qui primum membrum conſtituunt, iſtius numeri duodenarii; ſicut & Præmonſtratenſes, ſecundum. Aliàs enim ſi Auctor hic, verbis hiſce, indicare voluiſſet, per diverſa ſtatuta invehi in ordinem Canonicorum Reg. S. Aug. differentiam ſpecificam, non jam debuiſſet dicere, tantum duodecim eſſe ordines Regulam B. Aug. Profeſſos; ſed multo plures, præter recenſitos duodecim, hos ſcilicet, Lateranenſes, Aroaſienſes, Windeſemenſes &c. Verum hi omnes ab Auctore comprehenſi ſunt, ſub primo membro, nimirum Canonicis Reg. à Præmonſtratenſibus & reliquis, diſtinctis. Quæ omnia clara ſunt, prædictum eundem Auctorem, ſincerè & defæcato oculo legenti. Qui etiam loquens de Cappâ nigrâ cap. 23. ejuſdem libri primi ſic ſcribit: *Cappa autem Canonicorum Reg. nigra quam ſuper ſubtile induimus habitus noſter non eſt propriè loquendo, ſed tantum toga pluvialis, quæ etiam per diverſas provincias in forma variatur juxta morem patriæ & varias ordinis conſtitutiones, in divinis & foris certis temporibus deferenda.* Ita ille. Ubi vides eum dicere, varias ejuſdem ordinis Cano-

nico-Augustiniani scilicet, esse constitutiones, quæ haud dubiè, juxta ejus mentem ipsum ordinem intrinsecè non variant.

33. Denique quandoquidem cum Joanne Buschio occupemur, ut & eâdem operâ hoc absolvamus, diligenter advertendum est, ad ea quæ ipse, ibidem notat, circa Regulam B. Aug. dicens: *nullam Religionem nullamq́. cujuscumq́. ordinis & conventus personam regulam B. Aug. ad plenum posse observare sine certis constitutionibus, loca, & tempora orandi vigilandi, dormiendi, reficiendi, tacendi, loquendi, actus & officia, cunctorum officialium singillatim exprimentibus*. Sic ille. Cujus ratio ea est quod magna differentia sit, inter Regulam S. Augustini, & Regulam S. Benedicti. Hæc enim abundè satis ad hæc particularia descendit: illa vero non item. Magis enim, in generalibus principiis vitæ Religiosæ tradendis, suspensa hæret. Vnde varias determinationes, per diversa statuta, non respuit, & defacto juxta morem Canonici ordinis S. Aug. admittit; unde si modernum statum ejusdem ordinis consideremus, saltem quo ad monasteria, nullis jam congregationibus unita, ut sunt multa. v.g. in Belgio, tot sunt statuta diversa, quot loca Canonica,

Canonica, imo in eâdem civitate, exempli causa, nostra Brugensi ubi quatuor sunt monasteria ejusdem ordinis Canonici, nulla tamen habent eadem statuta, sed diversa, quæ nihilominus quia nec statum nec habitum, qui solet esse status indicium, immutant, nullam specificam differentiam inducunt, alias enim sequeretur tot esse ordines diversos in ordine Canonico-Augustiniano quod diversa cœnobia, quæ sequela à nostris, risibus & sibilis fuit excepta, illud hîc pro coronide notandum eundem Joannem Buschium lib. 1. Chronici Windesemensis c. 13. habere hæc expressa verba. *B. Augustinum Ordinis nostri constat esse institutorem.*

CAPVT XIII.

34. HIc mos igitur cum non lateat Ecclesiam, hanc professionis formulã: *Promitto obedientiam, castimoniã, proprii carentiam & vitam Canonicam juxta Regulam S. Aug. & statuta hujus monasterii*, non admittit eadem sancta mater Ecclesia, nisi iuxta generalem ordinis ejus intentionem & morem, qua quove profitens, tres substantiales virtutes tan-

tum, solet ipse promittere observandas juxta ordinis consuetudinem id est juxta Regulam S. Aug. & statuta congregationis, vel Monasterii, quatenus pro more obligant. Neque enim omnia quæ habentur in Regulâ Augustinianâ obligant, neque omnia quæ obligant ad mortale obligant; & statuta ex more tantum obligant ad pœnam, non vero ad culpam; neque enim hîc magis consuetum est facere quartum votum solemne quam in ordine S. Benedicti. Nam quantum ad votum stabilitatis vel hoc non distinguitur à voto obedientiæ (exprimitur enim quod præsertim, etiam velit quis obligari obedire in hac materia stabilitatis) ut Laurentius Landtmetere vult in Commentario Regulæ Augustinianæ, vel tantum est pactum inter Conventum, & profitentem, ut advesario placet commentanti in Regulam S. Benedicti. Sicut & quod additur *& Canonicam vitam* non est quid distinctum à tribus votis, juxta Regulam S. Augustini, & statuta congregationis vel monasterii scripto tradita, vel solis moribus usitata, statui Canonico consentanea, servandis quia in eorũ observantià sita est vita Canonica. Vnde particulæ illæ, *juxta Regulam S. Aug. & statuta Monasterii,*

nasterii, non ponunt materiam voti maximè quoad ſtatuta, ſed tantum exponunt modum, quo ex more ordinis, tria vota ſubſtantialia veniant obſervanda. Id vel ex eo patet, quod illis in ſtatutis non tantum ſummus Pontifex diſpenſare poſſit, ſed etiam inferiores Prælati, qui eadem & mutant addendo; detrahendo, vetera abolendo, nova intrudendo juxta circumſtantiarum exigentiam, ut nos vidimus. Porro omnia ſtatuta, in quibus ſummus Pontifex diſpenſat, aut Superiores ordinis, accidentalia ſunt, & dogmata ordinem ſpecificantia, vel mutantia dici non poſſunt, juxta Adverſarium 1. parte Libræ titulo de diſtinctione Religionum nůmero 18. quod etiam inde confirmari poteſt; nam aliqui Canonici Reg. S. Aug. eodem ordine, ſalvo manente, quoad ſtatum & habitum eſſentialem, & invariato, nunc ſtatuta Aroaſiana, nunc Victorina, & tandem Windeſemenſia aſſumpſerint, ut Adverſarius alibi notat de Dominis Cyſonienſibus, quos toties fractæ profeſſionis reos proclamare non parva injuria eſſet, vel aſſerere ordinem variaſſe, temeritas.

35. Adde non abſimilem eſſe formulam profeſſionis, Noviciorum ordinis S. Benedicti, congre-

congregationis Vallis-vmbrosæ, apud Ascanium in formulario Abbatum formula 1. hanc scilicet: *Ego Frater N. promitto stabilitatem meam, & conversionem morum & obedientiam, & castitatem perpetu..... secundum Regulam S. Benedicti Abbatis & institutum Sanctissimi Patris nostri Ioannis Gualberti coram Deo & Sanctis ejus &c. sub obedientia Vallis-vmbrosæ Abbatis Generalis.* Ecce promittunt illi virtutes substantiales Religionis, non tantum juxta Regulam S. Benedicti; sed etiam secundum institutũ S. Joannis Gualberti, nec tamen propterea desinunt esse Benedictini, etiã ex mente Adversarii: quamvis hi communiter tantum soleant profiteri easdem virtutes secundum Regulam S. Benedicti nullâ factâ mentione particularis statuti vel instituti: quare mentio statuti additi supra Regulam in formula professionis non necessario variabit ordinem. Atque ita vacillant ea quæ adversarius tradit suâ in librâ numero 20.

CAPVT

CAPUT XIIII.

36. PRæterea ſpecificam hanc unitatem, duobus in locis, probat Emmanuel Rodericus, non bene explicatus ab Adverſario ſupra numero 22. probat inquam tomo 1. q. 1. art. 3. & tom. 3. q. 49. art. 3. ſequens duos Scriptores Canonici Ordinis S. Aug. Joannem Trullum Aragonenſem & Auguſtinum Ticinenſem, ex quibus ſic concludit; *Omnes Canonici Reg. ejuſdem Ordinis, & Religionis ſunt, hanc ſubjungens rationem: ubi idem eſt habitus & profeſſionis ratio, ibi eſt eadem juris diſpoſitio, ſed univerſi Canonici Regulares eandem profeſſionem emittunt, eundem habitum gerunt, nempe togam lineam, igitur omnes Canonici Regulares etiam Cathedrales ſunt cum reliquis ejuſdem Ordinis & Religionis.* Quo ferè modo etiam diſcurrit Andreas Cattulle in ſuo motivo Juris, immerito propter hoc, ab Adverſario alibi reprehenſus. Tum demum addit Rodericus (quod bene notatum volumus ab Adverſario) *nemo enim profecto vir cordatus non leviculam rationem exiſtimaturus eſt, quod hac ſola exigui momenti conſideratione, quia* Nota.

ſcilicet Eccleſia alioquin Regularis, Cathedralis eſt, monaſterium eſſe deſinat, ipſiuſq; Canonici à verorum Canonicorum Regularium prædicamento & conſortio excludantur, ad hoc ſanè ferendum judicium Eccleſiæ Cathedralis ratio impertinens eſt. Jta Rodericus, quem Adverſarios in Regularibus controverſiis verſatiſſimum ſe recolere dicit & ſuſpicere. At Rodericus exiſtimat, Cathedralitatem (ſic loquamur) parvi momenti eſſe, ad inducendam differentiam ſpecificam, inter Canonicos Reg. Cathedrales, & Conventuales, contra vero Adverſarius numero 172. Et alibi, eandem formalitatem ad idem negotium, magni momenti eſſe, ſentire videtur; & omnem præeminentiam ad eam trahere, ſed hoc obiter. Jnterea Rodericum adſtruere, citatis locis, unitatem ſpecificam Ordinis Canonico-Auguſtiniani, liquet ex eo quod agat de iis Canonicis, quorum proprium habitum, eſſe dicit togam ceu veſtem lineam, quam conſtat eſſe eſſentialem habitum Canonicorum Regularium S. Aug. Nam Canonici Reg. S. Norberti & S. Salvatoris Bononienſes, geſtant ſcapulare cum cuculla in ſignum ordinis diſtincti. Habitus enim idem vel diverſus, eſt ſignum ejuſdem vel diverſæ

verſæ profeſſionis, juxta Doctores *in Clement.* 1. *de elect.*

Denique in modo ſuo procedendi, & probandi ſequitur, ut dixi, rationes & auctoritates duorum Canonicorum Regularium S. Aug. qui de Canonicis ſui Ordinis loquuntur, Quando ergo Rodericus docet, omnes Canonicos Regulares eſſe ejuſdem ordinis & Religionis de Canonicis Reg. S. Aug. dubio procul, loquitur ut ſit ſuppoſitio univerſalis commoda, nam illi & eandem profeſſionem faciunt & eundem habitum, togam ſcilicet lineam vulgò Rochetum geſtant, quæ ratio Roderici eſt, pro unitate & identitate ordinis horum Canonicorum Cathedralium ſcilicet & Conventualium probanda.

37. Nec propterea Auctor hic ſibi erit contrarius, innuens tomo 1. q. 3. art. 1. hanc identitatem ceu unitatem, non eſſe inter Canonicos Reg. Lateranenſes Ordinis S. Aug. & prædictos Canonicos Salvatorienſes & ſimiles, qui nec eandem profeſſionem faciunt, nec eundem habitum geſtant, ut de his & Præmonſtratenſibus dictum eſt, quam faciunt Canonici Auguſtiniani, ut proinde, inter hos & illos, non ſit unitas ſpecifica ordinis, ſed Generica tantum:

hinc tamen non ſequitur, non eſſe unitatē ſpecificam inter ipſos Canonicos Reg. S. Aug. Cathedrales & Conventuales, eandem profeſſionem facientes & habitum eundem geſtantes, ut clarum eſt. Neque tamen eadem eſt ratio, de Canonicis Regularibus S. Arnulphi, quorum ibidem etiam mentionem facit Rodericus, quia illi, ut ſolidè probat Gabriel Pennottus ſunt verè Canonici Reg. S. Aug. refutans Abbatem Joachimum, & Hieronymum Romanum, quos ſecutus eſt Rodericus, qui etſi verſatiſſimus ſit in jure regulari, tamen quando de ordinum Regularium originibus ſcribit, id tradit, quod de eis apud nonnullos Hiſtoricos & Chronographos, abſque exactiore examine inuenit. Videatur Pennottus lib. 2. generalis hiſtoriæ cap. 2. Item eodem lib. cap. 56. item cap. 51. quibus in locis, ſolidè refutata ſunt multa, quæ Adverſarius habet parte 3. Ectheſi 11. n. 280. Vbi etiam Chronologia Bellarmini citatur, quaſi faveat Adverſario contra nos; ſed in eâ hæc reperio: *Circa hæc tempora ſcilicet annum Domini 398. Sanctus Auguſtinus inſtituit ordinem Clericorum Regularium; qui ſimul cum ipſo vitam Communem ducebant.* Et infrà circa annum 524. *Ordo Monacho-*

rum

rum S. Benedicti hoc tempore incipit. Jtem ad annum 1106. *Ordo Cistertiensis, Auctore S. Roberto.* Qui ordo, juxta Adversarium, non tam est ordo distinctus ab ordine S. Benedicti, quam quædam ejus sicut Cluniacensis, congregatio. Denique ad annum 1118. sola hæc verba: *Ordo Canonicorum Reg.* absque ullo addito verbo institutionis vel restitutionis, nullâ etiam additâ mentione Auctoris seu Fundatoris. Jtaque tantum insinuat Bellarminus, Ordinem Canonicorum Regularium, quem supra posuerat institutum à S. Augustino diu ante ordinem Benedictinum in variis Congregationibus, Aroasiensi Victorina &c. circa hæc tempora, visum fuisse valde refloruisse, quod annotarunt alii Chronologi vetustiores Sigibertus in Chronico, Vincentius Belluacensis in speculo historiali. S. Antoninus in summa historiali; titulo 15. c. 16. Vbi sic legitur: *Circa annum Domini 1080. ut refert Vincentius Hist. in speculo lib. 26. c. 51. Post Sigibertum tempore Gregorii VII. Papæ & Henrici Imperatoris cœpit reflorere in Ecclesia S. Quintini Beluacensi Ordo Canonicorum Reg. primum ab Apostolis, postea à S. Augustino Episcopo & Doctore eximio regulariter institutus, sub Magistro Ivone Vene-*

rabili ejusdem Ecclesiæ præposito, postea Carnotensi Episcopo, qui post Isidorum fecit compilationem antiquam decretorum. Hæc Antoninus. Quem sequuntur Wernerus Cartusianus Auctor fasciculi temporum, Lucidus Historicus lib. 10. de Rebus post Christi adventum gestis c. 7. & alii infra suo loco citandi. Atque ita Bellarminus bene excussus, pro nobis militat contra Adversarium: quod hic obiter indagare & annotare placuit, ut non terreatur Lector multitudine Auctorum ab Adversario pro se suisque adductorum, qui si singuli excutiantur & probè examinentur, multi deprehendentur tales, qualis Bellarminus, adversantes potius Adversario, quam pro eo militantes. Veritas una est, sibiquè semper constans & eadem: quam traditam novimus à summis Ecclesiæ, *quæ Columna est & Firmamentum veritatis*, Præsulibus, qui quando de origine Ordinis Canonicorum Reg. S. Aug. loquuntur, eum ab Apostolis, seu Christi gloriosis Discipulis, per restitutorem Augustinum fluxisse tradunt, à quibus dissentire voluisse, credendum non est, Bellarminum magnum Romanorum Pontificum cultorem, & propugnatorem: duos audivimus scilicet Benedictum

XII.

XII. & Martinum V. plures infra Deo favente suo loco audituri. Hæc pro nostrâ unitate specificâ, etiam ex Roderico collecta, quem priusquam deseramus, non abs re erit quædam ex eodem annotare, quæ concernunt controversiam de Monachatu Canonicorum Regularium.

CAPVT XV.

38. QVærit itaque Rodericus tom. 1. q. 1. art. 3. utrum Canonici Regulares sint verè Monachi, & respondet dicendo: *Panormitanus ait quod in pœnalibus & exorbitantibus, appellatione Monachi non venit Canonicus* Reg. *quod confirmat divus Thomas dicens Canonicos Reg. quatenus tales Clericos esse dicendos, & probat eo quod Regula quam vovent appellatur Regula Clericorum ut videre est apud D. Augustinum & ita appellat eam Gratianus, & hoc confirmatur ex quadam sententia litis Canonicorum Reg. ordinis S. Aug. Congregationis Lateranensis adversus Monachos S. Benedicti congregationis Cassinensis alias S. Iustinæ de Padua, pro præcedentia, data à Pio IV. anno Domini 1564. in bulla quæ incipit: Sedis Apostolicæ circumspecta, ubi Pius IV. facit*

sæpe

sæpe sæpius distinctionem inter Canonicos Reg. & ipsos Monachos dicens ipsos Canonicos Reg. esse de illis Clericis à Sancto Augustino reformatis, imo à Sanctis Apostolis institutis, provt à parte ipsorum fuit allegatum. Vnde Navarrus hac ratione & aliis juribus à se allegatis, distinctionem facit inter Monachos & Canonicos Reg. sicut facit distinctionem Rubrica de statu Monachorum & Canonicorum Reg. & cum lex pœnalis non debeat excedere proprium casum provt habetur in jure, videtur dicendum, quod saltem lex pœnalis loquens de Monachis non debeat extendi ad Canonicos Reg. verum est tamen quod quando est eadem ratio de Canonico & Monacho, cum in hoc secundum jus antiquum reperiantur exæquati, fit extensio etiam exorbitantium & pœnalium ut resolvit Dominicus. Et sic jus vetans Monachis postulare comprehendit etiam Canonicos Regulares, provt in alio jure decernitur. Et ratio est quia causa qua vetatur Monachus postulare, fundatur in abrenuntiatione temporalium, quæ ratio æquè militat in Canonico Reg. eo quod perinde renuntiat temporalibus per tria vota solemnia, ac Monachus, & quoad hanc renuntiationem jure antiquo reperiuntur æquales ut colligitur ex Regula Divi Augustini & Divi Benedicti, ex quo infertur

veros

veros esse Religiosos regulam determinatam, & à sede Apostolica confirmatam profitentes. Jta Rodericus, qui nullum hic ponit medium Ordinem Canonicorum Reg. inter Cathedrales Canonicos & Monachos, nec ullam ponere potuit, si consequenter scribere voluerit, ut qui supra prout vidimus, dixerit omnes Canonicos Reg. esse unius & ejusdem ordinis sive sint Cathedrales sive Monasteriales, modò sint Canonici Reg. S. Augustini. Quod etiâm clarè convicimus ex constitutionibus Benedicti XII. latis tam pro his, quam pro illis.

39. Vt planè pro fictitio habendus sit, ordo ille medius, quem Adversarius obtrudere conatur 3. parte conclusione 13. numero 188. Rodericum autem sequitur Andreas Catulle suprâ, quem in multis errasse, ibidem contendit Adversarius; sed videndum est, an qui alium errasse contendit, ipsemet non erraverit, ad litteras Apôstolicas Alexandri IV. per Eugenium IV. & Nicolaum V. confirmatas & illas subsecutam constitutionem Pii IV. de jure præcedendi, Canonicis Regularibus adjudicato, quas idem Catulle allegavit, sic respondens: *Et ego has litteras admitto & tamen favere*

nostris Canonicis Reg. nego, non enim ipsorum sed Lateranensium meminere Pontifices; tam enim ipsi & Lateranenses Canonicorum nomine comprehenduntur, quam Monachorum Benedictini & Franciscani. Maneat igitur 1. *Ordinem Canonicorum Reg. qui in Gallia, Germania, Hispania & aliis similibus Provinciis reperiuntur magis à Lateranensibus quam Cistersiensibus distingui. Maneat* 2. *esse novum ordinem inter Canonicale & Monachale medium &c.* Huc usque Aduersarius sup. num. 194. qui facilè errare, in hoc convincitur, vel ex ipsis monumentis Pontificiis, ut jam videbimus. Jllene novus in Ecclesia ordo, qui ex Benedicti XII. ex Ordine Cistersiensi ad Pontificatum assumpti constitutionibus, & aliorum Pontificum diplomatibus, quorum postea suo loco (favente numine) verba recitabimus, *à gloriosis Christi Discipulis sacris institutionibus dignoscitur stabilitus?* Ita habent verba Benedicti Papæ XII. directa non tantum ad Canonicos Reg. Ordinis S. Aug. congregationis Lateranensis per Italiam; sed ad omnes ejusdem Ordinis Canonicos per totam Ecclesiam Orientalem & Occidentalem diffusos. Ad Ebredunenses, Aquenses, Arelatenses, Lugdunenses,

Tha-

Tharantaſienſes, Biſuntinos, Remenſes, Senonenſes, Rothomagenſes, Turonenſes, Burdegalenſes, Bituricenſes, Tholoſanos per Galliam; Salisburgenſes, Magdenburgenſes, Bremenſes, Colonienſes, Moguntinenſes &c. per Germaniam. Majoricenſes, Toletanenſes, Hiſpalenſes, Compoſtellanenſes & Bracharenſes per Hiſpaniam. Conſtat ex paragrapho 19. ſupra recitato conſtitutionum prænominati Pontificis, ſupponentis tamquam indubitatum, hos omnes Canonicos ſive Cathedrales ſive Conventuales per Germaniam, Galliam, Hiſpaniã, & vicinas provincias repertos, eſſe ejuſdem Ordinis, prout & in libro taxarum, non alio titulo quam Ordinis S. Auguſtini, ab aliis diſcernuntur, *Et quidem à glorioſis Chriſti Diſcipulis in primitivâ Eccleſiâ ſtabiliti*. Contra quem, hic recentior ſcriptor, novâ audaciâ commentari ne dicam comminiſci incipit, horum Canonicorum ordinem novum, magis à Lateranenſibus, quam à Ciſtertienſibus diſtingui: quod dum ſcriberet *miror vel ipſum ejus atramentum præ rubore non verſum fuiſſe in minium*, Vt S. Auguſtini phraſi utar, ſic ſcribentis contra Julianum.

CAPVT XVI.

40. INterea ipſimet Lateranenſes non tantum fatentur, ſed etiam hanc controverſiam ex profeſſo tractantes, ſcriptis ſuis propugnant, hos omnes Canonicos, & quidem expreſsè etiam Aroaſienſes (fremat licet invidia) eſſe ſecum ejuſdem Ordinis, quamvis diverſæ congregationis; non ſecus ac Adverſarius ſuſtinet Benedictinos v. g. Caſſinenſes & Ciſtertienſes, eſſe ejuſdem Ordinis, quamquam diverſæ congregationis. Legatur Gabriel Pennottus Canonicus Regularis Lateranenſis congregationis, ejuſque non ſemel Rector Generalis, de ſuo ordine Canonico-Auguſtiniano, ſi quis alius, optimè meritus. lib. 2. Generalis Hiſtoriæ cap. 43. & eodem lib. c. 58. cujus hic eſt titulus: *Quod Canonici dictarum congregationum eſſentialiter ſint unius, & ejuſdem Ordinis inter ſe & cum antiquis Canonicis à B. Auguſtino & Sanctis Apoſtolis inſtitutis.* Jtem eodem libro cap. 74. idem habet hæc formalia verba: *Hic Ordo (nimirum Canonicorum Reg. S. Aug.) juxta varias reformationes, quas progreſſibus temporum accepit,*

in multos Canonicorum cœtus fuit divisus, & *congregationibus decoratus*, *quarum* 1. *est congregatio Lateranensis*, & *hæc in* Italia, 7. *S. Nicolai de Aroasia Provinciæ Atrebatensis in Gallo-belgica* (quæ in distinctione provinciarum facta à Benedicto XII. sub Remensi tunc comprehensa fuit) 18. *Windesemensis in Belgio*. Ita ille.

41. Et quidem de Windesemensibus (ut & hoc obiter hic notemus, quia de Aroasiensibus infrà de industriâ peculiari) liquidum est ex verbis Martini V. suprà allegatis, quæ hic iterum refricare non erit otiosum. Ait ergo Pontifex: *Ad hanc sanè mirabilem pulchritudinem, quâ splendet & splenduit quasi varietate circumdata ipsa mater* [Ecclesia scilicet] *retroactis temporibus adjecit plurimum ordo vester qui sicut à suis primordiis post Beatos Apostolos Christi per regularia S. P. Aug. instituta luculenter per orbem effloruisse dignoscitur: ita etiam nunc, divina propitiante gratia, iis novissimis temporibus eundem Ordinem, in monasteriis vestris per disciplinæ Regularis & fraternæ visitationis observantiam, fœlici pullulatione reflorere & uberrimam exinde animarum frugem Deo referri læti gratulamur.* Huc usque verba Pontificia, quæ priusquam diligen-

tiori trutinâ ponderemus; juvabit hic per transennam quiddam annotare, ex iis quæ scripsit Adversarius Commentario in Regulam S. Benedicti disp. 34. titulo de variis generibus Cœnobitarum numero 345. Vbi de Carmelitano Ordine agens sic habet: *De eorum origine & antiquitate placet doctissimi Suarii resolutio. Est valde recepta & satis antiqua traditio ait tomo. 1. de Religione l. 2. cap. 10. Religionem hanc à temporibus Prophetarum & signanter ab Elia institutionem suam ducere originem, & quasi hæreditariam successionem in monte Carmelo à quo nomen etiam accepit: quam traditionem ut veram suscipimus, præcipuè quia septem summi Pontifices ----- in bullis huic Ordini concessis, de professoribus hujus sacri instituti, ita loquuntur.* Hîc Adversarius asserit, placere sibi resolutionem doctissimi Suarii de origine & antiquitate Ordinis Carmelitani, quæ præcipuè fundata est in bullis Pontificum: pari ergo ratione si consequenter loqui velit assertionem hanc nostram admittere cogitur, quâ sustinemus contra illum, Canonicum Ordinem non esse novum, nequidem respectu Windesemensium, Aroasiensium & similium, sed eundem esse cum Ordine Lateranensium, & quidem

dem adeo antiquum, ut antiqua sit traditio, eum ab Apostolis originem ducere, præcipuè (ut urget Suarez quem ille sequitur) quia summi Pontifices, & inter cæteros, quos postea proferemus, Benedictus XII. de omnibus tam Lateranensibus, quam Aroasiensibus & similibus suprà, Martinus V. hîc de Windesemensibus, in bullis suis huic Ordini concessis de professoribus hujus sacri instituti ita loquuntur. Quo prænotato.

42. Reflecto ad illa verba, ejusdem Pontificis Martini V. quibus testtaur, Ordinem Canonicorum Sancti Augustini quem Windesemenses, eo tempore, in sua congregatione, ceu capitulo reformandum suscipiebant: *Ad pulchritudinem sanctæ matris Ecclesiæ Sponsæ Christi retroactis temporibus* [in aliis scilicet, Monasteriis & Ecclesiis, ante hanc congregationem, quæ tunc jam nata à Pontifice confirmabatur] *plurimum adjecisse & quidem à temporibus Apostolorum.* Ita Pontifex. Contra quem Scriptor hic modernus, de eo Ordine, quasi de recente, scribit; imo novum probare contendit. Quem idem Pontifex à suis primordiis post Beatos Apostolos Christi per regularia S. P. Aug.

Aug. inſtituta, luculenter per orbem effloruiſſe dignoſcit, recentior hic commentator non ſine injuriâ, obſcurans ejus luculentiſſimos, & florentiſſimos progreſſus, poſt tempora Apoſtolorum, per Galliam, Hiſpaniam, Germaniam, Belgium &c. 3. parte concluſione 18. n. 236. perſuadere conatur, tunc novum Ordinem natum fuiſſe, cum fundatum eſt Monaſterium Canonicorum Reg. in Windeſem anno 1387. ex compendio privilegiorum Windeſemenſium; cum Pontifex ſignanter dicat, non tunc incepiſſe eundem Ordinem, ſed fœlici pullulatione refloruiſſe, eundem inquam, Ordinem, quem ſtatim ante dixerat, luculenter per orbem (quo etiam inſinuatur ejus unitas ſpecifica, reſpectu omnium Canonicorum Reg. S. Aug. per orbem diffuſorum) effloruiſſe, quod planè ipſum refloruiſſe ſupponit; neque enim aliquid rectè reflorere diceretur, quod ante non floruiſſet.

43. Jtaque hîc peto & jnſto: ubi floruit hic Ordo poſt tempora Apoſtolorum & S. Aug. nunquid in ſolâ Jtaliâ, in congregatione Lateranenſi? non profectò. Quamobrem? quia non obſcurè ſed luculenter retroactis temporibus per orbem ait Martinus Pontifex, cujus Provincias,

vincias, Benedictus XII. specificaverat, in quibus per varias reformationes & congregationes quarum 1. est Lateranensis. 7. est Aroasiensis (de quâ posteâ) jam dudum effloruerat, & iis novissimis temporibus in monasteriis congregationis Windesemensis, quæ 18. est eundem ordinem, felici pullulatione reflorere Martinus Pontifex lætus gratulatur.

CAPUT XVII.

44. Hinc elucet quantâ facilitate, dejecta à nobis sint, quæ tanto molimine, constructa fuerant ab Adversario, pro adstruendâ conclusione sua 18. hâc nimirum: *Etiam ordine Windesemensi, Cistertiensis est antiquior.* Quæ ferè in imaginario illo principio, fundamentum habent, quod ibi positus putetur novus Ordo, ubi tantum veteris ordinis, per reformationem; ut fieri solet, nova posita est congregatio, adeo ut unius antiquissimi ordinis Canonico-Augustiniani; duæ sint inter cæteras, congregationes Lateranensis & Windesemensis, ut ipsimet Lateranenses quemadmodum suprà vidimus, probant & propugnant. Quæ

considerationovit primitivos Dominos Windesemenses, ut solliciti essent, pro impetrandis ab Innocentio VIII. privilegiis, quibus fruitur Congregatio Lateranensis, (fit enim plerumque ut in eodem ordine, in quo plures sunt congregationes, una fruatur privilegiis, quibus non fruitur altera, quare instantia de Jesuitis Belgis ab Adversario opposita petentibus privilegia Jesuitis in genere concessis non est ad rem) quia congruum ipsis videbatur, ut qui erant ejusdem ordinis, & diversæ tantum, sub eodem ordine, congregationis, etiam iisdem privilegiis, in primis gauderent; quod etiam impetrarunt, ex eodem privilegiorum compendio pag. 58. apud Adversarium supra. Vbi sic ad verbum: *Ex quo Innocentius VIII. concessit Capitulo nostro Windesemẽsi uti & gaudere posse omnibus & singulis privilegiis congregationi Ecclesiæ Lateranensis, & congregationi S. Iustinæ Ordinis S. Benedicti------concessis & concedendis, &c.* Quæ verba bonus vir allegat pro se cum tamen (quod Cattulle in simili occasione accedisse putat) potius militent contra ipsum; neque enim dicitur privilegia esse concessa Ordini Windesemensi, quasi distincto ab ordine Lateranensi, sed Ca-

pitulo

pitulo Windesemensi: nec legitur ordini Lateranensi sed Congregationi: per quod insinuatur hanc congregationem & illud capitulum fuisse & esse ejusdem ordinis Canonicorum Reg. S. Augustini, distincti ab eo qui statim subjicitur: *Et congregationi S. Iustinæ ordinis S. Benedicti*: quâ occasione

45. Adverto hîc ex Adversario Comment. in Reg. S. Bened. disp. 34. sup. cit. titulo de congregationibus, atque reformationibus Benedictinorum numero 351. Ordinem S. Benedicti dividi in plures congregationes, quæ ex mente Adversarii, non sunt ordines diversi, quamvis sæpius ab Auctoribus etiam antiquis, ordines vocentur, & sint, à diversis viris sanctissimis, diversis temporibus, institutæ, sed solummodo diversæ provinciæ & reformationes unius & ejusdem Ordinis Benedictini: quod de Cistertiensi se demonstraturum potius, quam probaturum Adversarius ibidem pollicetur. Vbi utitur verbo *Demonstrabo*. Verùm si ejus demonstratio ad leges dialecticas examinetur, facilè comperietur, quod si Andreæ Cattulle demonstratio, sit tertia species demonstrationis, dictatis Philosophicis interserenda, ut per Sarcasmum

camum monet Adversarius numero 331. Libræ: hæc futura sit quarta Caramuelis superserenda, & eo loco habenda, quo solet quarta figura Galeni. sed nugas nugonibus relinquamus, & Sarcamos histrionibus. Ad seria. 1. est Cluniacensis, ait, 2. Camaldulensis. 3. Vallis-umbrosæ. 4. Cistertiensis. 5. Grandi-montensis. 6. Humiliatorum. 7. Sylvestrinorum. 8. Cælestinorum. 9. Olevitanorum. 10. S Justinæ de Padua, alias Casinensis. 11. Burisveldensis 12. Vallis-olevitana &c. Quas omnes non credit Adversarius esse Religiones diversas à Benedictinâ, sed ejus tantum multiplices congregationes. At idem de Canonico suo ordine sustinent Canonici Reg. S. Augustini, & scriptis etiam propugnant Scriptores Lateranenses, supra citati, & probant ex bullis Pontificum, maximè ex generalibus Constitutionibus Benedicti XII. sæpius repetitis, (quæ ad minimum moralem faciunt certitudinem, quâvis humanâ majorem, etiam ex mente Adversarii:) eum scilicet non esse divisum in varios Ordines, sed in varias unius ordinis congregationes quarum 1. est Lateranensis. 2. S. Frigdiani Lucensis. 3. S. Rufi. 4. S. Laurentii de plebe Martyrum.

5. S.

5. S. Crucis Mortarienſis. 6. S. Mariæ in portu Adriatico apud Ravennam. 7. S. Nicolai de Aroaſia. 8. Marbacenſis. 9. S. Sepulchri Hieroſolymitana. 10. S. Crucis Colimbricenſis. 11. S. Mariæ ad Rhenum. 12. S. Victoris Pariſienſis. 13. S. Jacobi de Cella-velana. 14. S. Mariæ de Crecentiaco. 15. Viridis-vallis. 16. Miſſienſis. 17. S. Marci. 18. Windeſemenſis; quæ partim adhuc florent, partim jam deſierunt, apud Pennottum ſupra.

CAPUT XVIII.

46. QVæ omnia confirmari poſſunt ex Bullâ Pii V. motu proprio, non ad inſtantiam Canonicorum Reg S. Aug. ſeu alicujus eorum ſuper hoc oblatæ petitionis, datâ Romæ apud S. Petrum ſub annulo piſcatoris die 18. Decemb. Anni 1570. Pontificatus ejus 5. præfixâ officiis propriis Sanctorum ejuſdem ordinis, quorum feſta per eam ſpeciali privilegio, illis conceduntur celebrari. *Licet Eccleſia Dei ſponſa tunc verè jubilationis ſuæ fructum reportet &c.* Ubi circa initium clarè leguntur hæc ejus Pontificis verba: *Attendentes*

tamen dilectos filios Canonicos Reg. Congregationis Lateranensis ordinis S. Aug. eorum patrem ac primum Apostolici illius ordinis reformatorem S. Augustinum prædictum, ac præterea insigniores ejusdem ordinis Sanctos Martyres ac Confessores------debita ut par est veneratione, cupere in eorum præsertim diebus, quibus in Domino obdormire eisdem obtigit, celebrare. Nos propterea pium desiderium plurimum in Domino commendantes---concedimus.

47. Hîc vides apertè Pontificem appellare, cætum Canonicorum Lateranensium, congregationem ordinis S. Aug. eodem plane modo, quo cætus Cassinensium Monachorum v. g. vocatur, congregatio ordinis S. Benedicti; supponendo in ordine S. Aug. dari plures congregationes quarum illa primaria est in Italia, jam præ cæteris illustris & famosa; ut nequidem ulla umbra sit apparentiæ (confidenter dico) Lateranensem, Aroasiensem, Windesemensem &c. Esse ordines distinctos. Apage tale monstrum nonnisi ex monstroso cerebro natum. Vides 2. hunc ordinem S. Aug. hîc honorari titulo *Apostolici*, à Domno Apostolico, non aliâ de caussa quam quia is suis prædecessoribus consonare voluit, in suis diplomatibus hunc ordinem

ab A-

ab Apoſtolis inſtitutum tradentibus: quod ipſum planè inſinuare voluit, cum vocat S. Auguſtinum, non ejuſdem ordinis fundatorem (quamquam & hoc aliquo ſenſu, ab aliquibus non malè dicatur) ſed concepto verbo *Reformatorem*. Cujus quæſo ordinis? Canonici Apoſtolici ſanè. Cujus congregatio Lateranenſis, nobile quoddam membrum eſt, non integrum corpus ut ipſamet congregatio Lateranenſis Pontifici ſubſcribens ingenuè fatetur, non arrogans ſibi totalitatem ut ita loquar, Canonici corporis, ſed gaudens ſe eſſe vel unum tanti corporis membrum, non ſine ægritudine latura, ubi intellexerit, noviſſimis his temporibus, quæ novatoribus abundant, non deeſſe qui libris editis audent in ipſo corpore ſciſſuram facere, illudque debitis ſuis membris mutilare, qua ſcientiâ vel conſcientiâ, judicent omnes probi & eruditi. Vides 3. eundem Pontificem dare facultatem officio publico celebrandi, præcipuos & illuſtriores Sanctos Canonicis Lateranenſibus, Sanctos, inquam, non illius ſolius congregationis, ſed Canonici ordinis, per orbem diffuſi; Anianum qui primò fuit Clericus, & poſtea Epiſcopus Eccleſiæ Alexandrinæ, S. Marci

Diſci-

Discipulus & Successor, in quam Ecclesiam Alexandrinam, hic ordo ab eodem S. Marco fuit invectus, ut tradit Euginius IV. in bulla infra suo loco allegandâ. Sanctum Gelasium Papam I. quondam B. Aug. Discipulum & Clericum illius Regulam professum, doctrinâ & sanctitate conspicuum, qui sub Leone I. Pont. Max. Romam venit, à quo perbenignè acceptus, & in Ecclesia Lateranensi collocatus, in ea Canonicum ordinem, ad præscriptum ejusdem Regulæ Augustinianæ, tandem reformavit: qui ordo in eâdem Ecclesiâ Patriarchali, & omnium primariâ per annos octingentos, usque ad Bonifacii VIII. tempora, perduravit. Sanctum Prosperum, etiam sub eodem Leone I. Canonicis Lateranensibus associatum, S. Augustini sectatorem ejusque doctrinæ propugnatorem acerrimum. S. Frigdianum à Pelagio primo honorifice susceptum, Clericum ordinatum, & etiam inter Canonicos Lateranensis Ecclesiæ constitutum. S. Patritium à Romano Pontifice Cælestino benevolè etiam susceptum, itemque Clericis Canonicis ejusdem Ecclesiæ Lateranensis annumeratum, tandemque in Hiberniam missum, ubi eundem ordinem ut constans habet

bet illius gentis traditio, mirificè propagavit. S. Ubaldum Episcopum Eugubinum; qui ut legitur in Breviario Romano die 16. Maii *Sacerdos effectus, patrimonium suum pauperibus & Ecclesiis distribuit: & Canonicorum ordinis S. Aug. institutum suscipiens illud in patriam transtulit, atque in eo aliquandiu Sanctissimè vixit.* Ita ibi ad verbum. S. Guarinum Cardinalem, Episcopum Prænestinum, qui ordinem Apostolico-Canonicum per Italiam, suâ sanctitate condecorarunt. S. Thomam Cantuariensem Episcopum & Martyrem, quem priusquam inauguraretur habitum & institutum Canonicorum Regularium in monasterio S. Mariæ de Maritonia ejusdem ordinis sumpsisse, & ibidem professionem fecisse apertè testatur Eduardus ejusdem S. Thomæ Clericus, qui ejus vitam scripsit, quique is fuit, qui pro ipso S. Martyre defendendo, contra invasores impios, in brachio vulnus accepit. Nobilitavit hic illustris Martyr Canonicum ordinem in Angliâ, in qua ante schismaticam defectionem à Religione Catholico-Romanâ innumera ejusdem ordinis fuêre cœnobia: S. Ioannem de Brigdlintona, qui eâdem in Angliâ sanctitate, doctrinâ, scriptis & mira-

culis innumeris, eundem ordinem illustravit. S. Theotonium qui Congregationem S. Crucis Colimbricensis in Lusitaniâ inchoavit. S. Juonem Carnotensem Episcopum qui Canonicum eundem ordinem collapsum, in Gallicanâ Ecclesiâ restauravit. Quos omnes præ cæteris nominatim expressit Pontifex & ordini adjudicavit in diplomate numero 5. quorum postremi licet non fuerint Congregationis Lateranensis; fuerunt tamen Canonici ordinis, & eo titulo dictæ congregationi, utpote ejusdem ordinis, eorum celebratio festorum conceditur. Quæ eadem congregatio eodem titulo, publicè plures alios Sanctos colit officio duplici, ut S. Guillelmum Abbatem Roschildensem, congregationis victorinæ. Item S. Laurentium Dublinensem Archiepiscopum, congregationis Aroasiensis de quo Miræus in fastis Belgicis: *merito*, inquit, *Hic nobis laudandus videtur, utpote qui cœnobiticam vitæ Regulam ab Aroasia Canonicorum Reg. apud Arthesios Abbatia, mutuatus S. Patricii monasterium* (fuit id ejusdem congregationis ut patet ex tabula Abbatiarum) *apud Dublinenses condidit, & Canonicos sæculares in regulares juxta reformationem Aroasiensem transmutavit*. Hæc

Miræus.

Miræus. Ex quo habes etiam Aroasiensem fuisse antiqui ordinis reformationem non novum ordinem, quod notet Adversarius qui aliàs hunc Auctorem libenter in suas partes traheret, ut & multos alios. Plurimos denique alios sanctos, quos videre licet in libro officiorum propriorum, Sanctorum à Canonicis Lateranensibus recitandorum :ex quo hæc petita sunt, quia in eodem diplomate numero 6. ita decernit Pontifex: *Omnium quoq; aliorum dictæ congregationis & ordinis Sanctorum festa, etiam sub duplici officio celebrare*: supple: *conceditur*. Ex quibus omnibus ad oculum patet, tum ex mente & auctoritate Pontificis, tùm ex sensû & usu Congregationis Lateranensis, unum & eundem ordinem Canonicum S. Aug. in dictis congregationibus observari; quod nullus nisi contentiosus fortè & pervicax negare posse videtur.

48. Maneat ergo in ordine Canonicorum Reg. S. Aug. plures esse congregationes, tamquam plura membra unius & ejusdem corporis: non aliter quam in ordine S.Bened. imo fortè veriùs & certiùs, cum id planè doceant diplomata pontificia, qualia pro unitate ordinum Cluniacensis, & Cistertiensis sub ordine generali

S. Bened. nondum producta vidimus, vel proferantur ut facilius credamus. Maneat denique tandem salva unitas specifica ordinis Canonico-Augustiniani hac 1. parte ex Pondere Sanctuarii id est ex momentis & monumentis Pontificiis exactè libratis deprehensa & defensa. Maneat postremo levitas rationum, quibus diversas congregationes Canonico-Augustinianas, diversos ordines esse, Adversarius Cavillabatur in altera lance libræ positarum, digito orbi monstrata & reprobata.

49. Verumenimverò quia hæc generalius dicta sunt, operæ pretium erit paulò copiosius, in particulari ostendere, identitatem ordinis intercedere, inter Congregationes Lateranensem & Aroasiensem, nec hujus ordinem ab illius diversum esse, quod sequenti parte agendum erit & satagendum.

PARS SE-

PARS SECVNDA.

IN DUAS DIVISA

Oſtenditur ejuſdem Ordinis Canonico-Auguſtiniani identitas inter Lateranenſes & Aroaſienſes Canonicos Regulares, & præ aliis Ordinibus Antiquitas & Clericalis dignitas per ſe ipſi competens.

Prior ſecundæ pars partis.

CAPVT I.

50. Uia Adverſarius ſpeciales difficultates, quamquam apparentes tantum, ut ex eorum levitate patebit, inveniſſe ſe putat cōtra Canonicos Reg. S. Aug. Cōgregationis Aroaſienſis, videndū nunc, quid ſtatuendum ſit de cætu horum Ca-

nonicorum & instituto: non pro moderno tempore, quo solo illi Aroasienses sunt, qui ad ipsam specialem & Abbatialem familiam S. Nicolai de Aroasia pertinent. Neque enim alibi modo residentes Canonici Reg. S. Aug. ut Henniaci, Cysonii, Brugis, Valencenis, Tornaci, Phanopii & alibi Aroasienses dicendi sunt, cum Capitulum Aroasiense jam desierit circiter à ducentis annis, si vera sint quæ scribit Gazetius Histor. Eccle. pag. mihi 184. Ultimum Capitulum generale celebratum fuisse Anno Domini 1470. Sed omnes sunt & vulgò habentur Canonici Reg. S. Aug. qualis sunt Loënses, Vormiselenses, Eversthamenses in Flandria, & similes alibi, quorum majores numquam dicto Capitulo subfuerunt, at Episcopo loci cujusque subjecti degunt nobiscum, quod magis competere instituto Canonico arbitramur; sed pro tempore illo antiquo quo tot Abbatiæ unum Capitularem cætum constituerunt, utrum fuerit diversus & distinctus Ordo ab ordine Canonicorum Reg. S. Aug. quod novo oraculo vulgo persuadere molitur Adversarius, an vero ejusdem Ordinis particularis quædam, quod nos & Lateranenses pro comperto habemus, Con-

gregatio.

gregatio. Pro quo ut rem ab ovo exordiamur

CAPUT II.

51. IN primis producenda & ponderanda est bulla Eugenii IV. quæ incipit *Cum ad sacratissimum.* Ubi hic Pontifex inter cætera tradit hæc circa medium: *Divinam in terris familiam Clericorum, qui Religiosam vitam ducerent & ad exemplum nascentis Ecclesiæ sanctam institutionem servarent quos Canonicos Reg. appellamus* [tunc enim Canonici Reg. Italici nondum scilicet ante hanc Bullam, Lateranenses nominabantur] *& sacrum inter Clericos & Ministros Christi vivendi modum in sacrata Basilica* [nimirum Lateranensi] *firmarunt, erexerunt, & perpetuo deputarunt* [Pontifices Romani scilicet prædecessores Eugenii] *Ut hi primæ in terris Ecclesiæ Matris Sanctorum, Apostolica prouidentia curam gererent qui primorum Christianæ Religionis Clericorum normam, traditiones & instituta sectantur. Hujus profecto sacri Ordinis, & sancti Propositi post Sanctos Apostolos primum in Alexandrina Ecclesia Marcus Petri Discipulus fuit institutor & conditor, ac gloriosus Doctor Augustinus Episcopus regulis*

Exstat apud Pennotrũ lib. 3. cap. 21. & in allegationibus Scipionis Lancelloti.

regulis & doctrina decoravit, & Sanctæ memoriæ Vrbanus insignis Martyr & sanctissimus Pontifex generalis decreti ordine reformavit: & Beatissimus Gregorius Augustino Anglorum Episcopo veluti plantationem sacram in commisso sibi populo præcepit institui, & in occidentis finibus ampliavit. Hi sunt profectò qui Sanctorum Patrum vitam probabilem imitantur, & Apostolorum instituta instinctu Spiritus Sancti renovant, qui ad exemplum eorum Credentium convenerunt in unum quibus erat cor unum & anima una; qui Pastoribus suis juxta Ecclesiasticas tradiones obediunt, sicq; hæc sancta & placens Deo institutio antiquitus, & ab ipsis fere primordiis observata extitit, & Sacram Basilicam per prædicti Ordinis Clericos, per longa tempora sancte ac salubriter gubernatam fuisse certissima scientia & veritate comperimus, & hoc evidentissime attestantur innumerabilia documenta &c. Datum Romæ Anno Dominicæ Incarnationis 1446. decimo octavo Calend. Ianuarii, Pontificatus nostri anno 16.

CAPVT

CAPVT III.

52. CIrca quæ pontificia oracula, plurima ſunt ponderanda. Primum. quod Pontifex Ordinem Canonicorum Reg. vocet familiam Clericorum, & ejus ſectatores non Monachos ſed Clericos, etiam antequam in Italiâ apellarentur Lateranenſes, nam hæc nomenclatura ab hoc tempore illis tantùmmodò cœpit adhærere, quamuis eos dicat ducere religioſam vitam; neque enim (ut & hoc hîc ubiter inſinuemus) omnis qui profeſſus eſt vitam religioſam, ſtatim dicendus eſt Monachus, aliàs enim & Clerici Societatis Jeſu & Clerici Regulares Paulini, & ſi qui ſunt tales dicendi eſſent Monachi quod vix aut raro quod ſciam auditur, nec ipſis placeret audire. 2. quod tradat eos ſectari normam, traditiones, & inſtituta primorum Chriſtianæ religionis Clericorum. Igitur ex ſententiâ Pontificis primitivi Clerici profeſſi fuerunt vitam religioſam, quæ ſine tribus votis ſubſtantialibus teneri nequit, ſicut Canonici Reg. Quomodo ergo Recentiores quidam ſcribere audent ſæ-

culares Clericos ſeu Canonicos, Religioſis ſeu Regularibus Canonicis fuiſſe priores? Eſto hi Clerici Religioſi à primâ inſtitutione ſtatim non fuerint dicti Canonici Regulares, quo nomine appellati ſunt, quando Canonici Sæculares ſeu proprietarii, per relaxationem & Eccleſiæ conniventiam oriri cœperunt, & pro diſtinctione huic nomini occaſionem dederunt; parum enim eſt de nomine, cum conſtet de re. Sic nec Monachi S. Benedicti, ſtatim ac orti ſunt, dicti ſunt Benedictini, ſed hæ appellationes ſuborientibus aliis, diſtinctionis cauſâ, à vulgo plerumque primò tribuuntur. 3. Quod Pontifex hoc inſtitutum eorumdem Canonicorum Reg. non congregationem ſed Ordinem appellet & quidem à Sanctis Apoſtolis dirivatum, à S. Marco in Eccleſiâ Alexandrinâ plantatum. Primi igitur Clerici Eccleſiæ Alexandrinæ non ſæculares fuerunt, ſed Religioſi, qui nunc dicuntur Regulares, à Regulâ quam illis præſcripſit S. Auguſtinus, prout ſtatim ſubtexuit Pontifex: *Et glorioſus Doctor Auguſtinus Epiſcopus regulis & doctrinâ decoravit.* Et ita cum Præpoſito in c. 1. 44. diſtinct. nu. 4. tenet Egregius Juriſconſultus Andreas Catulle in ſuo motivo juris circa

ea Controversiam inter Abbates S. Joannis Valencenensem & S. Salvii. nu. 91. & alii cum Penotto contrà Molanum. 4. Testatur Pontifex hunc eundem Ordinem, ab Urbano Papâ Martyre, generali decreto reformatum fuisse. Quod decretum in jus Canonicum est relatum, ac proinde jus Canonicum loquitur, de hujus ordinis Canonicis Reg. prout etiam suprà observavimus circa prologum Constitutionum Benedicti XII. 5. quod maximè facit ad rem, quam jam aggredimur, docet idem Pontifex Eugenius, Beatissimum Gregorium Papam, Augustino Anglorum Episcopo, præcepisse plantationem, ejusdem Ordinis Cannonici, in Ecclesiis Anglicanis, & eundem S. Gregorium in Occidentis finibus ordinem eundem, qui modò servatur in Congregatione Lateranensi, ampliasse. Ergo Ordo hic, non in solâ mansit Italiâ; sed etiam ad alias Occidentis partes Angliam, Galliam, Germaniam, Hispaniam, Belgicam &c. palmites suos extendit juxta diversas provincias etiam à Benedicto XII. in Constitutionibus nominatim designatas, ut in eo ipso impletum videatur quod prædictum est à Prophetâ Regio psa. 79. saltem per figurati accommodationis quæ S.
 Bernardo

Bernardo freqens est. *Vineam de Ægypto* [de Ecclesiâ Alexandrinâ sub S. Marco & Successoribus ejus Aniano &c. ut in initio innuit Pontifex] *transtulisti: ejecisti gentes & plantasti eam. Dux iteneris fuisti in conspectu ejus: plantasti radices ejus & implevit terram. Operuit montes umbra ejus, & arbusta ejus cedros Dei. Extendit palmites suos usq; ad mare: & usq; ad flumen propagines ejus.* At quibus in locis fuit observatus? respondet sæpe citatus Benedictus XII. in Cathedralibus, Collegialibus, Conventualibus & aliis, nominibus aliis intitulatis, utputa Abbatiis, Præpositturis, Prioratibus &c. ex quibus fuit teste inter cæteros, Roderico tom. 1. qq. Reg. q. 1. a. 3. Ecclesia Cathedralis Oxoniensis, in Regno Castellæ sub Didaco Episcopo unde prodiit S. Patriarcha Dominicus, quondam Canonicus ejusdem Ecclesiæ, & Supprior, professus secundum Regulam S. Augustini, quam postea suis fratribus Prædicatoribus, tradidit observandam. Ex quibus fuit Vigoriensis Cathedralis in Angliâ. Cujus meminit Innocentius III. de qua in Jure Canonico, Capitulo Innocentius. De electione. Ex quibus fuit Ecclesia Cathedralis Vintoniensis item in Angliâ. De quâ item in Jure

Canonico

Canonico eodem titulo cap. Cum Viton. Ex quibus Tholoſana Cathedralis de qua cap. de præbendis in 6. & aliæ.

CAPUT IV.

53. QUibus Apoſtolicis oraculis potius credendum reor, quam recentioribus quibuſdam ſcriptoribus Miræo, Beyerlinco, & aliis aliter ſentientibus, ab Adverſario allegatis. Contra quos quaſi ex abundanti, placet adhuc unum veterem Scriptorem, atque alterum in medium proferre, conformia his Pontificiis traditionibus commentantem. Quorum primus ſit Jacobus de Vitriaco, qui cum in Hiſtoriâ ſuâ Occidentali, titulo de duobus generibus Cœnobitarum cap. 13. prænotaſſet, priſcis temporibus, in partibus Occidentis, duas tantum fuiſſe Regularium diverſitates, Monachorum ſcilicet nigrorum S. Benedicti Regulam profitentium, & Canonicorum Alborum ſecundum Regulam S. Aug. viventium; & de his cap. 21. in genere quædam prælocutus fuiſſet, & intereà aliquos ex illis, utpote Canonicos Reg. S. Joannis in Vineis, & S. Au-

berti Cameracensis, & S. Mariæ Blesensis, nec non S. Nicolai Ognjacensis (cujus Ecclesiæ ipse Vitriacus Canonicus Reg. fuit) à virtute Religionis, fervore Charitatis & decore honestatis, plurimùm commendasset, & tandem per varias Regularium congregationes, ad Canonicos sæculares devenisset: de his sequentia scripsit cap. 30. *Non solum autem*, inquit, *supradictæ Regularium Congregationes multiformes, supra S. Aug. regulare fundamentum sub diversis Artificibus varia construxerunt ædificia, sed & Cathedralium Ecclesiarum ministri, quos nunc Canonicos sæculares appellamus, sub eadem Regula communiter à prima eorum institutione Domino servierunt in humilitate, & paupertate, Divinis officiis, lectionibus & orationibus vacãdo. In castris Domini militãtes, simul in refectorio sobrium cibum sumentes, in eodem etiam dormitorio castis cubilibus nocte quiescentes. Sede autem Pontificali vacante, præmissis orationibus & jejuniis, & invocato cum lachrymis de superno spiritus Sancti consilio & auxilio, unum quem digniorem credebant caput sibi præficiebant &c.* Hæc Vitriacus qui Anno Domini 1220. juxta Tritemium & Henricum de Gandavo, floruit.

54. Alter sit Albertus Crantius, etiam au-

ctor antiquus, qui obiit Anno Dominicæ incarnationis 1517. ut patet ex ejus Epitaphio apud Molanum lib. 1. de Canonicis. Hic in Metropoli l. 3. cap. 15. sic habet: *Excepit illum ordine nonus in Ecclesia Hildeboldus, cujus memorabile nomen inde est, quod fratribus suis multa providens benefecerit. Admoneor hoc nomine quod in Annalibus ubiq; lego per Ecclesias vixisse fratres Ordine utiq; Canonico sub Regula S. Augustini.* Ita Cranzius. Notet hoc attentè Adversarius qui 3. parte concl. 19. num. 245. nullibi se reperisse scribit Cathedrales Canonicos alicujus Ecclesiæ vocari talis Sancti, aut talis Religionis fratres, cum intereà Cranzius asseveranter testetur, se in Annalibus ubique legere, per Ecclesias vixisse fratres *Ordine* utique, ut ait *Canonico*, & quidem sub Regulâ S. Augustini. Malus ictus: Theologia moralis sine Chronologiâ nil valet.

55. His adjungi potest Guilielmus Heda Auctor etiam haud recens, qui expressè scribit Canonicos Cœnobitales Trajectenses olim, nunc Ultrajectenses Monachos non fuisse, sed Canonicos secundum Regulam S. Augustini viventes. Fuerunt & hi Cathedrales. Quibus consentanea scribit Joannes Langhecrucius lib. 1.

Speculi

Speculi Canonicorum à cap. 17. usque ad finem libri, & signanter cap. 24. hæc, *quod antiqua Canonicorum tam Cathedralium quam Collegiatarum Ecclesiarum Provinciæ Belgicæ omnia Collegia fundata & instituta sunt secundum alterutram prædictarum Regularum Divi scilicet Augustini vel Consilii Aquisgranensis 1. liquidem est & manefestum ex primis eorum fundationibus: tum ex locis & ædificiis prope Ecclesias eorum sitis & extructis ab ipsis fundatoribus. Quæ etiamnum hodie (nisi post fundationem penitus eversa & destructa sint) claustra Canonicorum vocantur, & nonnullæ eorum Ecclesiæ adhuc habent dormitoria &c.* Hæc apud Langhecrucium.

56. Cæterùm cum hic Auctor mentionem faciat Regulæ Concilii Aquisgranensis; Advertendum est eam non ibi vocari Regulam, sed formam institutionis Canonicorum, ut patet ex Auberto Miræo, qui nuper eam publicavit hoc titulo, quia ut ego probo in meo Hagiologio Chronico-Canonico cum aliis bonis Auctoribus, superaddita est hæc institutio, à Patribus, Regulæ Augustinianæ (quæ per antonomasiam Regula Canonica nuncupatur) pro perfectiore hujus observantiâ, quod solitum fieri circa eandem

dem

dem Regulam Augustinianam, suprà meminisse me nunc recolo. Imo eam institutionis formam, nil aliud esse, quàm paraphasim quandam Regulæ Canonicæ S. Aug. loco citato ex singulis ferè ejus capitulis ostendi. Quæ causa fuisse putatur, quod hæc forma, eò quod in se quasi complectatur ferè fundamenta substantialia Regulæ Apostolicæ Canonico-Augustinianæ, per hanc eandem institutionis formam, quasi per exegesim quandam explicatæ, & ad particularia magis extensæ; etiam sola antiquitus in aliquibus Ecclesiis Regularibus Ordinis S. Aug. præsertim in Germaniâ loco ejusdem Regulæ Augustinianæ, juxta quam tamen Canonici Germani vivere profitebantur, fuerit observata.

CAPUT V.

57. LIquet hoc ex vitâ Gerhoi apud Raderum de Bavariâ Sanctâ: ubi lego quod in Ecclesiis Raitenbucensi, Polingana, & Reichenbergensi & aliis vicinis, Ordinis S. Aug. hi Canonici Regulares profitebantur, vivere secundum Regulam S. Aug. quæ tamen eo tempore, adeò in dissuetudinem

O non

non quidem morum (siquidem usu observabatur, ut olim ante Regulas scriptas, factum est etiam à Monachis, secundum solas traditiones viventibus) sed notitiæ & lectionis seu prælectionis venerat, ut quænam esset ea S. Aug. Regula secundum quam expressè in suâ professione, illi Canonici se victuros pollicebantur, vix à quoquam istius Provinciæ, tunc temporis, sciretur. Quod non ferens B. Gerhous cum esset doctissimus, Romam profectus cum fratribus aliquot, eam diligenter requisivit, & inventam in patriam, postliminiò retulit, ac deinceps denuò, ex scripto observandam, aliquandiu solo usu observatam, ibidem restituit. Creatus est autem Gerhous, Sacræ Theologiæ Doctor insignis, Præpositus Reichenspergensis Ecclesiæ Anno Domini 1132. ex Radero suprà, quem in citato nostro Hagiologio Chronico-Canonico virgâ censoriâ castigavimus, circa ea quæ in B. Gerhoi vitâ scripsit de Regulâ S. Aug.

58. Ex quibus videas, Aquisgranensem Canonicorum institutionis formam, à Canonicis Reg. Ordinis S. Aug. loco Regulæ Augustinianæ, quæ solo usu observabatur, lectam fuisse, non solum in Ecclesiis prædictis, sed etiam in Ecclesia

Ecclesiâ S. Nicolai extra pomerium Batavorum Bavariæ, in Chimensi & Neoburgensi, imò & in Metropolitanâ Salisburgensi Ordinis S. Aug. ut habes in vitâ Sancti Hartmanni, apud eundem Raderum. Nam ad Salisburgensem Ecclesiam quod attinet, extat Epistola Ludovici Pii Imperatoris, ad Arnonem Salisburgensem Archiepiscopum hac Epigraphe: *Mittit formulas Canonicæ instiutionis à Concilio Aquisgranensi in unum congestas.* Ex quo verisimile fit, eandem loco Regulæ S. Aug. eodem modo jam explicato, in eâ Ecclesiâ observatam fuisse, donec ibidem à B. Conrardo Archiepiscopo, eadem S. Aug. Regula, denuò est reposita: ut colligere licet ex ejus vitâ apud Raderum prædictum.

59. Porrò dictæ formulæ institutionis Aquisgranensis, planè similes sunt Constitutionibus Benedicti XII. sæpè mentionatis, latis pro Generali Reformatione Canonicorum Reg. S. Aug. ubique locorum residentium, sive in Cathedralibus, sive in Conventualibus, & omnibus bene consideratis, Aroasianis, rigore non inferiores.

CAPVT VI.

60. ILlis, quæ jam allata sunt, de Regulâ Canonicâ S. Aug. observatâ, ab antiquis Canonicis Religiosis, seu Regularibus in locis, quæ apud priscos scriptores, sæpissimè Monasteria vocantur (quæ nunc sunt Ecclesiæ Cathedrales vel Collegiatæ) vitam communem ex voto degentibus, lucem dare poterunt verba S. Ivonis Episcopi Carnotensis, & Canonici Ordinis egregii Restauratoris, quæ habentur, Epistolâ ad Galterum Stirpensis Ecclesiæ Episcopum in fine: *Ideo Canonici appellati estis, quod Canonicas Regulas vos velle observare cæteris arctius devovistis.* Quibus verbis hanc notam adhibet alibi Miræus. *ex his verbis*, inquit, *colligi posse videtur Ivonem Carnotensem non Regulam S. Aug. sed Regulas Canonicas, hoc est sacros Canones de communi & Regulari Clericorum vita tractantes præscripsisse: & si fortasse nonnulli ex iis postea invalescente apud Gallos Augustinianâ vivendi formulâ, eandem sint amplexi.* Hactenus nota; cui delendæ serviet hæc spongia: per Canonicas Regulas intelligenda

genda est hic Regula S. Aug. quæ antonomasticè Regula Canonica dicitur, posito numero plurali pro singulari, quo modo etiam Pontifices infrà producendi in Diplomatibus suis loquuntur, dum dicunt S. Augustinum *vitæ Regularis propositum in primitiva Ecclesia ab Apostolis institutum, tam gratanter amplexatum esse, ut eam suis Regulis informaret.* Quod confirmatur, per scriptum antiquum ejusdem S. Ivonis, quod Joannes Picardus notatione in 82. Epistolam S. Bernardi publici juris fecit: sic habet: *Sæpe & multum cogitavimus, & cogitantes investigavimus, qualiter in hac urbe, vel in suburbio aliquam haberemus Ecclesiam, in qua devota fidelium concio, devotam & Deo dignam Canonicam ageret vitam. Nunc igitur tandem Salvatoris nostri Iesu benignitas, quæ bene clamantibus respondere digne pulsantibus novit aperire, desideriorum nostrorum efficaciam non differens S. Ioannis Baptistæ Valensis Ecclesiam, locum scilicet opportunum & à populari strepitu aliqualiter sepositum nobis obtulit. Ego igitur Ivo Sæ. Dei Matris Ecclesiæ Carnotensis Episcopus communi Consilio & assensu totius Capituli, Primatumq; nostrorum in prætexata S. Ioannis Ecclesia, tales Canonicos esse decrevi, qui proprietate postha-*

bita Canonicam habeant vitam juxta B. Aug. institutionem. Ita Ivo. Cujus tempore, Canonicos Reg. ab eo reformatos, etiam vovisse, denotant illa verba, ex superiore epistola prolata: *Ideo Canonici appellati estis, quod Canonicas regulas vos velle observare cæteris arctius devovistis.* Unde etiam habes ex mente hujus Sanctissimi, & in jure Canonico versatissimi viri, Canonicos dictos esse à Canone seu Regulâ quam profitebantur, ad imitationem Græcorum, nam & illi tales Clericos habuerunt quos Canonicos vocitarunt, sicut ex Basilio constat, ait Langhecrucius sup. cap. 21. qui scripsit animadversiones contra Canonicos delinquentes, qui etiam titulus diu ante Caroli Magni tempora in usu fuit etiam in Belgio. Ut planè quæstio de solo esse nomine videatur, an & quo tempore, post Consilium Aquense, Canonici Regulares esse cœperint? Siquidem à tempore primitivæ Ecclesiæ, hucusque quoad rem semper fuerunt, quamquam neque semper Canonici, neque semper Canonici Reg. neque item semper Canonici Reg. S. Aug. vulgò indigitati fuerint, quod haud obscurè supra innuit Eugenius IV. dum dixit: *Divinam in terris familiam Clericorum qui*

religiosam

religiosam vitam ducerent, & ad exemplum nascentis Ecclesiæ sanctam institutionem [ab Apostolis per S. Augustinum derivatam, ut postea subdit] *servarent, quos Canonicos Reg. appellamus &c.* Sed tunc primùm quando Canonici proprietarii, postmodum sæculares dicti, exorti sunt per relaxionem, ad quorum distinctionem, illi in antiquo contemptus sæculi proposito perseverantes, Regulares à nescio quibus audire cœperunt.

CAPVT VII.

61. NAm ut patet ex Epistolâ ejusdem S. Ivonis, ad Joannem Episcopum Aurelianensem, exaratâ, antiqui illi Canonici, perfectè etiam sæculo, ut veri Religiosi, renuntiare consueverunt. Ecce verba: *In primitiva Ecclesia nullus constitutus est Rector animarum nisi de communi vita assumptus, quia nemo rectius custos præponitur vitæ alienæ, quam qui prius custos factus est suæ. Quod nullo loco melius probatur, quam inter eos in quibus Regularis vita vigere videtur: quibus tantum displicet aliena malitia, quantum displicuit sua. Quod vero communis vita in omnibus Ecclesiis pene defecit tam civilibus quam diœcesanis,* non

non autoritati sed dissuetudini & defectui adscribendum est, refrigescente charitate quæ omnia vult habere communia, & regnante cupiditate, quæ non quærit ea quæ Dei sunt & proximi, sed tantum quæ sunt propria. His rationibus & auctoritatibus freti constanter asserimus non esse audiendos qui Clericos regulariter viventes à regimine animarum judicant repellendos, quia sæculo renuntiarunt; sed ideo potius ad hoc assumendos, quia voluptates & pompas sæculi contemserunt. Hucusque S. Ivo subtilissimus sui temporis, sacrorum Canonum interpres, qui Patrum decreta, in unum volumen, redegit, quod decretum Ivonis olim appellabatur. Ubi solerter

62. Advertendum est, Ivonem hîc agere de illâ communi, & regulari vitâ quam Clerici seu Canonici Cœnobitales seu Regulares colebant, qui erant veri Religiosi, ut inter recentiores probat Carolus à Mansvelt li. 1. de Origine Canonicorum cap. 5. super quibus consulebatur an essent admittendi ad regimen animarum; de quibus ratio dubitandi esse videbatur, quod illi sæculo perfectè renuntiassent, ac proinde non viderentur, sæcularium præficiendi regimini animarum, quo contrà opposuit Sanctissimus ille

ille ac Doctissimus Vir, morem primitivę Ecclesiæ, juxta quem nullus constituebatur Rector animarum, nisi de communi vitâ assumptus, quæ communis vita infrà ab eodem vita Regularis vocatur qualem colebant veteres illi & primitivi Clerici Religiosi, ceu Canonici Reg. sic enim posteà dicti fuerunt, à Consiliis OEcumenicis, & Pontificibus Maximis, ut ex multis locis juris Canonici probat Augustinus Barbosa lib. de Canonicis cap. 1. num 5. Non verò qualem colebant Clerici communis vitæ non Religiosi, quos in aliquibus locis ut Alnensi, resedisse non diffitemur.

CAPVT VIII.

63. CLerici siquidem Cœnobitales in primitivâ Ecclesiâ benè instituti, sæpius relaxati, sæpenumerò fuere restituti. Sed omnium famosissimè à S. Augustino, quem Pius V. Pontifex Maximus, in Bullâ quæ incipit, *Licet Ecclesia Dei*: præfixâ officiis propriis, Sanctorum Ordinis Canonicorum Reg. S. Aug. Canonici vel ut ipse appellat *Apostolici Ordinis Reformatorem* vocat. Porrò reformator

est qui reducit ad primævam vivendi formam, juxta quam tales sunt reformati, quales fuerunt initio bene formati, & consequenter tales formati, quales reformati; similia enim sunt similibus similia; verum reformati, ex mente Pontificis, sunt Canonici Reg. Ordinis S. Aug. veri absque dubio Religiosi professi, igitur & primitivi tales fuerunt, non ergo sæculares fuerunt ab initio, sed Regulares, sumpto eo vocabulo, eo modo quo jam accipitur, pro Religioso tacitè, vel expressè professo. Atque adeò Clerici Regulares, quos jam Canonicos Reg. vocamus, Canonicis Sęcularibus fuere priores, quidquid reclamet Adversarius parte 3. concl. 7. ut integro libro probat Doctissimus Carolus Mansvelt, cui subscribit Laurentius Lantmeter, li. 3. de vetere Clericorum & Monachorum habitu cap. 4. quem tamen Adversarius alibi pro se citat, sed quamverè, monstrant ea citati Auctoris verba loco jam allegato: *Si cæteris paribus à vetustate jus prælationis aut præferentiæ acquiratur, reverà Canonici Regulares, Canonicis sæcularibus vetustiores sunt.* Consentit etiam Doctissimus Jurisconsultus Augustinus Barbosa lib. de Canonicis cap. 1. nu. 45. qui tres Auctores recentiores

omnes

omnes Canonici fuerunt, & ex professo de Canonicorum origine, statu & vita scripserunt, quos oppono Auctoribus per Adversarium pro sua opinione allegatis part. 3. concl. 3. & 7.

CAPVT IX.

64. QVibus omnibus probè ponderatis res ita se habere videtur. Clerici primitivi ex voto, 1. cœperunt communem vitam cum cæteris ad religiosam vitam requisitis servare: hinc sœpius relaxati sunt, refrigescente charitate, fervescente cupiditate, & non repentè (nemo enim repentè fit summus sive in perfectione sive imperfectione, nam ad extrema non peruenitur nisi per medium) sed pedetentim ad sæcularitatem defecerunt, idque per statum quendam communis vitæ (qualis apud Alnenses & alios) absque votis, ut videtur, retentæ, quasi particulæ cujusdam, vitæ adhuc quòdammodo palpitantis primitivæ, intermedium, tandem ad omnimodam proprietariam vitam, quæ pridem in usu est, ex benignitate Ecclesiæ, devenerunt.

65. Operæpretium erit, hîc proferre ali-

 quot

quot exempla hujus sæcularisationis, quam vocant, quarundam primariarum seu Cathedralium Ecclesiarum, factæ recentiori memoriâ, ut vetustiores omittam, in quibus Regula Augustiniana verisimiliter, ut Vitriacus, Crantsius & Langhecrucius suprà adducti tradunt, diu fuerat usitata & observata.

66. Cathedralis Ecclesia Vercellensis cujus Episcopus olim fuit, egregius ille Martyr Eusebius, de quo S. Ambrosius testatur epistolâ 82. quod in occiduis partibus, hæc duo instituta Clericalis scilicet, & Regularis vitæ, simul conjunxerit, retinuit mixtæ hujus vitæ formam usque ad partæ salutis annum 1440. quo ad sæculares devoluta est, ut patet ex statutis Canonicorum ejusdem Ecclesiæ editis Anno 1518.

Anno 1480. Sixtus IV. Metropolitanos Canonicos Reg. Avenionensis Ecclesiæ, Regulam S. Aug. professos fieri indulsit sæculares. Ex Miræo de collegiis Canonicorum sæcularium.

De Lateranensi Ecclesiâ Patriarchali, & omnium primariâ notissimum est, ibidem Canonicos Reg. S. Aug. ejusque Regulam Canonicam

cam professos per octingentos circiter annos, à Gelasio I. usque ad Bonifacium VIII. resedisse, à quo Pontifice eorum loco, malitiâ temporis non eorum culpâ id agente, substituti sunt sæculares. Quibus ex causâ etiam amotis, iterum Canonici Reg. eòdem restituti sunt ab Eugenio IV. & ibidem perseverarunt, usque ad Calixtum III. qui circa annum Dñi 1458. vitâ functus est, à quò denuò sæculares reducti manserunt, usque ad Paulum II. sub quo, eodem, iterum reducti iterumque exacti Canonici Reg. & sæculares ultimo repositi, à quo tempore usque in hodiernum hi residentes ibidem manent. Sic habet vera historia vicissitudinis Canonicorum Ecclesiæ Lateranensis, quæ ad longum, & clarè habetur in magno Diplomate Sixti IV. quod incipit: *Dum ad universos regulares Ordines* &c. quam non satis accurate novisse videtur Adversarius. Nam passim, & signanter 3. par. concl. 5. n. 155. ita scribere videtur, de Canonicis Reg. Congregationis Lateranensis, ac si adhuc de facto in Patriarchali Basilicâ Lateranensi residerent, & eâ ratione titulove, quo Cathedrales essent, præ cęteris Religiosis prçeminentiam & prçcedentiam, sibi

Apud Pen. l. 3. cap 32.

à ſede Apoſtolicâ adjudicatam obtinerent, quod ita non eſt. Nam à tempore Pauli II. hucuſque ſæculares in prædictâ Baſilicâ reſidentiam habent, & controverſia diu verſata inter Caſſinenſes & Lateranenſes, non in Baſilicâ Lateranenſi, ſed in monaſteriis reſidentes fuit, hiſque, nimirum Conventualibus, præcedentia adjudicata fuit non titulo Cathedralitatis, ſed Clericalis dignitatis, & majoris antiquitatis, ut ſuo loco infrà uberius declarabitur. Ceterum Sixtus IV. Canonicis Reg. S. Aug. jam ultimò Eccleſiâ Lateranenſi exactis contulit Eccleſiam S. Mariæ Pacis in urbe, cum ampliſſimis privilegiis, quæ habentur, in prænominato Diplomate dato Anno 1477. cui Eccleſiæ Monaſterium adjecit Oliverius Caraffa S. Rom. Eccle. Cardinalis eminentiſſimus.

Anno 1512. Eccleſiam Cathedralem Peruſinam, in quâ à tempore antiquiſſimo, Canonici Auguſtinianam Regulam profeſſi reſederant, Sæcularem fecit Julius II. datis litteris illius quam dicunt ſæculariſationis 9. Kal. Maii incipientibus: *In eminenti Eccleſiæ ſpecula*, &c.

Jdem Julius II. reſcriptum confirmavit, quô inter Sæculares retulerat, Metropolitanæ Ec-

cleſiæ

eclesiæ Tholosanæ S. Stephani Canonicos, hactenus Reg. Ordinis S. Aug.

Anno 1513. Capitulum Cathedrale Lemovicensis Ecclesiæ S. Stephani, antea semper Regulare, sæculare pronuntiavit Leo X.

67. Salisburgēsis Metropolitana Ecclesia, institutum Augustinianorū Canonicorum, usque ad Annum 1500. & quod excurrit, retinuit, ut constat ex Provinciali Romano, edito sub Alexandro VI. in quo illa Ecclesia refertur, inter Ecclesias quæ tunc temporis, erant Ordinis Canonicorum Reg. S. Aug.

Metropolitana Ecclesia S. Andreæ in Scotia, retinuit, idem Ordinis institutum S. Aug. usque ad tempora ejusdem Alexandri VI. ex eodem Provinciali Romano. Cujus Episcopus fuit Reverendissimus Dominus Jacobus de Binst apud nos Eechoutanos sepultus, cujus tumba etiamnum extat cum hac inscriptione: *Hic jacet bonæ memoriæ Iacobus dictus de Binst Episcopus S. Andreæ in Scotia nostræ Religionis qui obiit anno Domini* 1332. 22. *die Septemb. orate pro eo.* Meminit hujus Meyerus in annalibus Flandriæ. Legatione fungens venerat Brugas ad Comitem Ludovicum Nivernensem, cumque ibidem diem clausisset

clausisset extremum, occasione inter illum & nos communis Ordinis & Religionis, apud nos locum quietis delegit, qui olim habuimus notitiam & coluimus amicitiam, cum Religiosis Canonicis Cathedralibus, posteà Metropolitanis S. Andreæ. Unde & dies obitus venerab. Patris D. Guillielmi Bonar Prioris magnifici ejusdem Ecclesiæ notatus est in nostro Nicrologio ad diem 19. Octobris. Porrò olim ante defectionem à Religione Catholicâ, magna erat dignitas illa Prioralis, istius Ecclesiæ, nam eá præfulgens in solemnibus Comitiis, omnes totius Regni Scotici præcedebat Abbates. Ex Pennot. lib. 2. cap. 36.

Ecclesia Metropolitana Arelatensis, sub eodem Alexandro VI. ut ex eodem Provinciali habetur, adhuc insessa fuit, à Canonicis Augustinianam Regulã professis, ut & Oxoniensis.

Anno 1536. Sub Paulo III. Ecclesia Magalonensis & Costiensis utraque priscis temporibus Regularis, facta est Sæcularis.

Anno 1542. Sub eodem Paulo III. Cathedrales Canonici hactenus Augustiniani, Ecclesiæ Sagiensis, Sanctorum Gervasii & Protasii, declarati sunt sæculares.

Eccle-

Ecclesiam Tiphernensem, à primævâ institutione, usque ad annum 1578. semper Regularem fuisse, ostendunt litteræ sæcularisationis ejusdem datæ à Gregorio XIII. incipientes: *Infirma hominis conditio.* &c.

Anno 1559. Destructâ Tarvanâ antiquâ Morinorum sede, cum Episcopalis Cathedra, Bononiam ad mare Oceanum esset translata, Abbatia Canonicorum Reg. facta est Cathedralis Ecclesia, & Regulares effecti Sæculares

Circa idem tempus Iprensis S. Martini Ecclesia Præpositalis, in quâ à tempore B. Joannis Morinensis Episcopi, qui ad Dominum migravit anno 1130. Canonici Augustiniani, ab eodem ibidem constituti resederant. Sæculares renuntiati sunt à Paulo IV. qui eandem Ecclesiam elevavit in Cathedralem. Fuit autem B. Joannes Morinensis Episcopus cujus mentionem fecimus, non solum Ordinis Canonico-Augustiniani professor, verum etiam magnus ejusdem per Flandriam nostram propagator. Descripsimus vitam ejus in nostro Chronico-Canonico Hagiologio.

68. Anno 1604. Sub Philippo III. Hispaniarum Rege, Metropolitana Ecclesia Cæsar-

Auguſtana, in quá à priſcis temporibus floruerant Canonici Auguſtiniani, ad ſæcularem ſtatum redacta eſt. De quâ doctiſſimus Auguſtinus Barboſa lib. de Canonicis cap. 1. n.49. ſic ſcribit: *Illud demum adnotare opportet quod licet antiquis temporibus plures Cathedrales & Collegiatæ extiterint Regulares, tamen hodie major eorum pars abrogata Regularitate in ſtatum tranſiit ſæcularem, & inter omnes notiſſima eſt Metropolitana Ciuitatis Cæſar-Auguſtæ, ut videre licet in Bulla reductionis ejuſdem in ſæcularem Fæli. record. Clementis VIII. ſub dat: Romæ ad Sanctum Marcum, Anno Incarnationis Dominicæ 1604. idib. Iulii. Quam ad me tranſmiſit Dominus Ioannes Fuertes, illius Eccleſiæ Canonicus, vir quidem omnigenâ virtute præditus Romæ degens pro cauſis præeminentiarum inter ſuam Eccleſiam ex unâ, & Eccleſiam Sanctæ Mariæ de Pilari ex alterâ ex pluribus annis vertentibus.* Sic Barboſa.

Ubi nota dictam Eccleſiam Sanctæ Mariæ de Pilari, ſeu de Columnâ, quæ totius Hiſpaniæ antiquiſſima eſt, ut habet vetuſtiſſima Traditio à Pontificibus confirmata, adhuc Regularem eſſe & Ordinis Canonicorum Reg. S. Aug. qui ibidem præcedunt, omnes Capitula-

res

res, eorumque Syndicos, & Procuratores Ecclesiarum Cathedralium, etiam Sæcularium, Regni Aragonum, exceptis dumtaxat Capitularibus Sedis Metropolitanæ in Comitiis & quibuslibet Congregationibus Aragonum, ex sententiâ data anno Domini *1605*. typis editâ cum suis motivis, Madriti apud Ludovicum Sanchem anno *1606*. Hinc obiter adverto, per accidens esse quod Sæculares præcedant Canonicos Reg. scilicet propter Cathedralitatem, quia olim quando Regulares Cathedrales erant, Sæculares non-Cathedrales præcedebant. Interim in Aragoniâ Canonici Reg. non-Cathedrales S. Mariæ de Pilari in totâ Aragoniâ ut dictum est, etiam Seculares Cathedrales non-Metropolitanos precedunt.

Metropolitana quoque Ecclesia Beneventana, antiquitus Regularis recenti Patrum memoriâ, ad Sæcularitatem defecit. Hæc bonâ fide collecta ferè ex Auberto Miræo de Collegiis Sæcularium Canonicorum, & aliis.

Fere præterieram primariam illam Ecclesiam Toletanam, quam ejusdem professionis Canonico-Augustinianæ quondam fuisse, clamant illius Ecclesiæ antiquæ tabulæ, litteris animatæ

his verbis: *Æra 622. id est anno Domini 582. Floret Artuagus cognomento Gothus ex Ordine S. Aug. Prior Abbas.*

Confirmant ea, quæ narrat Abrahamus Bzovius in Annalibus Ecclesiasticis tom. 18. ad annum 1496. n. 18. de Francisco Ximenio, ejusdem Ecclesiæ Archiepiscopo meritissimo, qui quam primum inauguratus fuit, nil antiquius habuit, quam suos Toletanos Canonicos reformare conari, & ad primævam S. Aug. Regulam, lapsu temporis ibi collapsam, cujus tamen antiquæ observantiæ, ibidem non pauca extarent vestigia, pia quâdam violentiâ revocare, quamquam irrito conatu. Ex Gomecio l. 1.

Certè notavit Garzias Loaisa apud Carolum Manfelt lib. 1. c. 15. formam Canonicorum quam non possis non fateri esse S. Aug. ex Concilio Tolet. 4. cap. 22. & Tolet. 2. c. 1. juncto cap. 23. Toletani 4. quorum utrumque proximum fuit temporibus S. Aug. unum quidem anno 531. alterum 643. Cæterum eam Ecclesiam tandem etiam sæcularem factam evidens est, sed quo tempore nundum inveni.

CAPVT

CAPVT X.

69. QVæ omnia præcedentia confirmantur ex allegationibus Scipionis Lancellotti num. 178. & 179. ubi sic ad verbum: *Imo non solum habent Canonici Reg. Abbatias, sed etiam Patriarchales, Metropolitanas, & Cathedrales Ecclesias tamquam veri Clerici, licet nonnullæ earum hodie frigescente charitatis fervore in Collegiatas sæculares sint redactæ, ut sancta ac toto orbe primaria Lateranensis Ecclesia Papalis, Alexandrina, Hierosolimitana quæ sunt Patriarchales. In Aragonia Cæsar-Augustana & Terraconen. In Gallia Arelaten. & Avenionen. In Germania Zanzaronen. & Salisburg. Brandenburg. In Scotia S. Andreæ. In Gallia Nasaratensis. In Vasconia Tolosana. In Burgundia Tarrantasiensis. In Regno Navarræ Pampilonensis, quæ omnes sunt Metropolitanæ. Habent etiam Cathedrales veluti Magalonen. in Gallia. Gratianopolitanensis in Delphinatu, Eugubina in Ducatu Spoletanensi, Perusina in Tuscia, Gerundensis in Cathalonia, Civitatis Castelli in Tuscia. Dignensis in Provincia Provincia, Severenensis in eadem, Tarmensis in Vasconia*

Dertuensis in Cathalonia, *Vraniensis in Comitatu Venusino*, *Siracosanen. Cefalunensis in Sicilia*, *Oxoniensis in Regno Castellæ*, *Hipponensis*, *Barinensis*, *Sebastianensis*, *Tagastensis*, *Adrumetinensis in Africa.* Sic ille allegabat tempore Concilii Trident. In Hibernia autem omnes Cathedrales fuisse Canonicos Reg. S. Aug. Congregationis Aroasiensis suo loco dicemus infra.

70. Quarum eminentiorum Ecclesiarum, Canonicos Reg. ejusdem Ordinis fuisse, cum reliquis Canonicis Reg. inferiorum Ecclesiarum, præter Authores primâ parte hujus Tractatus nostri Apologetici, docet etiam Augustinus Barbosa l. 1. de Canonicis & dignitatibus cap. 1. n. 40. cum multis aliis, quos ibi citat. Neque enim in solas Cathedrales Ecclesias reformationem Augustinianam admissam fuisse, verum etiam in Conventuales ceu Monasteria, satis insinuat Possidius lib. de vita S. Aug. cap. 11. ubi sic lego: *Proficiente Doctrina divina sub Sancto & cum S. Aug. in Monasterio Deo servientes, Ecclesiæ Hipponensis Clerici ordinari cœpere, ac innotescente de die in diem Ecclesiæ Catholicæ prædicationis veri a:e Sanctorũ servorũq; Dei proposito, continentiâ & paupertate profundâ, ex Monasterio*

nasterio quod per illum memorabilem virum & esse & crescere cœperat, magno desiderio poscere & accipere Episcopos & Clericos, pax Ecclesiæ atque unitas & cœpit 1. *& postea consecuta est. Nam ferè decem quos ipse novi sanctos & venerabiles viros continentes & doctissimos B. Aug. diversis Ecclesiis, nonnullis etiam eminentibus rogatus dedit, similiterque & ipsi ex illo sanctorum proposito venientes, Domini Ecclesiis propagatis Monasteria instituerunt, & studio crescente ædificationis verbi Dei, cæteris Ecclesiis promotos fratres ad suscipiendum sacerdotium præstiterunt.* Hæc Possidius S. Aug. convictor familiaris quadragenarius. Vide Manfelt cap. 13. lib. 1.

CAPVT XI.

71. NOn igitur in solis Cathedralibus Ecclesiis, ut putat Adversarius, sese continuit Ordo Canonicus, jam à S. Præsule Hipponensi reformatus, sed ad varia Monasteria per orbem se extendit, in quibus sanctæ hujus reformationis institutum, quod ab eo tempore in Ecclesiâ numquam defecit omnino, licet sæpius remissum, sæpius intensum

diu

diu viguit, & in modernis etiamnum viget, quod absque pervicaciâ, ne dicam Canonico-Augustiniani Ordinis injuriâ negari nequit. Tam enim celebris illustrisque fuit hæc Augustiniana reformatio, ut ipse non tam Reformator, quam fundator ejusdem Ordinis, Augustinus subinde dicatur. Quod vel inde etiam confirmari potest, quod vel ipso fatente Adversario, ostendi non possit certò, quo primum loco, quo tempore, & à quo (ut de reliquis Ordinibus certò constat) institutus fuerit Ordo Canonicus quem tenent Clerici Religiosi, dicti vulgò Canonici Reg. S. Aug. si non sit ille ab Apostolis fundatus, & ab Augustino reformatus ut Pontifices loquuntur.

72. Habeo etiam Auctores qui observant, Cathedrales Canonicos volentes Canonicum hoc institutum, in suo rigore vigoreque conservare, præsertim quando notarunt, illud in Cathedralibus, & majoribus Ecclesiis periclitari, & ut ita dicam, paulatim naufragari ut ferè semper contigit circa observantiam carentiæ proprii ut loquuntur, monasteria nova condidisse, & in eâ aliis sæcularisantibus relictis se recepisse & Regulares mansisse, nec non nomen

men Canonicorum Reg. retinuisse, fundamentumque vitæ Canonicæ conservasse, ac super illud pias constitutiones superædificasse, ut eo perfectiùs & securius redderent Deo vota sua, quæ distinxerunt labia sua, ut in primis de Lateranensibus certum est, qui relictis Sæcularibus in Ecclesiâ Papali, in Monasterium novum S. Mariæ Pacis in urbe se receperunt, ut in pace in idipsum, ibidem dormirent & requiescerent. *Psalm.* 4.

73. Sic olim Colonienses Canonici, Monasterium Nussiense, quod priscis temporibus, caput fuit Congregationis Nussiensis, posteà Congregationi Windesemensi incorporatæ, fundarunt, ut in eo Canonicam professionem desertis aliis con-Canonicis sæcularia potiùs meditantibus, perfectius adimplerent.

74. Sic antiquitus Canonicos Avenionenses, ut suprà audivimus, Ordinis S. Aug. fecisse legimus, qui Monasterium S. Rufi initiarunt, unde Congregatio celebris S. Rufi, aliàs S. Arnulphi, de quâ rei ignari tantopere hallucinantur, originem duxit. Cujus Congregationis verum initium & progressum dedit Reverendissimus Dominus Guillielmus Emma-

Apud Pennot. Lib. 2. cap. 56. n. 2.

nuel de la Fey Abbas Generalis ejusdem, ex antiquis tabulariis hoc ferè tenore: *Cum circa annum nostræ salutis* 1000. *Cathedrales S. Mariæ Avenionensis Canonici, vitæ communis ac regularis vinculum solvere & abjicere meditarentur, quatuor ex illis pietate ac Religione præstantiores graviter admodum ferentes disciplinam Regularem in eorum Conventu relaxari, à convocato Capitulo Ecclesiam quandam perexiguam S. Rufi, cujus Reliquiæ ibi condebantur & colebantur Civitati propinquam sibi concedi postularunt, & cum terra eidem adjacente eam impetrarunt, juxta quam illi sese in unum propositum colligentes, reformationis & Congregationis Canonicorum Reg. Ordinis S. Aug. primum lapidem posuerunt, dictæ S. Rufi. ad distinctionem Canonicorum Cathedralium Avenionensium. Stetit autem hujus Congregationis caput penes Civitatem Avenionensem usque ad annum circiter* 1210. *quo tempore pestis hæreticorum Albigensium partes illas Galliarum invadens, & Monasterium S. Rufi evertens, Valentiam Canonicos migrare coegit, ubi novo templo sub titulo S. Rufi constructo cum Monasterio, ibidem caput totius Congregationis erexerunt, cujus Abbas ejusdem Congregationis usque in hodiernum diem caput & Abbas generalis vocatur.*

Hinc

Hinc habes unde corrigas, multos Scriptores, qui multipliciter circa hujus Congregationis originem, locum, tempus, & inſtitutorem hallucinati ſunt, qui omnes ferè ſecuti ſunt Abbatem Joachimum errantem, inter quos cenſendi Hieronymus Romanus, & Rodericus, quibus dum nimium confiſus eſt Adverſarius, & ipſe deceptus eſt 3. part. conc. 11. ſed de hoc eodem infrà redibit ſermo, quando Adverſarii Concluſiones ex profeſſò examinabimus. Id tamen hic notandum eſt extare privilegium Vrbani II. Abbati S. Rufi anno 1092. collatum, cujus etiam Jnnocentius VIII. meminit in alio privilegio eidem Congregationi dato, & typis edito Pariſiis anno 1621. quod tale eſt: *Statuimus ne Profeſſionis Canonicæ quiſpiam, poſtquam Dei vice ſupra caput ſibi hominem impoſuerit, alicujus levitatis inſtinctu, vel diſtrictioris Religionis obtentu ex eodem clauſtro ſine Patris & totius Congregationis permiſſione diſcedere, diſcedentem verò nullus Abbatum vel Epiſcoporum, nullus Monachorum ſine communi litterarum cautione ſuſcipiat.* Hactenus ſtatutum Pontificium, quod in ius Canonicum relatum habetur 19. q.3. cap. *Statuimus.* Prodiit ex hac Congregatione, S.

Vir Arnulphus Prædicator verbi Dei ferventissimus, & vitiorum objurgator constantissimus, de quo Trithemius in historiâ Hirsaugicâ sub anno 1128. Nauclerus volumine 2. generat. 38. Platina in Honorio II. Author supplementi Chronicorum lib. 12. sub anno 1107. qui hujus Congregationis alumnus fuit, non institutor ut multi perperam opinati sunt. Descripsimus ejus vitam in nostro Hagiologio Chronico-Canonico.

75. Quæ profectò omnia abundè indicant, non ideo diversum Ordinem Canonicorum Reg. S. Aug. æstimari debere, propter solam frivolam illam rationem ut Rodericus etiam observat sup. quia hîc vel nunc in Ecclesiâ Cathedrali, ibi vel tunc in Monasterio excolitur. Idem omnino quod sæpius & fortiter inculcandum in hac controversiâ, idem per omnia est Ordo, quantum ad substantialia, ut Pontifices supponunt, ratio docet, experientia clamat, Scriptores, & præsertim ipsi Lateranenses propugnant.

76. Eat nunc Adversarius cum solâ suâ Cathedralitate, quam tantopere in Lateranensibus urget; non hanc formalitatem urserunt in suis

ſuis Diplomatibus Pontifices in materiâ præfe-
rentiæ; ſed majorem Ordinis Canonici Anti-
quitatem, ſed Clericatus illi per ſe competen-
tis dignitatem, quantumvis reclamet: ſtat Sen-
tentia inappellabilis, ſtat irrevocabilis, nullus
ratiunculis prævalentibus, quas facilè invenire
poſſunt illi, quos etiam media & inſtrumenta
ſomniaſſe audivimus & legimus ignem inferna-
lem extinguendi & Dæmones ſubmergendi.
Quid velim norunt, qui anno 1641. tractatu-
lum ediderunt hoc programmate, Circuli qua-
dratura, ſive modus oppugnandi omnes dæmo-
nes & infernum.

CAPVT XII.

77. His ita pro explanatione quaſi para-
phraſticâ Bullæ Eugenianæ, quæ
ſummâ cum veneratione in Eccleſiâ
Lateranenſi cuſtoditur, confirmata à Nicolao
V. & Sixto IV. quæque egregiè expoſita &
defensa extat in allegationibus ſœpè citatis Sci-
pionis Lancellotti à num. 44. uſque ad 69.
enarratis, conſonant alii plures Pontifices Maxi-
mi, & in primis

Paſchalis II. in litteris Priori S. Frigdiani Ordinis Canonicorum Reg. S. Aug. directis, ubi ſic Pontifex: *Vitæ Regularis propoſitum in primitivâ Eccleſiâ cognoſcitur ab Apoſtolis inſtitutum, quam S. Aug. tam gratanter amplexatus eſt ut eam ſuis Regulis informaret.* Ita Paſchalis. Quod idem repetunt Honorius & Calixtus uterque hujus nominis II. in Epiſtolis ad eundem teſte Lancellotto ſup. num. 43.

Benedictus XII. ſæpe recitatus: *Inter Religiones alias in Agro planctatas Eccleſiæ ad Religionem Canonicorum Reg. S. Aug. ab Chriſti glorioſis Diſcipulis in primitivâ Eccleſi: ſacris inſtitutionibus ſtabilitam gerentes præcipuæ charitatis affectum.*

Sixtus IV. in Bullâ quæ incipit: *Dudum ad univerſos Regulares Ordines*, &c. *ad illam præcipuè Canonicorum Reg. Ordinis S. Aug. Congregationis Lateranenſis eo libentius noſtræ mentis oculos convertimus, quo Ordo ipſe in naſcentis Eccleſiæ ſancta inſtitutione ac primorum Chriſtianæ Religionis norma traditionibuſque fundatus, & ſacris inſtitutis ac divinis Regulis eloquiiſque præmunitus exiſtit, ab ejuſque primæva fundatione variis virtutum meritis ſemper reſplenduit.* &c.

Idem in Diplomate dato Canonicis Reg.

ejuſdem

ejusdem Ordinis residentibus in Ecclesiâ B. Mariæ Pacis in urbe anno verbi incarnati 1483.

Considerantes, inquit, *inter alios Religiosos Institutionem Canonicorum Reg. S. Aug. fore primariam, & ab ipso sanctissimo Ecclesiæ Doctore Augustino fundatam, & per longa tempora viris probis, & litterarum scientia, omni virtute pollentibus stabilitam, ad eam potissimum direximus intuitum.*

Martinus V. in Bullâ confirmationis Capituli Windesemensis datâ Florentiæ 15. Kalend. April. Pontif. Anno 3. quæ incipit: *Sponsa Christi.* &c.

Ad hanc, inquit, *sanè mirabilem pulchritudinem, quâ splendet & splenduit quasi varietate circumdata ipsa Mater* [Ecclesia] *retroactis temporibus adjecit plurimum Ordo vester, qui sicut à suis primordiis post Beatos Apostolos Christi per Regularia S. P. Augustini instituta luculenter per orbem efloruisse dignoscitur, ita etiam nunc reflorere læti gratulamur.*

Pius IV. in motu proprio inter ejus Constitutiones Ordine 95. ita pronuntiat: *Comperto satis ex compluribus litteris Apostolicis, diversisque aliis documentis, rationibus & probationibus, quod ipsi Canonici fuerunt & sunt de illis Clericis à S. Aug.*

S. Aug. imo à sanctis Apostolis institutis. &c.

Pius V. Etiam in motu proprio hęc quæ sequuntur habet formalia verba: *cum itaque sicut accepimus dilecti Filii universi Canonici Reg. Congregat. Lateranensis, qui ab Apostolis traxerunt originem, quique ab Augustino eorum Reformatore iterum per reformationis viam mundo geniti.* &c.

Idem in Bullâ quæ incipit: *Licet Ecclesia Dei*, præfixa officiis propriis Ordinis Canonici: *Attendentes*, inquit, *tamen Canonicos Reg. cong. Lat. Ordinis S. Aug. eorum Patrem, primum Apostolici illius Ordinis Reformatorem S. Augustinum.* &c.

78. Quibus decem Pontificibus nempe Paschali II. Calixto II. Honorio II. Benedicto XII. Martino V. Eugenio IV. Nicolao V. Sixto IV. Pio IV. & Pio V. quam plures subscribunt Historici, Chronologi & Scriptores graves. Inter quos Sigibertus in Chronico sub anno 1078. Vincentius Belluacensis in speculo Histor. lib. 26. cap. 51. Antoninus in summa Historiali titulo 15. cap. 16. Wernerus Carthusianus fol. 54. Lucidus Historicus lib. 10. c. 7. Author theatri mundi. Raphael Volaterranus Antropologiæ lib. 21. Jacobus Philippus Bergomensis in supplemento Chronici ultimæ editionis

tionis lib. 14. Onuphrius de 7. urbis Ecclesiis. Joannes Gerson. Alphabeto 22. lit. n. & alibi. Hieronymus Platus de bono status Religiosi lib. 2. cap. 32. quibus addendi Aubertus Miræus in originibus, & Prosper Stellartius in Fundaminibus, Andreas Hoius popularis noster, Græcanicæ litteraturæ, & rei Historicæ in Universitate Duacena Professor, in Notationibus ad Historiam Occidentalem Jacobi de Vitriaco. Albertus Crantius. Hi omnes eodem ore quo Pontifices pronuntiant Ordinem, quem observant Canonici Reg. S. Aug. ab Apostolis fuisse institutum, ab Aug. verò fuisse restitutum, quo fundamento forti authoritate probato & coroborato ante omnia præjacto videamus jam propiùs:

79. Utrum Canonici Aroasienses observaverint eundem Ordinem Canonicum S. Aug. quem observant Canonici Religiosi Lateranenses jam extra Ecclesiam Lateranensem in Monasteriis degentes, qui eam Congregationem in Italiâ constituunt, de quibus non dubitat Adversarius; quod ut præstemus; consideremus exactè narrationem fundationis Aroasiensis conscriptam ab Annonymo, quam authenticam

 supponit,

ſupponit, & orbi proponit Antagoniſta.

CAPVT XIII.

80. SEd operæpretium erit priuſquam eam exhibeamus, pro pleniore ejus intelligentiâ, recapitulationem quandam pręmittere eorum quæ hac 2. parte produximus ex diplomatibus Eugenii IV. & aliorum Pontificum tam prædeceſſorum quam ſucceſſorum ejus. Itaque Ordo Canonicus quem obſervant Canonici Reg. S. Aug. Congregationis Lateranenſis in Italiâ, juxta Pontifices allegatos, & alios Auctores jam citatos ab Apoſtolis fundatus, Heroſolymis ſub Jacobo minore dicto primo illius Sedis Epiſcopo continuatus, à S. Marco plantatus in Eccleſiâ Alexandrinâ; ab Urbano I. reformatus, à S. Aug. reſtauratus in Africâ; & inde jam reformatus per Regulam à S. Aug. dictatam, agente S. Gelaſio Papa ejus nominis I. ejuſdem Præſulis Diſcipulo in Papali Eccleſia Lateran. (quam utpote omnium Eccleſiarum Matrem & exemplar, alias inferiores Eccleſias mox imitatas & Regulares factas fuiſſe dubitandum non eſt) per annos circiter

octingen-

octingentos usque ad Bonifacii VIII. tempora observatus, & per varias orbis Catholici Provincias dilatatus ut ex constitutionibus Benedicti XII. liquet, tandem Gregorio Magno precipiente ut Eugenius IV. tradit in Ecclesiis Anglicanis etiam plantatus, ibidem tam in Ecclesiis Cathedralibus, quam Conventualibus ut ita dicam innumeris, posterioribus temporibus usque ad illius regni ab unione Catholicâ defectionem mirabiliter floruit. Quæ omnia etiam ex recentioribus Scriptoribus enarrat & veterum monumentis Laurentius Lant-meter l. 3. de vetere Clerico &c. cap. 5. Porro ex Angliâ tandem aliquando translatus est idem Ordo in Artesiam provinciam Gallo-Belgicam in locum quandam Aroasiam nunc dictam, olim Aridagamantiam ab Anonymo descriptum sub titulo Originis Aroasiæ Hisce ipsissimis verbis:

81. *Locus super stratam publicam constitutus in sylva quæ dicitur Aridagamantia situs: quæ quidem sylva à castro quod Encra dicitur usque ad fluuium Sambræ tunc temporis continuâ protendebatur. Olim spelunca latronum fuerat: verum etiam habent quidam Truncum Berengarii ab ejusdem nominis latronum Principe vulgo denominatum, pro eò*

quod post mortem ejus solitos esse ferunt satellites illius trunco, quem cavaverant, captos à se quoslibet præsentare. Intra quem quidam ex ipsis quasi idem Berengarius loquens summam redemptionis imponebat, quem nulli minuere vel mutare liceret. Sed in Historia Sanctorum Luglii & Lugliani Hibernensium, quorum corpora apud Castrum quod Mons dicitur, in Ecclesiâ venerantur perspicuè scriptum legitur, quod iidem Sancti per has Regiones transeuntes per manus impiorum, prædicti videlicet Berengarii & fratrum suorum Bavonis & Hesselini, & eorum complicum fuerunt Martyrio coronati. Sed quia hoc scelus in pago Terruanensi fuisse asseritur perpetratum, luce clarius apparet, eosdem impios non in hoc solo loco, sed & in finitimis circumquaque locis, maximè per stratas publicas longè lateque discurrentes quamdiu licuit suam exercuisse & protelasse malitiam. Post multos itaque decursu temporis annos in hoc adhuc loco, latrociniis & incendiis plures, in Episcopatu Cameracensi, & in Confinio Flandrensis Comitatus circa annum Dominicæ Incarnationis 1090. ut certius comperire potuimus in Trinitatis nomine congregati Heremitæ tres, ut ubi abundavit delictum, ibi superabundaret & gratia, cellam ad serviendum Domino statuunt, oratorium-

que

que in honorem S. Trinitatis & S. Nicolai Pontificis, cujus ex recenti tanslatione crebra tunc per orbem divulgabantur miracula construunt, tectumque ejus & parietes miricis & foliis sive ramusculis claudunt & contegunt. Ita ibi.

Hactenus de loco & fundatoribus à primo fundamento Aroasiæ Cœnobii in genere. Iam verò de fundatoribus studiosius satagendum: pergit antiquus hic Auctor: *Horum*, inquit, *primus Hildemarus nomine, Terruanensis genere.* Ita Auctor hic: verum Arnoldus Rayssius in Hierogazophilacio, titulo *Aroasiæ Ordinis Canonicorum Reg. S. Aug. inter Bapalmam Arthesiæ & Veronam Franciæ civitates*, pag. mihi 72. recitat hujus viri S. Epitaphium, & in auctario, ex monumentis manuscriptis dicti cœnobii, quæ illi ibidem existenti exhibuit Adrianus de Roy ejusdem Monasterii alumnus hæc de eodem tradit: *Aroasiæ obitus B. Hildemari primi ibidem Præpositi. Hic Tornaco oriundus erat*, &c. Sed parum refert ad præsens institutum Tornacone an Teruanâ sit oriundus. Egimus de eo in nostro Hagiologio Chronico-Canonico sæculo undecimo.

82. Verumenimvero qualis professione hic

Hildemarus? certè Canonicus Reg. ubi factus? profectò in Angliâ. Quî scis? quia lego apud eundem Auctorem Anonymum antiquum, Hildemarum cum Collegâ suo Conone in Angliâ professionis Canonicæ habitum suscepisse. Ecce verba clarissima: *Hos duos Hildemarum videlicet & Cononem in Anglia ad quam eos studendi cura traxerat, ferunt Canonicæ professionis habitum suscepisse.* Ita Auctoris expressa verba, qui conformiter paulò superiùs de ambobus dixerat: *Professione Canonici.* Sed fortè sæculares. Minimè gentium: tum quia habitum professionis Canonicæ susceperunt, tum quia professione tales erant, & quod magis est unus eorum Hildemarus scilicet paulò infrà scribitur Prioratum Canonicorum Viromandensis Ecclesiæ sibi oblatum constanter recusasse. Sanè Reg. Canonicus non esse non potuit, cui Prioratus Canonicorum Reg. oblatus fuit. Et hæc omnia expresse Auctor Anonymus & inter cætera de Hildemaro: *Quomodo*, inquit, *Prioratum Canonicorum Ecclesiæ Viromandensis sibi oblatum refutaverit, malui tacere.* Ita ille. Sed supra vocantur Eremitæ. Hoc ideò quia ut ibidem legitur: *Cum ambo essent Sanctitate præstantes* (verba sunt ejus-

dem

dem Anonymi) *officio Presbyteri, professione Canonici*, & ut posteà scribitur *Regii Sacellani*, Aulæ pertæsi, & gratæ solitudinis, ad quam diu anhelaverant amore capti, cum suffragia Sanctorum, ut hic dicitur, vel varia loca sancta, ut apud Rayssium legitur, devotionis ergò vellent invisere, Deo providente Rogerium laicum hoc loco Eremitam agentem invenerunt, eique adhæserunt soli, donec extructo Oratorio Sodalibus tandem adaucti, *Religionis hic Canonicæ*, (& hæc etiam verba sunt ejusdem Auctoris) *Fundamenta jecerunt*. Religionis, inquam, Canonicæ, quam in Angliâ, suscepto ejus professionis habitu, assumpserant, & in Aroasiâ tam fixè fundarunt, ut ea ibi loci ab illo tempore hucusque, sine ullâ, quod sciam, interruptione perstiterit, adeò ut ipsa Aroasia non alio titulo modo cognoscatur, nec hactenus cognita sit, tum in Aulâ, cum in plebe, quàm Abbatia Canonicorum Reg. S. Aug. in quâ Ordo Canonico-Augustinianus sub ejus S. Doctoris Regulâ à primis ejus incunabulis usque ad hanc modernam ejus senilem ætatem semper viguit & perennavit.

83. Quod etiam Vitriacus confirmat dum de

de Aroaſienſibus agens l. 2. Hiſtoriæ Occidentalis cap. 23. ſic ſcribit: *Hi ſiquidem fundamentum Regulæ B. Aug. retinentes quaſdam etiam inſtitutiones neceſſarias & honeſtas ſupra prædictum fundamentum prudenter ædificantes contra imminentia pericula ſibi præcaventes, addiderunt.* Quod intelligendum de Statutis Aroſianis, à Gervaſio Abbate II. de quo infrà, Regulæ Auguſtinianæ ſuperadditis; quæ ne Adverſarius putet, eſſe indiſpenſabilia Ordinem diſtinguentia, notet quæ idem Vitriacus poſt pauca ſubjungit de Abbatibus quotannis ad Generale Capitulum convenientibus, *ut ſecundum quod Religioni viderint expedire* (quod & apud Ciſtercienſes & alios promiſcuè fit) *corrigant corrigenda, reſecent ſuperflua, inſtituant & addant quæ fuerint ſuperaddenda, vel ſecundum temporum aut rerum mutationem, quæ fuerint commutanda commutent.* Ita Vitriacus ſatis inſinuans Aroaſiana ſtatuta non fuiſſe immutabilia, nec deſtructiva unitatis ſpecificæ in Ordine Canonico-Auguſtiniano, ut imperitis perſuadere, Adverſarius magno molimine laborat.

84. Itaque hi duo viri *Sanctitate præſtantes, officio Presbyteri, profeſſione Canonici*, non novam

hic

hic Religionem, ſed antiquam quam in Angliâ, in quâ ea à tempore Gregorii Magni, uſque ad ea tempora & ultra floruerat, profeſſi fuerant; Canonicam, inquam, Religionem ſeu Ordinem in Aroaſiâ propagantes, pro inſtituti ſui Canonici zelo, ut fieri ſolet à veris ſui Ordinis amatoribus cultoribuſque, fœliciter plantarunt, ſubſerviente, pio huic propoſito, Fratre Rogerio laico, ab illis ibi prius invento. Ad quæ præſtanda non opus fuit Pontificis maximi licentiâ, ſed ſuffecit vel tacitus conſenſus Atrebatenſis Epiſcopi Lamberti Giſnenſis, in cujus Diœceſi hæc gerebantur, vel manifeſtus favor, qui poſteà abundè acceſſit. Sic enim etiam noſtris temporibus fieri videmus, Ordines, vel Carmelitarum v. g. vel Minorum olim inſtitutos, in urbibus lociſque aliis, in quibus antè Monaſteria non habuerant, accedente Ordinarii veniâ & annuente Senatu populoque, nova Monaſteria inibi fundari, in quibus non novus Ordo ſed vetus deinceps ſervetur, adeò ut Alumni novi Monaſterii, nullâ ratione ſint Ordine diverſi ab Alumnis Monaſterii antiquioris, cum idem inſtitutum ſit amborum; nec hoc ſit Ordines fundare vel diverſificare, ſed

propagare ut notum eſt ex textu *in c. Relatum, & ibi obſervant communiter dd. tit. ne Clerici vel Monachi, & l. oponebatur de judiciis. Et expreſſè docet Romanus con.* 108. &c.

85. Pergit poſt pauca priſcus ille Auctor Aroaſianus: *Epiſcopante igitur Atrebati Lamberto*, [qui ordinatus fuerat Epiſcopus anno Domini 1093.] *Sanctæ memoriæ Heldemarus à quodam nominetenus Clerico, qui ſe cum eis Deo ſerviturum ſimulaverat (interfecto prius ab ipſo innocente Rogerio) læthaliter vulneratur: ipſi tamen homicidæ plenè indulgens, & pro eo Dominum rogans, imò & oſculum ſi præſens eſſet offerre cupidus, non poſteà curatus ad plenum, intra annum tamquam emeritus idibus Ianuarii hominem exuens ad meliora tranſfertur.* Hucuſque ibi Anonymus, qui ſuprà dixerat eum ſignis Miraculorum in vitâ & poſt mortem claruiſſe. Itaque expletis ſeptem in Præpoſiturâ annis ad Dominum migravit anno Salutis 1097. Beatus Heldemarus communiter primus Aroaſiæ Præpoſitus intitulatus, contemptor rerum temporalium, amator cæleſtium. Veriſimile autem eſt ex eò quod Heldemarus Præpoſitus fuerit, plures quam duos Cononem ſcilicet ac Rogerium habuiſſe ſubditos

ditos. Verisimiliter Clerici in Sodalitatem (fuit ea semper Clericorum) plusculi admissi, è quorum numero fuisse videtur fictus ille Clericus paricida sacrilegus, non absimilis illis, qui olim S. Benedicto venenatum poculum propinare, non formidaverunt.

86. Mortuo cum famâ Sanctitatis Heldemaro succedit Cono ejusdem Ordinis & professionis, secundus Præpositus communiter dictus, defuncti Prædecessoris & meriti, & loci Successor, & hæres, ait Anonymus, qui & notitiam habuit amicitiamque cum S. Ivone, magno illis temporibus Reformatore ejusdem Canonici Ordinis per Galliam, ut Chronographi & Ecclesia in Officiis propriis itidem ejusdem Ordinis à Pio V. approbatis testantur. *Itaque Cono*, pergit Anonymus, *in brevi Socios aggregat, & dum Religione* [scilicet Canonica] *& probitate præeminet universis, illustrium & proborum hominum amorem mentesque conciliat. Vnde & prædicto Lamberto Atrebatensi Episcopo totam illam Parochiam de Rochemiis* [in quâ sita Aroasia, ut in superioribus hic Auctor insinuaverat] *possidendam in perpetuum cum libertatis privilegio anono Dmini* 1097. *condonavit, & multa alia: & juxta*

ta hunc locum à Castellano & liberis Peronensibus, prædia conferuntur. Locus etiam qui Margellas dicitur, cum aqua & adjacentibus pascuis, ab Odone Hamensi confertur, & Oratorium ibidem construere ab Alderico Noviomensi Episcopo petenti conceditur. Ita ibi. Jam videmus Canonicam Aroasianam, sub Conone secundo Præposito, & Canonicorum numero auctam, & bonis temporalibus dotatam. Fortè etiam officia Pastoralia à Conone, ejusque subditis obita, in Parochiâ recenter acquisitâ, ut olim nostris moris fuit, & modo etiam est in Cœnobiis, extra Civitates maximè sitis. His ita prosperè succedentibus, & successibus crescentibus, *Everso priore ligneo* (habet textus) *Oratorio pro Venerabilis Cononis industria, Ecclesia in hoc loco lapidea constituitur, & à Godefrido Ambianensi Episcopo, & Ioanne Terruanensi Episcopo dedicatur (1106. 9. Kal. Octobris.)* Hæc in textu. Fuit autem hic Joannes, quondam Canonicus Reg. S. Aug. in Canonicâ Montis S. Eligii, sanctitate & doctrinâ clarus, nec non ejusdem Ordinis Propagator magnificus, cujus operâ Canonici Reg. positi sunt olim, in Ecclesiâ primariâ Iprensi S. Martino sacrâ, nunc Cathe-

drali

drali post sæcularisationem (cujus nuper Episcopus fuit incomparabilis vir Cornelius Jansenius S. Aug. cultor & sectator eximiùs, qui dicere solitus erat lætari se vel ob hoc unum, quod ad illam Ecclesiam Cathedralem Episcopus assumptus esset, in quá tot sæculis quondam Canonici Reg. S. Aug. resedissent.) Itemque in aliis circumvicinis, ut in Phanopiensi Cœnobio, ubi adhuc idem Canonicus Ordo de facto viget, & aliis. Vide Bolandum tom. 1. 13. Januarii. Descripsimus ejus vitam in nostro Hagiologio Chronico-Canonico. Vt suprà insinuabamus.

CAPVT XIV.

87. Cogitur intereà Cono, ob certa Præpositaræ suæ negotia, & necessitates ad Pontificem maximum, tunc Paschalem hujus nominis, ut videtur secundum quem Trechis invenit, se conferre; *quare evocat ad se familiarem suum Richerium* (ut prosequitur idem Auctor Anonymus) *genere Terruanensem, Priorē Lischensem* (Lischen tunc fuit ordinis Canonici ut notat Bolandus loco infrà citādo)

ejuſdem utique Ordinis Canonici, ut vel huic etiam ſatis eluceat, in nuper fundato Aroaſiano Çœnobio, ſub his initiis Ordinem Canonicum plantatum fuiſſe, & jam aliquamdiu uſitatum. Ad quid enim aliud opus fuiſſet vocare Priorem Regularem Liſchenſem, ſubſtituendum Cononi, niſi ut illius loco Regularibus præeſſet? qui etiam juſſu pontificio Liſchenſibus valedicere, & Aroaſienſibus præſidere tandem coactus eſt, id à Paſchali Papa Conone obtinente. Quo iterum ad Pontificem reverſo, & ab eodem Cardinale Præneſtino creato, multis legationibus claro (de quibus Baronius in Annalibus) nunquam tamen familiæ ſuæ Aroaſianæ, ſub ſe adultæ oblito (nam & ipſi prætioſas Sanctorum Reliquias, aliaſque divitias temporales procuravit, & Oratorium ſupra ſepulchrum Prædeceſſoris ſui Heldemari, cum ornamentis debitis conſtrui fecit, & in honorem S. Mariæ Magdalenæ conſecravit) Richerius Abbatis ſolo titulo & nomine tenus tantum, humilitatis ergò, non etiam Epiſcopali benedictione fulgens, ſtrenuè officium Abbatiale gerit, & multos Religioſos fratres prioribus aggregat. Quæ profectò omnia indicant

Cano-

Canonicum Ordinem (cujus fundamenta à duobus piissimis illis Canonicis Heldemaro & Conone jacta fuerant, ut expresse textus tradit) ibidem florere cœpisse, id enim consideratis præsentibus & præcedentibus, haud obscurè etiam insinuat titulus Abbatialis in his circumstantiis; quæ omnia facilè etiam fieri potuisse existimo, etiam cum scientiâ & licentiâ summi Pontificis Paschalis, interveniente Conone jam Cardinale Prænestino, qui propter vitæ meritum & doctrinæ (ut idem textus descriptæ originis Aroasianę habet) summa apud eum auctoritate pollebat; quâ ratione facilè ab eodem & sacra Lipsana, & alia privilegia Aroasiensibus impetravit, quidni & titulum Abbatialem Richerio? quem certè is tantopere ab humilitate commendatus privatâ auctoritate, cum Prior hactenus fuisset, sibi nullatenus arrogasset, vel à privatis sibi attribui passus fuisset, nisi illi collatus fuisset à majore manu: à cujus tempore, mutato titulo Pręposítali, in Abbatialem, & ipse locus Abbatia, & Superiores ejusdem Abbates ad hęc usque tempora indigitantur, & quidem sub nomine Ordinis Canonicorum Reg. S. Aug. non privatim tantum, sed publicè, quam-

quam

quam Aroasiensium à loco Aroasia dicto.

In qua cum jam Religio Canonica, cujus jacta fundamenta fuerant (quod fortiter & sæpe inculcandum est) à præclaris illis duobus *Viris, sanctitate præditis officio Presbyteris, professione Canonicis* in Angliâ, quo studiorum causâ diverterant, professionis Canonicæ habitu donatis & Regiis Sacellanis Hildemaro & Conone, quorum prior Martyrio coronatus, posterior Cardinalitiâ eminentiâ adauctus fuit, nec longè à papatu absfuit quem recusavit: jacta, inquam, fundamenta fuerant circa annum Domini 1090. atque ita Religio eadem Canonica per 30. & amplius annos firmiter plantata adolevisset viguissetque re optimè administratâ, aucto possessionum cumulo, Canonicorum numero, & ædificii Monastici Ecclesiasticique fastigio pro viribus promoto, ut par est credere, viam universæ carnis ingressus est Richerius primus Abbas sed titulo tenus anno salutis 1121. 8. idus Maii, & vacat præfectura annis duobus.

88. Hæc omnia ex ipso textu Aroasianæ fundationis, ab ipsomet Adversario nobis publicè exhibito, desumpta & probata, facilè confundunt & confutant quæ ipse Adversarius

orbi

orbi obtrudit, in variis temporum periodis, Aroaſianæ originis & accretionis, quaſi ante Gervaſium quartum hujus loci Superiorem, nullus inibi Ordo ſeu Religio approbata, obſervata fuerit. Vbi certè oſtendit ſe non ſatis ponderaſſe, vel otiosè tranſvolaſſe, & quaſi neglexiſſe vel oſcitanter legiſſe, quod tamen vigilantibus maximè notandum erat, id quod tantà claritate habetur in textu, utrumque fundatorem Heldemarum ſcilicet & Cononem in Angliâ *Canonicæ profeßionis habitum ſuſcepiſſe*, itemque *officio Presbyteros & profeßione Canonicos fuiſſe*, atque adeò ſignanter in Aroaſiâ *Canonicæ Religionis*, quæ ab eo tempore nunquam ibi loci defecit, *Fundamenta jeciſſe*. Quæ Religio cum non fuerit nova; ſed antiqua, non tunc nata; ſed propagata, & ex Angliâ eo tranſlata, ibique tranſplantata, & ut aliquid amplius, aſcendendo ad ejus originis antiquitatem, dicamus vel repetamus (nam video hoc fortiter memoriæ imprimendum) à S. Gregorio Magno commendata Anglorum Epiſcopo Auguſtino, prius ab alio Auguſtino Eccleſiæ Doctore præcipuo reformata, à Glorioſis Chriſti Apoſtolis fundata ut habent Pontificum diplomata, potuit

tuit ſine novâ approbatione vel confirmatione Pontificis Maximi, conſentiente & favente Atrebatenſi Epiſcopo Lamberto, ibi inſtitui, prout reverà inſtituta eſt. Vel dicat Adverſarius quo primum tempore ibi inſtituta fuerit vel uſitari cœperit, ſi non illo, quam ſemper ibidem excultam fuiſſe prout & moderno tempore ibidem tenetur, pro explorato eſt, quod nunquam, confidenter dico, præſtabit. Nam quod dicit eam inſtitutam fuiſſe ibidem, à prænominato Gervaſio paucis noto, ut omittam id tamquam paradoxum paſſim exſibilari, eadem facilitate qua confictum eſt poteſt refutari. Quod mox agendum.

CAPVT XV.

89. PRo clariori tamen intelligentiâ, tam eorum quæ prædicta ſunt; quam quæ adhuc dicentur, quantum colligere potui ex ſcriptis Pontificum & bonorum Auctorum obſervo Ordinem Clericorum Religioſorum, quos nunc Canonicos Reg. S. Aug. dicimus diverſos habuiſſe ſtatus & quaſi varios ætatis gradus.

I. Fuit

I. Fuit tempore Apoſtolorum, & Apoſtolicorum Clericorum primitivæ Eccleſiæ, quo obſervari cœpit Hieroſolymis ſub Jacobo Minore I. ejus urbis Epiſcopo, in Eccléſia Alexandrinà, ſub S. Marco etiam I. ejuſdem Eccleſiæ Epiſcopo, & aliis hujuſmodi, quantum permittebant Paganorum perſecutiones, Apoſtolos autem qui fuerunt primitivi Clerici voviſſe tenet S. Aug. & cum eo D. Thomas, & Religioſos fuiſſe docet Bellarminus cum aliis.

II. Status fuit aliqualis relaxationis, ad vitam quodammodo proprietariam; primo circa tempora Urbani I. qui neceſſe habuit, hanc exorientem remiſſionem comprimere, generali decreto quod in ius Canonicum eſt relatum. 2. tempore S. Cypriani ſub quo fratres ſportulantes, qui certum ex Eccleſiaſticis bonis ſtipendium ab Epiſcopo accipiebant ſportis incluſum ut notat Pamelius noſtras in 66. illius S. Martyris Epiſtolam.

III. Fuit Reformationis, ad antiquam & Apoſtolicam communem vitam, in caſtitate & obedientiâ, voto firmatam, juxta primitivam formam, cujus Auctor fuit S. Aug. in Africâ, in quâ jam à tempore Cypriani relaxatio facta

 fuerat,

fuerat, ſed ſub S. Aug. Religioſus Clericatus, ceu ordo Clericalis, denuò reflorere cœpit, & quidem adeò fœliciter & abundanter, ut non tam hujus ordinis Reformator, quam Fundator ſubinde dicatur Auguſtinus.

IV. Fuit iteratæ Relaxationis, ut videtur, ad communem vitam aliquibus permiſſam, ſinè voto, in Concilio Aquiſgranenſi, quæ vita nec omnino ſæcularis fuit ut eſt moderna Canonicorum ſæcularium, nec omnino Regularis ut eſt hodierna Canonicorum Reg. S. Aug. in quo fuerunt Alnenſes.

V. Fuit defectionis ad ſæcularitatem, quo manentibus ſæculariſatis in paucis Eccleſiis, alii ſui propoſiti tenaciores in Monaſteria ſe receperunt.

VI. Fuit reparationis, per SS. Viros, qualis in primis fuit S. Ivo Carnotenſis Epiſcopus, Gervaſius Aroaſianus, & alios ſimiles, ſub quibus ortæ ſunt variæ Congregationes.

VII. Fuit generalis Reformationis per univerſam Eccleſiam, latis conſtitutionibus per Benedictum XII. quæ ſi debitè obſervatæ fuiſſent, multum Ordinis Canonici conſervationi & promotioni profuiſſent.

VIII.

VIII. Fuit univerſalis ferè Cathedralium & Collegiatarum Sæculariſationis Eccleſiarum.

IX. Eſt modernus in ſolis ferè Monaſteriis, vel certæ Congregationi, vel ſolis Epiſcopis loci ſubjectis, in quibus ſervatur Regula S. Aug. juxtà antiquum morem Ordinis Canonici, fitque Canonica profeſſio in habitu Canonico ſub conſtitutionibus accidentaliter quidem, ſed non ſubſtantialiter diverſis, atque ita ſtatum antiqui Ordinis non mutantibus.

Hactenus de variis Statibus Ordinis Canonici, quibus ſubjicio ocularem quandam ſed compendioſam Chronologiam, quæ dicta & dicenda amplius adhuc elucidabit.

CAPVT XVI.

90. PRimitivâ Eccleſiâ Sponsâ Chriſti jam paucis annis natâ, naſcitur fœliciter ſub Apoſtolis & glorioſis Salvatoris noſtri Diſcipulis Ordo Clericalis poſteà dictus Canonicorum Reg. S. Aug. *Eugenius IV. in bullâ & alii Pontifices.*

Anno 223. Juxtà Onuphrium in Faſtis creatur Pontifex Vrbanus I. qui Ordinem nonni-

hil deformatum generali decreto reformavit. *Idem Eugenius suprà.*

Anno 391. S. Aug. fit Presbyter & Monasterium Clericorum mox instituit, & incipit vivere secundum Regulam sub SS. Apostolis constitutam. *Ecclesia in officio divino à Pio V. approbato recitando in ejus S. festo; Cum Poßid. in vitâ ejus, & S. Thoma Aquinate ejusdem officii Auctore, ut testatur idem Pius V. in Bulla: Licet Ecclesiâ Dei*, &c.

Anno 394. S. Aug. fit Episcopus, & statuit in domo sua Episcopali Monasterium Clericorum communem Regularemque vitam cum eo ducentium & profitentium: *Aug. serm. 49. de diversis.* Idem conscripsit Regulam quæ adhuc in usu est, & vocatur Regula Canonica S. Aug. estque sermo tertius de communi vita Clericorum, prius Clericis scripta & postmodum feminis tradita mutato masculino genere in femininum, ut cum Penotto, recenter probat Matthias Hauzeur in Epitome, ex quâ multa relata sunt in ius Canonicum, quæ notavit Lancellottus in allegationibus num. 152 cujus etiam Regulæ mentionem facit idem prçfatus Eugenius in Bulla sup.

Anno

Anno 440. Leo Magnus creatur Pontifex, ſub quo Gelaſius S. Aug. diſcipulus & Clericus profeſſus Romam venit, qui benignè ab eodem Pontifice ſuſceptus & in Eccleſia Lateranenſi collocatus, ibidem Ordinem Canonicum ad pręſcriptum Regulæ S. Aug. quadravit. *Eccleſia in officio divino 20. Novemb. ex conceſſione Canonicis Reg. factâ à Pio V.*

Anno 492. Gelaſius fit Pontifex Romanus, qui inter cætera præclarè geſta ſacræ Scripturæ & SS. Patrum libros authenticos ab Apocryphis ſeparavit, & S. Aug. ſcripta approbavit, inter quæ non infimo loco habenda eſt Regula S. Aug. ſub titulo ſermonis 3. de communi vita Clericorum inter diverſos comprehenſa, quo argumento inter alia Canonici Reg. coram Cardinalibus deputatis, probarunt approbationem Regulæ, à ſede Apoſtolicâ, ferè centum annis, factam fuiſſe ante approbationem Regulæ S. Benedicti. Quemadmodum patet ex *allegationibus Lancellotti num.* 151. *& ſequentibus. Qui totum approbat ſingula membra comprehendit l. ſi quod earum & l. ſi is qui ff. de rebus dub.*

Anno 524. Ordo S. Benedicti inchoatus po-

nitu

nitur à *Bellarmino in Chronologiâ mihi pag.* 242.

Anno 590. Gregorius Magnus Pontifex renuntiatus est. Ejus operâ Canonicus Ordo valde dilatatus est in occidentis finibus, & commendatus est Augustino Anglorum Episcopo, ut in Fcclesiis Anglicanis plantaretur, quemadmodum habetur in sæpe citatâ Bullâ Eugenianâ. Hunc Pontificem narrat Adversarius Benedictinam Regulam approbasse, quod tamen nullibi probat, etsi ita esset, nihil obesset, cum Augustiniana centum circiter annis antè, à Gelasio fuerit approbata, ut dictum est.

Anno 650. A S. Trudone Confessore Presbytero Hasbaniæ Principe fundatur Brugense Cœnobium Eeck-houttanum seu Quercetanum quod floruit multis annis viris Religiosis sanctitate & doctrinâ præditis usque ad annum 880. quo destructum est à Nortmannis, Danis, & Hunnis, de quo infrà latius.

Anno 1050. Restauratur Monasterium Canonicorum Reg. S. Aug. Eeck-houtanum sub titulo S. Bartholomęi Apostoli. *Meyerus in annalibus Flandriæ.*

Anno 1080. Ordo Canonicus reflorere cœpit per Galliam in Belluacensi S. Quintini Ecclesiâ

clesiâ sub S. Ivone prius illius Ecclesiæ Præposito, postea Episcopo Carnotensi. *Antoninus in spec. hist. tit. 15. cap. 16. & alii.*

Anno 1090. fundatur Aroasiense cœnobium à duobus viris Sanctitate præditis *officio presbyteris, professione Canonicis, qui professionis Cononicæ habitum susceperant in Angliâ Heldemaro & Conone,* à quibus ibidem Religionis Canonicæ *prima jacta sunt fundamenta.. Origo Aroasiensis apud Adversarium sup.*

Anno 1093. Lambertus Gisnensis fit Episcopus Atrebatensis,. in cujus Diœcesi, cujusque favore promotum est prædictum Aroasiense cœnobium; *eadem origo.*

Anno 1097. Martyrio afficitur, B. Heldemarus primus Præpositus Aroasiensis, cui mox succedit Cono, qui statim Religiosos sodales congregat, & à viris bonis, subsidia temporalia in sustentationem, & privilegia impetrat. *Origo Aroasiensis.*

Anno 1098. Inchoatur Ordo Cistertiensis à Roberto. *Teste Adversario 3. par. conclus. 15. num. 193.*

Anno 1106. Dedicatur Ecclesia Lapidea, à Conone ædificata, in Aroasiâ, à Godefrido

Ambianenſi, & Joanne Terruanenſi Epiſcopis. *Origo Aroaſienſ.* Quibus peractis, urgentibus rei Domeſticæ negotiis, Cono ad Paſchalem Papam proficiſcitur, ſubſtituto ſibi Richerio viro diſcreto, ac ſtrenuo, Priori Liſchenſi: qui tandem, ex præcepto ejuſdem Pontificis Paſchalis, Liſchenſi Prioratui renuntiare, & Aroaſienſi Cœnobio præeſſe cogitur, id procurante cum aliis privilegiis, & beneficiis Conone. Porro Liſques ſive Licques in Bononienſi olim Teruanenſi Diœceſi. Iſtic 1. Canonici Sæculares conſtituti feruntur, tum Regulares, ac tandem à Milone Epiſcopo Teruanenſi introducti Præmonſtratenſes circa annum 1131. *Bollandus tom.* 1. 13. *Ianuarii pag.* 833. *nota f.*

Anno 1112. Cono ad Pontificem, prout juſſus fuerat, denuo reverſus, jam Cardinalis Prænestinus, & Legatus per Galliam creatus, miſit Aroaſienſibus pretioſas Sanctorum Reliquias. Poſt hæc ad Aroaſienſes regreſſus, ſuper Sepulchrum Domini Heldemari, Magiſtri ſui, Oratorium conſtrui fecit, & donatis veſtimentis Sacerdotalibus & aliis, illud in honorem S. Mariæ Magdalenæ, conſecravit. *Eadem origo Aroaſienſis.*

Anno

Anno 1113. Oritur Congregatio Victorina, sic dicta à Monasterio celeberrimo S. Victoris, in suburbio Parisiensi Ordinis Canonicorum Reg. S. Aug.

Anno 1115. Cono convocatis Remensi, & Senonensi, Bituricensi Metropolitanis eorumque suffaganeis Episcopis, in Civitate Beluacensi celebrat Concilium. *Aroasiensis origo, & alii.*

Anno 1117. Cono migrat ad Dominum. *Tabulæ Aroasianæ.*

Anno 1121. Richerius primus Abbas Aroasiensis, strenuè administrato officio, & possessionibus Sodalibusque Canonicis multiplicatis, viam universæ carnis ingreditur, & vacat Abbatialis præfectura, duobus annis. *Origo Aroasiensis.*

Anno eodem confirmatur Ordo Præmonstratensis à Calixto Papa juxta Adversarium sup.

Anno 1123. Gervasius Boloniensis genere, vir benignitate præcipuus, charitate & misericordia summus, electione fratrum, Rocherio Abbati defuncto subrogatur & Episcopali benedictione primus inauguratur. *Origo Aroas.*

Anno 1138. Dunenses primum suscipiunt Ordinem Cisterciensem. *Miræus in Chron. Belgico pag. mihi 310.*

Circa hæc tempora, multa Monaſteria Ordinis Canonicorum Reg. S. Aug. ſponte & devotè ſuſcipiunt Statuta Aroaſienſia, & conſtituunt Capitulum ceu Congregationem Aroaſienſem, in quà nova reformatio, non verò novus Ordo florere, per multas provincias, cœpit. Ad eum ferè modum quo Adverſarius ſuſtinet in Congregatione Ciſtercienſi, non novum Ordinem; ſed veteris Ordinis Benedictini reformationem, à Roberto conceptam, tandem natam fuiſſe.

Anno 1148. Gervaſius Abbas Aroaſienſis, pertæſus vitæ activæ quam cum Marthâ hactenùs, annis 25. laborioſè quidem ſed fœliciter, & Monaſterio ſuo Aroaſiano utiliter duxerat, amore vitæ contemplativæ, pedum reſignat, in manus Alviſii Epiſcopi Atrebatenſis, ſucceſſoris Roberti. *Origo Aroaſienſis.*

Anno 1198. Innocentius III. Romanus Pontifex conſecratur. Sedit annos 18. menſ. 6. dies 9. hic Congregationem Aroaſienſem, approbaſſe putatur, in Epiſtolâ ad Epiſcopum Lebuſſenſem lib. 2. pag. 305. de quo ſuo loco. Certè Ordo in Aroaſiâ, ab Heldemaro, & Conone à tot annis plantatus, approbatione hac recentiore

non

non indiguit, cum ejus Regula à Gelaſio I. approbata fuerit, & ipſe Ordo ab Apoſtolis inſtitutus fuerit, ut pronuntiant Pontifices, qui ſæpe remiſſus, ſæpe etiam intenſus, in Eccleſiâ Dei nunquam integrè defecit; quia certum eſt, eum ſaltem in Eccleſiâ Lateranenſi, primariâ omnium in urbe-orbe, per annos octingentos, ſine interruptione, à tempore Gelaſii I. uſque ad Bonifacium VIII. (quod ſæpe refricandum eſt) in conſpectu tot Pontificum, in oculis tot nationum ibi communiter degentium, ſemper perſeveraſſe, ante & poſt tempora Concilii Aquiſgranenſis, ut vanum ſit, putare eum iſto Concilio juniorem eſſe, & neſcio quem ejus inventorem recentiorem orbi obtrudere, ne dicam imponere: & ne dicatur Ordinem in Baſilicâ Lateranenſi obſervatum peculiarem vel ſingularem fuiſſe, & nullibi niſi in eâ unâ, vel in Cathedralibus aliis Eccleſiis, quod video eſſe Aſylum quo ferè ſemper confugit Adverſarius, locum habuiſſe, ecce

Anno 1339. Sub Benedicto XII. idem Ordo per Orientalem, & Occidentalem Eccleſiam diffuſus, in Eccleſiis Cathedralibus, Collegialibus, Abbatialibus, Præpoſitalibus, Conven-

tualibus, ab antiquis temporibus reſervatus, reformatur generalibus, & communibus univerſis ejus cultoribus, conſtitutionibus: de quibus multa in ſuperioribus dicta ſunt, & aliqua fortè ex occaſione utiliter dicenda, quia vel illæ ſolæ ſufficiunt ad oſtendendum, quam inutiles & futiles ſint evaſiones, per quas currit & recurrit Adverſarius, vel ad Ordinem quaſi particularem Lateranenſem, vel ad Cathedralitatem.

91. Ex hâc Chronologiâ, ad oculum patet, Ordinem Canonicorum Reg. S. Aug. Ordine S. Benedicti Monachorum, antiquiorem eſſe, & quantum ad inſtitutionem & quantum ad approbationem, & eundem Canonicum Ordinem, prius in Aroaſienſi Cœnobio, plantatum fuiſſe, quam in Ciſtercienſi reformatus Ordo Monaſticus S. Benedicti. Sed quia Adverſarius, totam difficultatem movet, circa Reformationem, à Gervaſio Abbate Aroaſienſi, inductam, quam novum Ordinem eſſe, perſuadere nititur, tandem aliquando ut exactius hoc examinemus, ad eundem Gervaſium veniamus.

CAPVT

CAPUT XVII.

92. CODex manuſcriptus originis Aroſianæ fundationis, ex quo hæc omnia deprompſit Adverſarius, ſic habet de Gervaſio: *poſt quem* [Richerium ſcilicet] *Gervaſius Bolonienſis, vir benignitate præcipuus, caritate & miſericordia ſummus electione fratrum & Epiſcopali benedictione primus apud nos Abbatizavit &c.* Jam Religio Canonica in Aroaſiâ, à Religioſis fratribus Canonicis, quibus duo Præpoſiti Heldemarus nimirum & Cono, & Abbas unus Richerius, præcepto Paſchalis Papæ Cononi ſubſtitutus, Abbas, inquam, nomine non Epiſcopali benedictione, præfuerant, exculta fuerat annis circiter triginta tribus. Jam exſtructum erat Monaſterium, jam Eccleſia lapidea erecta eminebat, non deerant poſſeſſiones, non privilegia, ſed defuncto Richerio Abbate, deerat qui cæteris præeſſet & prodeſſet, & ob virtutum merita, eligitur Abbas Gervaſius à fratribus, jam nunc ut vidimus ſupra, competenti numero à Richerio adſcitis & relictis qui poſtea in eodem M. S. Codice fun-

dationis

dationis Aroasiensis, Religiosi vocantur, eligitur, inquam, Abbas, & Episcopali benedictione primus inauguratur illius loci.

93. Profectò omnes hæ circumstantiæ, si defæcato oculo inspiciantur, titulus Abbatis, Episcopalis benedictio, ejusdem electio à fratribus & quidem Religiosis, in locum defuncti Abbatis Richerii, jubente Paschali Papâ Aroasiæ præfecti, supponunt jam ab aliquot annis, ibidem in usu fuisse Religionem aliquam, ad quam regendam Gervasius à virtutibus commendatus, assumptus est: at quæ Religio? Canonica certè. Cujus *Fundamenta* jam diu *jacta illic fuerant à duobus viris Sanctitate præditis, officio Presbyteris, professione Canonicis, qui Canonicæ professionis habitum susceperant in Angliâ Heldemaro & Conone.* Quod sæpe repetendum, ut tandem Adversarius à somno excitetur, quia dormitabundis oculis hæc neglexisse, vel non legisse videtur; & quandam congregationem, cætui Oratoristarum nostri temporis non absimilem, illic ante Gervasium fuisse, somniasse, sed *procul recedant somnia*; Religio ea Canonica fuit, ab initio illic propagata, & in posterum huc usque conservata & observata; de quâ, sine ullo

nullo incommodo, intelligi poteſt Codex fundationis Aroaſienſis, ex quo recentiores haurire debuerunt, qui aliquid hac de re ſecundum rei veritatem poſteris tradere voluerunt; ſecundum quam verè aſſeritur Gervaſium hunc non hic novam Religionem fundaſſe, ſed antiquam Canonicam, à duobus illis Religioſiſſimis viris propagatam, aliquot annis eodem in loco jam obſervari cœptam colendam adminiſtrandamq; ſuſcepiſſe. Nam quæ in eo Codice, de Gervaſio ſunt ſcripta, ad nil aliud cogunt, ſaltem hactenus allegata.

94. At ſequentia, dicet Adverſarius, in eodem codice planè oſtendunt, eum novum Ordinem inchoaſſe. At peto quâ auctoritate? privatâne an publicâ? ſi privatâ nil fecit. Novum Ordinē condere ſiquidem non eſt privatæ auctoritatis. Si publicâ, ergo Pontificiâ: & ſi hac, proferatur Diploma Confirmationis. Certè hac tempeſtate, novus Ordo Præmonſtratenſis, à S. Norberto fundatus eſt, ſed confirmante Calixto II. ut jam moris eſt. Si ad Innocentium III. recurratur ille ante annum 1198. Pontificatum non adiit. Nec facile crediderim eum hunc novum Ordinem, quem volunt Gervaſianum

 confirmaſſe.

confirmasse. Legitur quidem Innocentius, approbasse Congregationem Aroasiensem, in quadam Epistolâ ad Episcopum Lebussensem, sed patet eam approbationem laudatoriam fuisse non Canonicam, quæ Diplomate ferri tunc cœpit, non familiari Epistolâ, & quidem, alterius Diœcesis Episcopo scriptâ, ut non malè etiam advertit Adversarius. Vel si quid approbatum est, Congregatio ceu Reformatio esse potuit, antiqui Ordinis, non novus Ordo. Neque enim in Aroasiâ novus Ordo plantatus est, sed antiquus primo illic propagatus, à sæpe dictis duobus Religiosis viris, & usque ad Gervasium continuatus, qui si quid fecit (nam eum quid præclari fecisse quis neget?) Constitutiones quasdam, ex more Ordinis Canonici, Regulæ Augustinianæ (quæ in Aroasiâ ab initio semper observata fuit) pro ejus securiore observantiâ superordinavit. Quod supra animadversum vidimus à Vitriaco præclaro ejusdem Ordinis Canonico-Augustiniani professore, & ornamento, rerum sui Ordinis haud dubie non ignaro, dum de Aroasiensibus scribens dicit eos retento fundamento Regulæ S. Aug. superædificasse necessarias quasdam & honestas institutiones, quæ

priorem

priorem & antiquum Ordinem non mutant, nec ad alium ſtatum transferunt, ſed eum in antiquo ſtatu ſtabiliunt.

95. Nam etſi daremus ad ſpecificandum Ordinem Canonicum S. Aug. & ab aliis eandem Regulam Auguſtinianam obſervantibus, diſtinguendum, neceſſarias eſſe quaſdam conſtitutiones, quaſi eſſentialiter requiſitas, profecto ex uſu Ordinis Canonici illæ ſolæ indeterminatæ ſunt, hæ ſcilicet vel illæ, eo ſenſu quo dicimus: alter oculorum neceſſarius eſt ad videndum, cum neque dexter determinatè ad id neceſſarius ſit neque ſiniſter, ſed hic vel ille indeterminatè. Sic nullæ conſtitutiones in Ordine Canonico determinatè neceſſariæ ſunt, ut in quibus ſæpe fiat diſpenſatio & mutatio: quare quamquam Lateranenſes v. g. & Aroaſienſes habeant diverſa ſtatuta, modò Statui Ordinis non ſint repugnantia, ſed fini ejus conducentia, nil hoc obeſt, ejus utriuſque Communis Ordinis identitati. Et ſecundum hîc dicta, veniunt intelligenda verba illa in formâ profeſſionis Aroaſienſis poſita: *Promitto obedientiam vitamq́; Canonicam ſecundum Regulam S. Aug. & ejuſdem loci ſtatuta.* Hæc ſcilicet vel illa, prout

nunc hæc, nunc illa pro mutatione temporis, proponuntur ſecundùm modum obligandi ad culpam vel ad pœnam tantum & ſecundùm communem Ordinis intentionem.

Ex quâ etiam formâ patet, dum profitentes illi, faciunt mentionem vitæ Canonicæ, quæ conſiſtit in obſervantione trium votorum ſubſtantialium, juxta Regulam Canonico-Auguſtinianam, & Canonici Ordinis S. Aug. conſuetudinem; ſe profeſſione Canonicos quales fuerunt Heldemarus & Cono & ſimiles, eſſe velle oſtendere. Nil igitur hic novi, ſed omnia MORIBVS ANTIQVIS.

CAPVT XVIII.

96. VErumenimuero Aroaſienſes Canonicos Auguſtinianos, aggreditur Adverſarius pugionibus petitis, ex eodem contextu codicis fundationis Aroaſienſis, &, ut videtur, non contentus eorum jugulum petere; novâ & inauditâ Metamorphoſi, cui ſimilis nequidem Naſoni quantumvis naſuto in mentem venit, conatur eos hactenus, Orbe teſte, Canonico-Auguſtinianos in Canonico-Ciſtertienſes,

ſtertienſes, vel Ciſtertio-Canonicos novis con-fictis terminis, hucuſque non auditis, arte caco-hetica potius quam poëtica transformare. 3. par. *concluſ.* 12. *num.* 185. Aggreditur, inquam, pugionibus ſed plumbeis, ut mox patebit. Et quidem magno molimine (*ſiquidem tantæ molis erat* hanc mixtam *condere gentem*) hæc omnia aguntur, ut hos Canonicos Reg. credamus obtinere ſtatum medium, inter Canonicos Reg. Cathedrales, quos præferendos Monachis concedere cogitur, & Monachos, & de utriſque participare. Sed quis finis hujus tam ſubtilis inventionis? præcedentia Monachorum Ciſtercienſium, reſpectu Dominorum Aroaſienſium, & reliquorum Canonicorum Reg. is enim eſt titulus Libræ Joannis Caramuelis Lobkowitzii S. T. Doctoris. Qui nequidem titulus verus eſſe videtur ſi vera eſt doctrina Auctoris, coacti concedere Ciſtercienſes, & cæteros Benedictinos non habere præcedentiam reſpectu Canonicorum Reg. Lateran. Certe *error quantumvis parvus in principio* teſte philoſopho, *magnus in fine.* Interea non advertit vir bonus, qui ſæpius in hoc tractatu, & aliis ſuis, in materiâ morali hoc principio utitur: ſicut in phyſicis phyſiſè, ſic in morali-

 bus

bus moraliter philoſophandum eſſe ; ex hoc eodem principio colligi potius præcedentiam Canonicorum Reg. præ Monachis : ſi enim illi obtinent ſtatum, & gradum medium, inter Canonicos præcedentes, & Monachos ſubſequentes, ergo ſicut illos ſequi, ſic hos locali ordine præcedere debent ; eo ferè modo quo homo medius inter Angelum & Brutum, & de utroque participans, naturali ordine digniorem illum ſequi, ignobilius & inferius hoc præcedere habet. Atque ita imaginatio hæc, pluſquam Chimerica Adverſarii, cauſæ ejus obeſſe videtur non prodeſſe. Sed hæc per tranſennam, & quaſi aliud agendo interpolata ſunto.

97. Relictis itaque Chimericis iſtis ad ſolidiora properemus, & videamus amodò, quam plumbei ſint pugiones, & quam ficulnea argumenta, quæ expedit ut probet Gervaſium Abbatem, hactenus quidem paucis notum, novum Ordinem eumque illuſtrem inſtituiſſe Canonicorum Reg. Aroaſienſium, per Belgicam, Hiberniam, Poloniam diffuſum, quorum tota vis conſiſtit non tam in re, quam in nomine, ut favente numine, ex his quæ profert Adverſarius declarabo, conſiſtit, inquam, in voculâ

Ordo

Ordo quæ sæpiusculè in citato codice manuscripto originis fundationis Aroasiensis legitur. Altiùs si placet ex eo rem repetamus.

CAPUT XIX.

98. A*Bbas enim Gervasius* (sic ibi legitur) *de die in diem magis proficiens & ferè omnes utriusque sexus, qui ad Deum converti volebant admittens cum Religiosos fratres quos invenerat* [erant ergo Religiosi, in Aroasiâ in Societate fraternâ sub Abbate, & quidem jussu Pontificis Paschalis præfecto, Religiosi, inquam, non aliunde sic denominati, quam à Religione Canonicâ, cujus jam à tot annis jacta fuerant fundamenta, Monasterio aliquousque adulto, possessionibus & Religiosis personis seu Canonicis Reg. adaucto, etiam ante imaginarium illum novum Ordinem Gervasianum ut ex eodem fundationis Codice liquet] *vel quos ipse creaverat secum haberet, unusquisque se in anteriora extendens ad majora semper aspirare contenderet, de Concilio Sanctæ memoriæ Bernardi Clare-vallensis Abbatis, & multarum honestarum personarum, quæ tunc temporis haud paucæ erant*

esum

esum carnium & sanguinis suis fratribus interdixit, usum quoque laneorum ad carnem, Laborem manuum, & perpetuum silentium & multa alia quæ Ordo exigit constanter inducit; unde accidit ut à multis usquequaque requisitus per diversa loca cœnobia construeret, & Religiosos quosque de suis fratribus ad plantandam ibi Religionem nostram transmitteret. Nonnulli etiam Canonicorum de aliis Ordinibus Ordini suo valefacientes, nostrum tanquam districtiorem suscipere & profiteri contenderent. Itaque infra breve tempus exceptâ Flandriâ ipsa quoque Anglia & Scotia Burgundia, & apud exteras gentes Polonia de fratribus nostris novellas plantationes sponte suscipiunt, & prælati eorum ob unitatem quandam ac corrigendum si quid in Ordine excesserunt, ad generale Capitulum semel in anno apud Aroasiensem Ecclesiam Matrem suam venire consentiunt. Ita ibi. Ubi nota spontaneæ devotionis submissionem, Prælatorum aliorum Monasteriorum, Ordinis Canonicorum Reg. S. Aug. subycientium se, huic novellæ Reformationi, & constituere incipientium novum Capitulum, in quo illi qui prius incorporati fuerunt priorem sessionis locum, obtinuerunt in posterum, non quidem Ordinem per hoc in alium transformare

intendentium,

intendentium, ſed ad ſummum reformare, quod ſæpe factum per varias ejuſdem antiqui Ordinis Congregationes, Lateranenſem, Windeſemenſem & ſimiles, per quas, dixerunt Pontifices in Bullis Confirmatoriis, antiquum Canonicum S. Aug. Ordinem viſum denique fœlici repullulatione reflorere cœpiſſe. Ut ex Bullâ Martini V. Windeſemenſibus datâ ſupra notavimus.

99. Præter hæc, proferuntur quædam, ex conſtitutionibus Reformationis Aroaſienſis, ubi hæc inter cætera: *Nullus Canonicus alterius Ordinis ad demorandum in conventibus noſtris ſuſcipiatur niſi omnino voluerit remanere.* Item. *Sane hoc ſibi præcipuum Eccleſia S. A. Mater Eccleſiarum ſpecialiter retinuit ut ſemel in anno ſeſe viſitandi, Ordinis reparandi, confirmandæ pacis, conſervandæ gratia charitatis Abbates pariter ad eam conveniant, videlicet 9. kal. Octobris.* Item. *quamcumq; perſonam de quovis Cœnobiorum S. A. elegerint ſine contradictione ſuſcipiant. Nam de cæteris Monaſteriis Abbatem ſibi ſumere aut ſuos aliis ad hoc ipſum Canonicos Eccleſiis niſi Ordinis dare non licet.* Item. *Abbas infamis vel ſui Ordinis prævaricator ſive ſuæ Eccleſiæ inutilis ſive pernitioſus*

 extiterit,

extiterit, nisi à Patre Abbate secundo tertiove commonitus suum curaverit emendare delictum, idem adiunctis sibi aliis discretioribus & gravioribus ejusdem Ordinis Abbatibus vel personis de ipsorum consilio & assensu cum Canonica correctione castiget. Quod si ipse eorum correctioni fuerit rebellis, per Abbatem Aroasiensem, qui caput aliorum esse dignoscitur & quatuor Abbates qui arbitri cum eo ad corrigendos omnes excessus Ordinis in generali Capitulo statui solent, si sponte Abbatiæ renuntiare noluerit, districtione Canonica deponatur. Item. *Anno* 1260. *nos Abbates Aroasiæ A. de Hinniaco, B. M. de Polonia & A. S. Nicolai de Tornaco divina permissione Abbates definitores Ordinis Aroasiæ. Et Anno* 1265. *nos N. de Aroasia, de Hinniaco, de Polonia, de Mareolo, de Valencenis Definitores dicti Ordinis Aroasiæ auctoritate Ordinis consueta Domini Papæ Ordini nuper indulta definiendo statuimus &c.* Hæc paucula, ex constitutionibus & Codice originis Aroasiensis, collegit Adversarius, quibus subscribunt Franciscus Pietinus & Locrius. Et quidem ex illo exordio quo narratur Abbas Gervasius ex consilio S. Bernardi non tamen solius, verum etiam aliarum honestarum personarum ex quibus unum vult Adversarius

versarius fuisse Petrum Cluniacensem. Sed quid opus? sane florebat tunc temporis in Belgio, B. Joannes ex Canonico Reg. S. Aug. creatus Episcopus Morinensis, qui Ecclesiam Aroasiensem consecraverat, Discipulus S. Ivonis Carnotensis Episcopi, magni reformatoris ejusdem Ordinis Canonici, per Galliam, ut passim historici tradunt: vicinus quoque huic tempori B. Hugo de S. Victore S. Bernardo familiaris exstitit, itemque & ipse ejusdem Ordinis zelator eximius, qui inter cætera ascetica, egregia commentaria in Regulam S. Aug. scripsit quorum consilio in hac reformatione facile uti potuit Gervasius Abbas, qui, inquam, ex eo quod hic dicatur ex horum vel similium virorum consilio, suis indixisse abstinentiam à carnibus, usumque laneorum ad carnem, laborem manuum ac perpetuum silentium, exsculpere conatur Adversarius, eum instituisse novum Ordinem. Sed non video quâ consequentiâ sequi legitime possit: Gervasius Abbas in Monasterium suum, antiquæ Religionis Canonicæ, introduxit perfectiora quædam exercitia, pro securiore conservatione ejusdem Religionis, & promotione in pietate & sanctitate: ergo instituit novum

 Ordinem.

Ordinem. Profectò poteſt quilibet Superior æmulari chariſmata meliora, & ad ea ſubditos ſuos exhortari, alioſque ut eadem imitentur, bono exemplo ſuo excitare, ſine Ordinis antiqui mutatione & novi inſtitutione. Neque enim ea mens fuit, non, inquam, intentio Gervaſii fuit, novum Ordinem introducere; ſed S. Patrem ſuum Aug. imitari, ejuſque Regulam exactius ſectari.

100. Sanè de S. Aug. narrat poſſidius in ejus vitâ Cap. 22. quod menſâ uſus eſt frugali & parcâ, quæ quidem inter olera, & legumina etiam carnes aliquando; ſed propter hoſpites tantùm, & infirmos continebat. Nam ut ait Pietienus, veſci carnibus ſuis permiſit Gervaſius, in infirmitate conſtitutis. Voluit Gervaſius ſeverè ſervare quod in Auguſtinianâ Regulâ præſcriptum habetur hoc tenore: *Carnem veſtram domate jejuniis & abſtinentia eſcæ & potus quantum valetudo permittit.* Cæterum non eſſe contra morem Ordinis Canonico-Auguſtiniani, multò minus contra ejus eſſentiam, ſtrictiorem ab eſu carnium abſtinentiam, evidens eſt ex conſtitutionibus generalibus Benedicti XII. ſæpius inculcatis. Nam in earum §. 45. expreſſè

leguntur

leguntur hæc verba: *Illis tamen qui ad majorem abstinentiam sunt adstricti, per hoc esum carnium non intendimus indulgere.* Voluit item Gervasius Abbas exactè servare, aliud ejusdem Regulæ punctum, quod est de omnibus operibus nostris, in communi faciendis majori salacritate, quam si nobis faceremus propria. In quæ verba circa hæc tempora egregie commentatus est Magister Hugo de S. Victore, dictus alter sui temporis Augustinus, S. Bernardo notus, ejusdemque Canonici Ordinis splendor non exiguus. *Hæc tria* inquit, *commendat Regula Orationem, lectionem, operationem. Oratione mundamur, lectione instruimur, operatione beatificamur.* Itemque monet ut si quando cessatur ab Oratione, incumbatur lectioni; ita ut & huic, si quando ab hac cessetur, debeat manuum succedere operatio. Quamobrem convenienter Regulæ Augustinianæ, Gervasius suis laborem manuum indixit.

101. Porro Religiosum silentium, adeo omni Religioni congruum est & necessarium ut hinc S. Jacobus confidenter scripserit: *Si quis putet se Religiosum esse non refrænans linguam suam, hujus vana est Religio.* Quare consultum Iac. 1.

 visum

visum fuit eidem Gervasio, suis Religiosum imponere silentium. Denique quia Monasterium non est Palatium, & de iis qui in hoc versantur
Matt. 11. scriptum est: *Qui mollibus vestiuntur in domibus Regum sunt*, ideo opportunè idem pius Abbas mollia indumenta, quæ ideo mollia dicuntur, commentatore Hugone, quod mollem animum efficiant, suis subtraxit, & multa similia supra stabile fundamentum Regulæ Canonico-Augustinianæ superstruxit, teste Vitriaco, item & ipso ejusdem Ordinis Canonico, suprà. Eo fere modo quo retento instituto Benedictino Robertus, Albericus, Stephanus, Bernardus primi Auctores Reformationis, Congregationis vel Ordinis Cisterciensis novas constitutiones superaddiderunt.

102. Sed nunquid hi viri SS. novum Ordinem Cisterciensem, à Benedictino distinctum, propterea condiderunt? profectò si quis contendat, adversabitur illi Adversarius noster, scribens in Regulam S. Benedicti *disp.* 35. *art.* 4. *num.* 370. *per constitutiones Religiones non mutantur quia hæ solummodo extrinseca & accidentalia moderantur remanente essentia: vel dicant obsecro quæ congregatio S. Benedicti reperitur in mundo*

quæ

quæ non habeat constitutiones differentes? omnes ergo valedixerunt S. Benedicto? quis crederet in eadem Congregatione esse diversas Religiones & Ordines? essent sane si constitutiones Religionem distinguerent à Religione, quia vix sunt duo in eadem Congregatione Monasteria quæ iisdem gubernentur Statutis, quia pro diversitate loci, temporis, personarum illa debent esse diversa. Ita ibi Adversarius.

103. Audivimus supra, quod hic iterum repetendum, in Aroasiâ à primis ejus Præpositis Heldemaro & Conone, Canonicis Reg. in Angliâ professis, jacta fuisse, prima Religionis Canonicæ fundamenta, quorum primum est Regula Augustiniana, quæ ibidem ab exordio fundationis, sicut modo, semper servata est & cum habitu Canonico, & sub nomine Canonicorum Reg. S. Aug. & cum expressâ professione vitæ Canonicæ; vel si ab illo fundationis exordio, hæc ibi non fuerit observata, cum ibidem ea omnia non fuerint ab æterno usitata, ut in simili eadem disp. num. 354. argumentatur Adversarius, habuerunt aliquod initium. Quod certe aliud non fuisse audeo licitari cum eodem Adversario, quam dictum illud exordium, quo in manuscripto Codice fundationis Aroasiensis,

ſis, narratum eſt, à præfatis viris illis ſanctis, primiſque duobus Præpoſitis Heldemaro, & Conone Canonicæ Religionis (quæ hæc omnia requirit) jacta fuiſſe fundamenta, per modum propagationis antiqui Ordinis, quam pius Abbas Gervaſius, ſuis aſceticis conſtitutionibus ſuperadditis, non abolevit, ut novam ſtatueret, ſed polivit, ornavit, munivit, ut veterem, ſicut primi Ciſtercienſes circa ſuam fecerunt, ſtabiliret; & adeo feliciter, ut multi alii Canonici, tam vicini, quam remoti, Flandri, Angli, Scoti, Burgundi, quinimo Poloni, bono odore Aroaſiani exempli, longè latèque diffuſo attracti, ſpontaneâ devotione eaſdem conſtitutiones aſſumpſerint, pereoſque ſe reformaverint, & in unum novo ſpiritu fervidi coeuntes novam in antiquo Ordine Canonico S. Aug. Congregationem, dictam Aroaſienſem inchoaverint, non Religionem. Non abſimili modo quo ex mente Adverſarii primores Ciſtercienſes non novam Religionem in Ordine S. Benedicti ilintiarunt, ſed novam tantum inter cæteras Congregationem.

104. Maneat ergo ex hoc capite, nil eſſe quod cogat credere, Abbatem Gervaſium novum

vum condidiſſe Ordinem Canonicorum Reg. Gervaſii, quod hactenus inauditum eſt, qui & in Ordine vix notus hucuſque, nec apud antiquiores ſcriptores, qui Congregationis Aroaſienſis meminerunt. Nam ſi unum aut alterum recentiorem excipias, illi omnes ejus fundatores Hildemarum, & Cononem dixerunt: Maneat porrò & argumentum ex eodem petitum ficulneum eſſe, & pugionem plumbeum.

CAPVT XX.

105. SEd urget Adverſarius nomen ceu voculam *Ordinis*. Fateor, nec negare poſſum, nomen illud in locis allegatis, facilè ſepties habetur. Sed quid inde? equidem Pontifices vocant, Adverſarii Religionem Ordinem Ciſtercienſem, idque conſervant graviſſimi Auctores, quod ut ſatis notum, non latet ipſum Adverſarium, ex quo tamen ſequi non vult eum eſſe diſtinctum ab Ordine Benedictino, *eadem diſp. art.* 7. *num.* 381. Legatur totus articulus & comperietur ſub nomine *Ordinis* Ciſtercienſem tantum eſſe Congregationem Benedictini Ordinis, ab Adverſario ibidem eſſe

defensum, & probatum tum ratione tum exemplis, quorum primum est Congregationis Cluniacensis 2. Congregat. Cassinensis, quarum utraque est Ordinis S. Benedicti, non distincta Religio, sed Congregatio. Petrus Cluniacensis Abbas epist. 44. *non solum* ait *Monastica professione sed etiam Cluniacensis Ordinis observatione.* & Petrus Galesinus in annotationibus sui Martyrologii 3. Jdus Martii. *Ab eo Monasterio* (agit de Cluniaco) *Ordo Cluniacensis nomen accepit.* & S. Antoninus de Florentia in summa sua historiali tit 15. cap 14. *Inde etiam Ordo S. Iustinæ* (is est Cassinensis) *sumpsit exordium.* Eodemque modo Garibay in suo Compendio. Ergo etiam ex mente Adversarii sub nomine *Ordinis* subinde intelligenda venit, non repugnante usu & stylo, Congregatio. Si id fieri admittatur in Ordine Monastico S. Benedicti; quare idem fieri non posset in Ordine Canonico S. Aug.? in quo quamvis, Lateranensis v. g. & Aroasiensis tantum sit Congregatio, tamen utraque à scriptoribus interdum vocetur *Ordo*, ut Ordo Lateranensis, Ordo Aroasiensis. Pro quo——

106. Observandum: hæc duo nomina, *Ordo & Congregatio*, quandoq; sumi pro diversis, ut

quando

quando ſimul ponuntur, etiam in Bullis Pontificiis, unum in recto, aliud in obliquo caſu. Exempli cauſâ quando dicitur Congregatio Lateranenſis Ordinis Canonici: Congregatio Ciſtercienſis Ordinis Monaſtici, juxtà regulam grammaticalem, per quam duo nomina ſubſtantiva ad diverſas res pertinentia ponuntur in diverſis caſibus v. g. membrum corporis: Quandòque pro iiſdem Ordo pro Congregatione, & Congregatio pro Ordine. Prioris exemplum eſt in auctoritatibus adductis. Ab eo Monaſterio (Cluniaco) Ordo Cluniacenſis nomen accepit, ubi Ordo ponitur pro Congregatione. Item in brevi executorio Pii IV. ſententiæ latæ pro præcedentiâ Canonicorum Reg. Lateranenſium, reſpectu Monachorum Caſſinenſium, qui ibi prius vocantur Monachi S. Benedicti *Ordinis Caſſinenſis*, ubi nomine *Ordinis* intelligitur *Congregatio*, quia in eodem brevi iidem vocantur Monachi S. Benedicti Congregationis Caſſinenſis. Poſterioris exemplum eſt in Bullâ Pii V. officiis propriis Ordinis Canonici præfixâ, ubi ſic patenter legitur: *Attendentes tamen Canonicos Reg. Congregationis Lateranenſis Ordinis S. Aug. eorum Patrem ac primum Apoſtolici illius Or-*

dinis Reformatorem S. Augustinum prædictum, ac præterea insigniores ejusdem Ordinis SS. Martyres ac Confessores, quorum meritis eadem Congregatio per orbem propagata & illustrata exstitit--------- debita ut par est veneratione cupere----celebrare. & infra num. 5. numerantur inter illos SS.os S. Ivo Carnotensis qui in Galliâ, S. Theotonius, qui in Hispaniâ, & S. Ioannes Bridlitonensis qui in Angliâ floruerunt, per quos non potest dici, quod propagata sit ipsa Congregatio Lateranensis, quæ eorum tempore nondum erecta fuit, & ferè in solâ Italiâ hactenus contenta floruit. Restat ergo quod nomine Congregationis intelligatur Ordo Canonicus S. Aug. qui ab his SS.is & propagatus & reformatus fuit & illustratus.

107. Tandem *Ordo* nonnumquam accipitur pro ordinatione, seu constitutione aliquâ. Sic in sæpè citatâ Bullâ Eugenianâ legitur quod Ordinē Canonicum S. Urbanus *Ordine generalis decreti reformarit*, ubi nomine Ordinis intelligitur ordinatio, ceu constitutio vel quid simile.

108. Juxtà præmissa itaque intelligi potest textus Codicis Fundationis, & Constitutionum Aroasiensium, in quo legitur Abbates Definitores

tores *Ordinis* id eſt *Congregationis Aroaſiæ*. Item *exceſſus Ordinis*. Id eſt Ordinationis & Conſtitutionis. Item *in Eccleſiis Ordinis* &c. Ut nomine *Ordinis* ſine ullo incommodo intelligatur Congregatio. Item quando legitur: *Nullus Canonicus alterius Ordinis, ad demorandum in Conventibus noſtris ſuſcipiatur, niſi omnino voluerit remanere*: eâ phraſi intelligi poteſt, quâ dici poſſet nullus Monachus Ordinis ſcil. Cluniacenſis, ad demorandum in Conventibus Ciſtercienſium ſuſcipiatur; niſi omnino voluerit remanere. Ubi nomine *Ordinis* juxtà Adverſarium iterum intelligeretur Congregatio. Adde etiam unum & eundem Ordinem hic reformatum illic non reformatum vulgò haberi pro diverſis, licet à parte rei non ſint diverſi, ſed jidem; ut patet de Benedictinis reformatis & non reformatis, de Carmelitis Diſcalceatis & mitigatis, de Franciſcanis Conventualibus & Recollectis; maximè quando videmus, quod qui volunt tranſire ad Reformationem; debeant denuo incipere novum Novitiatum, & facere profeſſionem, de quibus vulgus exiſtimare poteſt, quod tranſierint de uno ad alium Ordinem. *Loquendum* enim *ut multi ſapiendum ut pauci*: quid miri ergo ſi legatur in

præallegatis locis, quod nonnulli Canonici de aliis ordinibus, Ordini ſuo valefacientes, noſtrum tamquam ſtrictiorem ſuſcipere & profiteri contenderent? erant enim illi de non Reformatis, qui Gervaſianum atque adeo Aroaſienſem Reformationem ſubire certabant, qui Ordini ſuo non reformato valedicentes, eundem Ordinem apud Aroaſienſes reformatum, propter ſtrictiorem obſervantiam arripiebant, ſed Canonicum Ordinem non mutabant, in rigore loquendo.

109. Docet hoc, vel ipſe Catalogus Cœnobiorum Abbatialium Congregationis (ſic enim à Franciſco Pietino, ex quo deſumptus eſt, vocatur) Aroaſienſis apud Adverſarium *part.* 3. *num.* 229. quæ omnia fuerunt Ordinis Canonicorum Reg. S. Aug. & quidem noſtrum antiquiſſimum Eechoutanum tot ſeculis, ante Gervaſianam Reformationem Fundatum; Ordinis Canonicorum Reg. S. Aug. antequam eandem Reformationem ſuſciperet, fuit, & ſub eâ, & poſt eam hucuſque ſemper manſit, eſtque in præſcriptâ poſſeſſione per tot ſecula, nominis & tituli iſtius Ordinis, nec unquam (quod ſciamus) hac de re dubitatum fuit hactenus; donec in hæc tempora devenimus, quæ inter

cæteras

cæteras calamitates, quibus abundant, etiam nescio quibus Novatoribus scatent. Hinc est quod Abbas Cœnobii Henniacensis (sic enim scribendum non Synniacensis ut perperam apud Adversarium sup.) eo quod omnium primus Aroasiensi Reformationi ceu (ut Pietinus vocat) Congregationi sese adjunxisset, hujus ejusdem Congregationis Prior, sub Patre Abbate Aroasiensi, perpetuus constitutus sit, & primo loco lateris dexteri, in capitulari sessione donatus. Prout reliqui omnes secundùm tempus, quo se eidem Congregationi subjecerunt, priorem vel posteriorem in latere dextero, vel sinistro locum acceperunt. Nunc autem omnia quotquot exstant cœnobia post istius Aroasiensis Unionis dissolutionem, talis Ordinis sunt, qualis ante subjectionem erant, & in ipsâ subjectione, nempè Canonicorum Reg. S. Aug. ut antiquissima possessio proclamat. Ut non sit vel umbra credendi Abbatem Gervasium novum instituisse Ordinem, ab hoc distinctum. Ab illo inquam Canonico Ordine, quem illius Prædecessores Heldemarus & Cono, per propagationis viam, in Aroasiâ, & alii in aliis cœnobiis plantaverant. Quare si quid fecit Gervasius, non

non novus Ordo fuit ſed Conſtitutiones novæ, per quas antiquus Ordo Canonico-Auguſtinianus, in primævo ſuo vigore ſecurè fuit conſervatus, quas qui admiſerunt Congregationem Aroaſienſem diſtinctam à Victorinâ, quæ etiam ſub illa tempora nata eſt, conſtituerunt. Ex quibus omnibus iteratò elucet, quam ſint ficulnea argumenta, ex præallegatis locis ab Adverſario petita; quamque plumbei pugiones quibus Aroaſienſes impetuntur ut de Canonicis Auguſtinianis fiant neſcio qui Gervaſiani.

CAPVT XXI.

110. CÆterum ne omnino immemores eſſe videamur legum urbanitatis, quia cum eo agimus qui non ſolum vult urbanus videri ſed & eſſe, prout charitas nos
1. Cor. 13. facit credere quæ omnia, teſte Apoſtolo, credit: eſt quod ipſi maximas habeamus gratias pro eo, quod nobis in memoriam revocarit ex eodem ſæpè citato textu, Aroaſienſes, etiam olim ab exordio Congregationis ſeu Reformationis Gervaſianæ, factos fuiſſe Cathedrales, in totâ ferè Hiberniâ. Sic enim habet textus apud Adverſarium

ſarium 3. *part. concl.* 12. *num.* 184. *Sanctæ memoriæ Malachias Hibernenſium Archiepiſcopus per nos iter faciens inſpectis conſuetudinibus noſtris & approbatis, libros noſtros & uſus Eccleſiæ tranſcriptos ſecum in Hiberniam detulit, & fere omnes Clericos in Epiſcopalibus ſedibus, & in multis aliis locis per Hiberniam conſtitutis Ordinem noſtrum & habitum & maximè divinum in Eccleſiâ officium ſuſcipere & obſervare præcepit.* Ita ibi. Quibus conſentanea ſcribit Franciſcus Pietinus (qui cum Proſpero Stellartio, Auberto Miræo & aliis Aroaſienſem non Ordinem ſed Congregationem vocat) *S. Malachias* (inquiens) *Aroaſianis decretis omnes Clericos Regulares, qui eo ævo in Hibernia vivebant, ſed eos potiſſimè qui Collegii D. Patritii erant* [habetur & hoc Collegium inter cætera, in tabulâ Abbatialium Cœnobiorum Capituli Aroaſienſis] *addixiſſe memoratur.* Quod etiam haud obſcure inſinuatur, ejuſdem S. Epitaphio, quod exſtat in Clara-valle, relato à Chriſoſtomo Henriquez *lib.* 2. *faſciculi SSrum. diſtinct.* 41. *cap.* 2. Sic habet: *Hic requieſcit corpus B. Malachiæ quondam Archiepiſcopi & Primatis totius Hiberniæ, ac Sedis Apoſtolicæ Legati, viri Apoſtolicâ vitæ & miraculis glorioſi. Hic eſt qui*

 Canoni-

Canonicorum Reg.---Conventus per terras illas diffusius propagavit &c.

111. Sancti Malachiæ factum, postea etiam æmulatus est, S. Laurentius Archiepiscopus Dublinensis, in eàdem Hiberniâ. Nam ut in ejus vitâ legitur, & Joannes Molanus alibi testatur, Clericos Cathedrales suos, vel potius Metropolitanos ex sæcularibus relaxatis Regulares Canonicos S. Aug. juxtà strictiorem observantiam, Aroasiensium Constitutionum fieri decrevit, & factus ipsemet, suis insigne reformationis exemplar S. P. Augustinum in omnibus sequi eligens satagensque, ejusdem Ordinis habitu assumpto, & Canonico vivendi modo, cum illis communi domo, mensâque utens, ad horas diurnas & nocturnas in Ecclesiam pariter cum iisdem ingredi voluit, prout publicè legitur in ejus festo in 2. noct. lect 5. in Ordine Canonico. 14. Novembris.

112. Sed quare hi viri Sancti, & præsertim Malachias, Cathedrales Canonicos Hibernenses, effecerunt potius Aroasienses, quam Cistercienses, cum hic non tantum Canonicorum Reg. sed etiam Monachorum Cisterciensium propagator fuerit per Hiberniam, ut liquidum est,

est, ex commemorato ejus in Claré-valle Epitaphio? reverà consideraverunt, quod Aroasienses essent Canonici Reg. S. Aug. quibus per se competit, quod sint Clerici Religiosi, ut habet communis, & recepta S. Thomæ Doctoris Angelici sententia, in Bullis sententiisque Pontificiis canonisata. Consideraverunt statum eorum Clericalem primariò ipsis inexistentem. Consideraverunt professionem Canonicam, Canonicam Regulam, habitum Canonicum, togam scilicet albam quam Benedictus XII. maximè commendat in Constitutionibus, & cæteris alterius coloris præfert, tunicam lineam quam Rochetum dicimus, cujus mentionem facit S. Aug. in sermonibus de communi vitâ Clericorum, & Joannes Andræ proprium eorum habitum esse definivit, superpelliceum in Choro & Almutium cum Bireto; quæ omnia sunt signa qualitatis Canonicæ, ceu Clericalis potius quam Monachalis, eaq; melius symbolisare, cum Clericis Cathedralibus, in eosq; quadrare, quam qualitates Cisterciensium, qui primariò puri Monachi sunt, ex accidenti vero tantum Clerici Consideravunt renovatam devotionem, & antiquam Canonicorum, observantiam stri-

 ctiorem

ctiorem refloriscentem in Aroasiensibus, ac proinde nil antiquius habuerunt, quam Canonicos suos Cathedrales restituere tales, quales jam effectos gaudebant Aroasienses. Quod etiam in votis habuisse memoratur S. Carolus Boromæus, præclarum nostræ ætatis ornamentum, quamuis propter horum posteriorum temporum infœlicitatem, non æquè fœlici successu: reducere, inquam, in sibi subjectas Ecclesias Canonicos Reg: quos sive in Monasteriis, sive in Ecclesiis residentes, non ignorabant viri illi Sancti, & docti ejusdem omnino esse Ordinis & Religionis: ac proinde facilius suspicabantur, Canonicos Cathedrales illos, si aliquam, potius suscepturos fuisse Reformationem Canonicam quam quamuis aliam.

CAPVT XXII.

113. ITaque Aroasienses actu & reipsâ, in Hiberniâ fuerunt Cathedrales, cæteri verò alibi residentes, potentiâ & quidem satis propinquâ, etsi non actu fuerunt, & sunt Cathedrales vel Collegiales, adeò ut in aliquibus tantum opus sit bonâ voluntate, quâ ut plerique

plerique ex Regularibus juxta ea quæ ſupra adduximus exempla, ſæculares facti ſunt, ſic denuo ex ſæcularibus Regulares fieri velint. Sicuti in Galliâ denuo Canonicos ſaltem ad communem vitam nonnullos coire legimus apud Miræum in Codice Regularum. Neque enim opus eſſet magnâ mutatione, ſaltem in habitu; poſſent enim retentâ togâ nigrâ, ſi alba non placet, retentâ tunicâ lineâ quâ Cathedrales utuntur, ſuperpelliceo ut noſtris mos eſt cum almutio, retento nomine Canonico, aſſumptâ Regulâ Auguſtinianâ, quæ præ cæteris facilis eſt, & factâ profeſſione Canonicâ cum communi vitâ in Clauſtris, quæ adhuc alibi ſuperſunt, prope antiquas Eccleſias, cum Refectoriis, & Dormitoriis in viridi obſervantiâ ducenda, cum conſenſu eorum quorum intereſt, iterum fieri Regulares, quales adhuc multis in Eccleſiis Metropolitanis, Cathedralibus, Collegiatis fuerunt tempore Benedicti XII. ut liquidum eſt ex Conſtitutionibus generalibus illis ab eo præſcriptis anno ſalutis 1339. de quibus ſupra plus quam ſemel & tempore Raphaëlis Volaterrani in Eccleſiis quadraginta.

114. Quæ quidem non ideo dicta ſunt,

quaſi Canonici Reg. affectent primas Cathedras. Contenti enim ſuâ ſorte cum ſint, ſufficit illis quod in Cœnobiis, tamquam milites emeriti longævo ſervitio, jam quaſi præſidiarii facti exortis in Eccleſiæ acie, tot tamque variis Ordinibus Mendicantibus, Laudes Canonicas Deo opt. Max. die noctuque graviter & devotè Deo offerant. Quod munus Angelicum, nunquam ſatis laudatum, imo cæteris aliis prælatum ab Anacleto Sicco tractatu de hymnodiâ Eccleſiaſticâ doctiſſimè & devotiſſimè conſcripto, etiam pro moderno Eccleſiæ ſtatu præcipuum videmus eſſe Canonicorum ſæcularium, quãvis Regulares, ſubinde aliis officiis ad curam animarum ſpectantibus & ſalutem, non ita ex toto renuntiaverint ut alibi ea non exerceant, parati etiam plura præſtare, ubi eos Eccleſiæ neceſſitas ad illa requiſiverit. Interea Auctores habeo, qui ſcribunt Cathedrales Eccleſias ſubinde Reg. Canonicis reformandas fuiſſe oblatas & poſſidendas, ſed ab eis recuſatas.

Matthæus Boſſus factum narrat. epiſt. 50. & 62.

CAPVT XXIII.

115. HÆc quidem de Aroaſienſium, ut ita dicam, Cathedralitate, quam in Lateranenſibus

teranensibus quasi solam ponderat Adversarius, in sua librâ, in causâ præcedentiæ præ Cassinensibus, à Sede Apostolicâ post diuturnum, exactumque scrutinium illis ipsis Lateranensibus adiudicatæ. Verumenimuero si rem examinemus ad PONDUS SANCTUARII, id est ad Bullas Pontificias, clarè & patenter videbimus, eam formalitatem, quamquam suâ præeminentiâ non careat, in eâ controversiâ nullius habitam fuisse momenti, cum nequidem in illis mentionata fuerit, ut sic dicam, prout etiam novit Adversarius. Nam Bullam Pii IV. integram exscriptam exhibet, adhibitis suis notis, sed facili spongiâ ubi opus & opportunum fuerit delendis: at duo signanter fuisse ponderata in Lateranensibus, Ordinis scilicet Canonico-Augustiniani majorem antiquitatem, & Clericalem dignitatem, per se ipsorum Statui Clerico-Canonico competentem, quæ duo communia sustinemus Lateranensibus & Aroasiensibus, ut qui non distinctos Ordines, sed unius & ejusdem Ordinis Canonico-Augustiniani distincta membra, id est Congregationes constituant, in essentialibus convenientes, & vix discrepantes nisi in paucis accidentalibus. Quod non solum

lum in hoc Ordine Canonicorum Reg. S. Aug. ſed & in Ordine Benedictino, de cujus Congregationibus ſupra, & in Eremitano, de cujus Congregationibus Proſper Stellartius in ſuis fundaminibus, in Carmelitano & Franciſcano his temporibus paſſim fieri videmus.

116. Et Quamuis Adverſarius Ciſtercienſis velit, Aroaſienſes eſſe alterius Ordinis; quam ſint Lateranenſes quia videt quod eos aliter ſuperare non poſſit, nihilominus (quod & hic non ſuperfluè repetendum eſt) ipſemet Generalis Rector & ſcriptor Congregationis Lateranenſis R.mus Dominus Gabriel Pennotus *lib. 2. generali biſtor. cap. 68.* solidè & doctè probat hanc concluſionẽ: *Canonici dictarum Congregationum* [quas plures in ſuperioribus capitibus recenſuerat, & inter eas nominatim Aroaſienſem poſuerat, & cum Lateranenſi compoſuerat] *ſunt & fuerunt eſſentialiter unius & ejuſdem Ordinis & inſtituti inter ſe inuicem, & etiam cum antiquis Regularibus Canonicis Cathedralium Eccleſiarum à Divo Aug. ſive à Sanctiſſimis Apoſtolis inſtitutis*: hanc inquam concluſionem doctiſſimè ſolidiſſimèque probat auctoritatibus ex Theologiâ & Jure Canonico depromptis, & argumentis ex ratione deductis.

Et

Et inter cætera telum ab Adverſario ſæpius ingeſtum ſic retundit: *licet* inquit ſup. num. 3. *de tribus vel quatuor non conſtet illas ab antiquis Canonicis ſucceſſiva continuatione dirivatas, hoc nil refert; ſufficit*, inquit, *illas eodem habitu, & eadem Regula cum emiſſione eorundem votorum, & eiſdem legibus eſſe inſtitutas, alias Moniales quæ ab Ordinariis diverſis in locis pro tempore inſtituuntur ſub habitu & Regula S. Claræ, vel D. Dominici* &c. *non eſſent eſſentialiter ejuſdem Ordinis & inſtituti cum cæteris Monialibus S. Claræ vel S. Dominici: & antiqui Canonici qui ab Epiſcopis in eorum Diœceſibus paſſim leguntur inſtituti non fuiſſent vere ejuſdem Ordinis cum cæteris antiquis Canonicis quod aſſerere vanum eſſet, ac riſu dignum potius quam ratione confutandum.* Ita Pennottus vir in rebus ſui Ordinis & Congregationis verſatiſſimus, qui ſi quis alius, debuiſſet Aroaſienſes à ſuo Ordine, de quo ex profeſſo ſcripſit, & cujus generale Regimen non ſemel in Congregatione Lateran. geſſit, reijcere ſi reijciendi fuiſſent, qui tantùm abeſt ut eos rejecerit, ut contra potius, eos ejuſdem cum ſuis Lateranenſibus Ordinis eſſe defenderit, idque ſe pro comperto habere alibi dixerit, & ratione hujus ejuſdem Ordinis hos

cum suis Lateranensibus cæteris Religiosis præferendos eodem lib. cap. 71. probaverit.

CAPVT XXIV.

117. Siquidem nec solos Lateranenses, nec quia tales per Pontificia oracula & decreta, sed ratione antiquioris Ordinis Canonici, Benedictinis inter Monachos fere primariis fuisse Prælatos, doceri potest exemplo Crutzelingensium ejusdem Ordinis Canonicorum Reg. S. Aug. ad quod valde frigidè respondet Adversarius num. 297. part. 4. potius ex conjecturâ, quam ex veritate, quia res, ut videtur, eum latuit: operæpretium itaque erit eam paulo operosius explicare.

118. Olim tempore Joannis XXIII. & Innocentii VIII. fuit Abbatia Crutzelingensis dicta extra muros Constantiæ (unde suam appellationem sortitum est Concilium Constantiense) Canonicorum Reg. S. Aug. cui multa per id temporis subjecta fuerunt, ejusdem Ordinis Canonici Monasteria, in quibus, eadem Religiosa Statuta, Regulæ Augustinianæ, ut fit, superaddita, per Sedem Apostolicam ex certâ scientiâ

approbata

approbata observabantur; qualis olim ferè fuit Aroasiensis Abbatia, quæ etiam habuit sibi subdita plura Monasteria, in quibus Aroasiensia statuta in usu erant, in quibus jam ferè sunt antiquata & obsoleta, aliis eorum loco assumptis, & usurpatis, Ordine tamen Canonico-Augustiniano ibidem adhuc vigente, & florente, quæ sicuti non fuit Congregationis Lateranensis, sic nec illa unquam fuit. Nihilominus erat Ordinis Canonicorum Reg. S. Aug. non obstante, quod haberet peculiaria statuta, alia à Lateranensibus. De illo autem Ordine S. Aug. qui in Abbatiâ Crutzelingensi excolebatur, pronuntiavit generalis Synodus Constantiensis in Bullâ quæ incipit: *Rationi congruit & convenit honestati. &c. institutionem Ordinis Regularis*, id est Canonici, *ac ejus per Sedem Apostolicam subsequentem approbationem longe præcedere institutionem & etiam per eandem sedem factam approbationem Ordinis S. Benedicti*, quod pronuntiatum, prius datum fuerat à Joanne XXIII. vivæ vocis oraculo, & postea confirmatum ab Innocentio VIII. per Bullam quæ incipit *provisionis nostræ.*

Lib. 1. constitut. Concil. Constant fol. 135.

119. Occasio fuit, quod tempore Concilii Constantiensis, Joannes Abbas & Conventus in Petri-

tri-domo ultra pontem Constantiæ, Ordinis S. Benedicti jactarent, ut verba Bullæ habent, ex aliquibus confictis & minus validis rationibus se & antiquiore Ordinis institutione, & per Sedem Apostolicam approbatione priore, esse præferendos Abbati Erardo & Conventui seu Canonicis Reg. S. Aug. Monasterii prædicti Crutzelingensis, extra muros Constantiæ, re ad Joannem XXIII. antea Balthasarum dictum, delatâ, & coram eo probato contrario, quod scilicet Ordo Canonicus, prius esset institutus, & per Apostolicam sedem approbatus quam Benedictinus, aliæque essent qualitates, in Abbate Erardo & Canonicis Crutzelingensibus consideratæ & ponderatæ, propter quas hi Joanni Abbati, & Monachis in Petri-domo essent præferendi. Tandem præfatus Joannes XXIII. Pontifex Max. 5. kal. Decemb. Pontif. sui anno 5. statuit quod Abbas existens pro tempore in Crutselinghen, præfato Abbati etiam pro tempore existenti in Petri-domo, prædictorum Monasteriorum, nec-non Canonici in Crutzelinghen, etiam existentes pro tempore, Monachis similiter pro tempore existentibus in Petri-domo Monasteriorum præfatorum, tam in illis proces-

processionibus hujusmodi dicti Concilii Constantiensis, & quamdiu illud duraret, quam etiam quibuscumque aliis processionibus, Congregationibus, nec-non actibus sollemnibus & publicis, in quibus eos pro tempore insimul convenire contingeret, præferri, ac in locis dignioribus hujusmodi perpetuis temporibus collocari deberent. Et hæc quidem vivæ vocis, ut dixi, oraculo. Verum de hac ordinatione Pontificiâ expeditæ sunt litteræ, à generali Constantiensi Synodo Anno à Nativit. Domini 1415. 16. kal. Septemb. Sede vacante. Cui Synodo interfuit admodum R.dus Dominus D. Lubertus Haudschilt vir generis Nobilitate, pietate, spiritu prophetico, doctrinâ, & rerum Mathematicarum peritiâ clarissimus, Abbas noster Eeckhoutano-Brugensis, qui in eâdem ob preclara merita, à patribus mitrâ donatus, eâque ornatus ibidem incessit in supplicationibus, habens socium sibi collateralem Abbatem Claræ-vallensem conterraneum suum ut in nostris Archivis habetur. Descripsimus ejus vitam in Paraphrasticâ nostrâ elucidatione prophetiæ ejusdem parte primâ.

120. Porro harum litterarum decretoriarum,

in Regiſtro ejuſdem Synodi Conſtantienſis, repertarum tenorem de verbo ad verbum in prætactâ Bullâ exſcribi voluit Innocentius VIII. ad inſtantiam Abbatis & Canonicorum Reg. Crutzelingenſium, pro tempore illo exiſtentium ſupplicantium, eaſque corroboravit & effectum ſortiri mandavit, iteratâ vicê: per hoc nullum novum jus acquiri cupiens, ſed antiquum tamtummodò conſervari. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnat. Dominicæ 1489. 5. kal. Maij Pont. Anno 5. & hanc eandem determinationem, ut ad promotionem cauſæ ſuæ contra Caſſinenſes valde conducentem, allegarunt olim Lateranenſes, ſupponentes quod quamuis Crutzelingenſes eſſent alterius Congregationis, eſſent nihilominus ejuſdem ſecum Ordinis Canonicorum Reg. S. Aug. & conſequenter quod determinatio, quæ habebat locum in Crutzelingenſibus, etiam haberet locum in Lateranenſibus: unde & bene pereruditus D. Andreas Catulle docuit, eandem determinationem etiam habere locum in Aroaſienſibus, propter eandem Ordinis ejuſdem communicationem. Quod dixi hanc determinationem allegatam fuiſſe à Lateranenſibus, contra Caſſinenſes, conſtat ex allega-

allegationibus Scipionis Lancelloti ubi ſic lego *num.* 197. *Vltimo probatur præcedentia Canonicorum Reg. ex determinatione facta in Concilio Conſtantienſi, quæ fuit poſtmodum confirmata ab Innocentio VIII. ubi poſt longam diſputationem fuit reſolutum Abbatem vel Priorem Cononicorum Reg. cum ſuis Canonicis Reg. præcedere debere Abbates & Monachos, quæ ſententia cum tranſierit in rem judicatam habetur pro veritate juxta Regulam, Res judicata de Reg. juris l. ingenium de ſtat. hom. cum vulgaribus.* Ita ibi. Quibus conformiter Andræas Catulle in ſuo motivo juris num. 16. *Sicut enim jure Civili quod Imperator ſtatuit. hoc lex eſt, ita jure Canonico, quod à Summis Pontificibus ſtatutum & definitum reperitur, & quidem non ſemel ſed pluries, ratum, fixum & inviolabile eſſe debet, & nemini aliter judicare licet.* Sic ille. Ubi

CAPUT XXV.

121. NOtandum 1. Lateranenſes ex eo, quod Crutzelingenſes per ſententias Pontificias, Benedictinos præcederent, inferre volebant quod & ipſi, ex vi ejuſdem ſententiæ Caſſinenſes præcedere deberent, quod

quod quidem ſequi volebant à paritate rationis, fundatâ in Ordinis communis antiquitate majore quoad inſtitutionem & approbationem. Unde Lateranenſes hoc argumentum non proferebant ut privilegium præcedentiæ obtinerent, ſed ut jus, quod ſibi competere contendebant, quod illis tandem etiam ſicut Crutzelingenſibus per Pontificem adiudicatum eſt, ut patet ex ſententiâ Pii IV. ab ipſomet Adverſario relatâ: & interea ipſe *part.* 4. *num.* 294. ut reſpondeat ad ſextam objectionem, talem ſolutionem adhibet; quaſi data ſit Lateranenſibus præcedentia, ex privilegio & gratiâ, in quâ gratuitâ materiâ argumentum à paritate rationis ductum, ut Juriſconſultis notum eſt, debile eſt. Atque ita parum velere hoc argumentum: *Lateranenſes debent omnes Benedictinos præcedere, ergo & reliqui omnes Canonici, Regulares ſcilicet, & inter eos Aroaſienſes. Conſequentia patet à paritate rationis.* Quod quidem ita eſſet ſi ſuppoſitum Adverſarii verum eſſet, id eſt ſi præcedentia Lateranenſibus competeret ex privilegio & gratiâ, quod ita non eſt. Nam præcedentia tam Lateranenſibus quam Crutzelingenſibus adjudicata eſt propter antiquiorem Canonico-Auguſtiniani Ordinis inſtitutionem

& ap-

& approbationem, ideoque ex jure competente, quod idem jus meritò prætendere possunt Aroasienses, propter eandem communis Ordinis rationem. *Nam ubi est eadem ratio, idem jus servari debet. L. illud ff. ad leg. 8. quest.* 1. quare exempla de eo qui dat uni pauperi, quod propter eandem rationem non debeat dare alteri pauperi, & de jejunante uno die, quod non teneatur jejunare alterâ die æquè sollemni propter paritatem rationis, & de eo qui dat mutuas pecunias Petro, quod ob parem rationem non teneatur dare Paulo quæ Adversarius profert sup. num. 295. cum gratuita sint, non faciunt hîc ad rem.

122. Notandum 2. hos duos Pontifices Joannem XXIII. & Innocentium VIII. nec-non Synodum Constantiensem non habuisse respectum ad Cathedralitatem, nec ad Congregationem Lateranensem ut putat Adversarius (cum Crutzelingenses nec essent Cathedrales, nec Collegiales, sed Abbatiales, nec ad illam Congregationem Lateranensem peculiarem spectarent) in causâ hujusce præferentiæ: sed collationem factam fuisse Ordinis Canonico-Augustiniani cum Ordine Benedictino, Abbatis Canonici,

nici, cum Abbate Monacho, Canonicæ cum Monasterio, & tandem Canonicorum Reg. cum Monachis, & ante omnia diu disputatum fuisse quisnam horum duorum Ordinum, priùs fuisset institutus, & à sede Apostolicâ approbatus: & conclusum fuisse Ordinem Canonico-Augustinianum, & priùs fuisse institutum, & approbatum; quàm Ordinem S. Bened. quem profitebantur Monachi Domo-petrenses, non obstante, quod hi etiam suas rationes, ut poterant, pro suâ prioritate allegarent, quas nihilominùs & Pontifices & Constantiensis Synodus pronuntiant fuisse *invalidas* qninimò *fictitias*. Ut mirum sit contra tot antiquorum Pontificum, addo & hujus Constantiensis Synodi pronuntiata, recentiores quosdam Scriptores conari, vulgo persuadere Ordinem Canonicorum Reg. S. Aug. cujus membra sunt, Congregationes, Lateranensis, Crutzelingensis, Aroasiensis, Windesemensis recentiorem esse, vel certè omnem ejusdem Ordinis antiquitatem, & dignitatem reducere velle ad solos Lateranenses, ipsismet etiam Lateranensibus reclamantibus; qui tamen si ita reverà esset, potiùs resistere deberent, & Crutzelingenses, Aroasienses, Windesemenses

tamquam

tamquam ſpurios à nobili ſuo Ordine cæteris Ordinibus per ſententias Pontificias inappellabiles prælato rejicere. Qui tantùm abeſt ut id faciant, ut contrarium omninò præſtent. Nam eos Confratres, & ut loquuntur Concanonicos ſalutant, propugnant, & aliis ſecum præferendos ſcriptitant: quia rerum domeſticarum non ignari eos ſecum in uno Ordine, habitu, Regulâ, Profeſſione, nomine & cæteris ad vnitatem identitatemque Ordinis Canonici eſſentialiter requiſitis, convenire agnoſcunt, & in ſolis quibuſdam accidentariis, prout in Congregationibus variis Ordinum, Benedictini, Eremitani, Carmelitani, Franciſcani fieri conſuetum eſt, differre, quidquid reclament Ciſtercienſes, qui utpote extranei, & conſequenter, ut ſatis apparet, rerum noſtrarum minus periti, hâc in re non ſunt audiendi.

123. Sanè ut eos res ſuas domeſticas callere non diffido, nec diffiteor, ſic eos noſtras ignorare facilè deprehendo. Nam ſi Bullas Pontificias, Ordini Canonico datas ſciuiſſent, quomodo in hoc puncto Ordinis Canonici S. Aug. ſic hallucinati fuiſſent, ut ſcriberent; vel recentiorem eſſe vel acephalum (nam & in inſti-

 tutore,

tutore, & in tempore inſtitutionis valde variant, & ut cæcus ad ovum, multos vanos ictus prodigunt) vel diviſum eſſe in plura membra, non tantùm Congregatione (quod accidentale quid eſt) ſed etiam ſpecie diverſa?

124. Verumenimverò hi boni viri dum falcem mittunt in meſſem alienam, falli permittuntur & fallere, facti cæci Duces cæcorum, quibus adhibito collyrio ex charitate ſuccurrendum exiſtimavi, nam coram cæco non ponendum offendiculum, ſed adminiculum, ut miſericordiam conſequantur, quia ignorantes faciunt, quod faciunt, pro quibus cum Crucifixo Patrem rogo & dico: Pater ignoſce illis quia neſciunt quid faciunt.

125. Cæterùm lapis offenſionis, & petra ſcandali videtur eſſe, quod advertant ſub Ordine Canonico-Religioſo genericè ſumpto & concepto, eſſe plures ſpecies, quarum una eſt Ordo Præmonſtratenſis & ſi quis alius ſimilis, quem ab Ordine Canonico-Auguſtiniano differentiâ ſpecificâ differre facilè concedo: videntur enim & habentur in Eccleſiâ Ordines, non Congregationes ejuſdem Ordinis ſpecificè conſiderati, diſtincti. Sed hinc non fit conſequens

quod

quod Ordo Canonico-Augustinianus non sit altera species infima, non in plures species divisa, quod naturæ speciei infimæ repugnat, licet quidem in plures Congregationes, Lateranensem, Aroasiensem, Crutzelingensem, Windesemensem; sicuti species humana in Brugensem, Gandensem, Iprensem. Adeò ut sæpiùs rerum peritis risum moveat, audire Congregationem Aroasiensem esse Ordinem quendam per se in Ecclesiâ specie distinctum ab Ordine quem observant Lateranenses, Crutzelingenses & similes, quos Ordinem Canonicum S. Aug. profiteri in propatulo est.

126. Ex jam dictis deduco 1. bonum & clarum esse hunc Syllogismum (res enim nobis est cum arguto magis Dialectico, quam Jurisperito; sed cōvincuntur subinde arguti Dialectici à minus acutis veritatis simplicitate instructis: Exemplum est apud Ruffinum lib. 1. histor. cap. 3. de quodam Dialectico qui à nullo Patrum quantumvis subtili in Concilio Niceno, nisi à quodam viro, qui putatur fuisse Spiridion Trimithuntis in Cypro Episcopus, simplicissimo constringi potuit) Quicumque sunt similes, pares & æquales uni tertio, sunt etiam

 similes,

ſimiles, pares & æquales inter ſe, ſed Lateranenſes & Aroaſienſes ſunt ſimiles, pares & æquales uni tertio ſcilicet Crutzelingenſibus, ergo etiam ſunt ſimiles, pares & æquales inter ſe. Major evidens eſt, conſequentia optima, minor verò nuper non paucis probata. Et hoc præcipuum eſt intentum hujus partis ſecundæ.

Deduco 2. quod ſi quis voviſſet, ingredi Ordinem Canonicorum Reg. S. Aug. huic opus non eſſe in Italiam proficiſci ad Lateranenſes, ſed abundè ſufficere, ut ſe voto ſolvat, ſi ingrediatur Ordinem quem profitentur Aroaſienſes, Crutzelingenſes vel Windeſemenſes.

127. Poterant quidem quæ hactenus aſſerta ſunt, ſufficere probationi eminentiæ & identitatis Ordinis Canonico-Auguſtiniani, utrique Congregationi & Lateranenſi & Aroaſienſi ſpecificè communis, ſed non oberit eadem amplius ex Bullis Pontificiis confirmare, & hoc quaſi addito PONDERE SANCTUARII ut præponderent magis, aggravare quod ſequenti parte præſtandum.

PARS

PARS POSTERIOR

SECUNDÆ PARTIS.

CAPVT I.

128. Erpendendum in-primis assertum, Sixti IV. Pont. Max. in privilegio quodam per quod Ecclesiam S. Mariæ Pacis, in Urbe, Canonicis S. Aug. concedit, præmissâ Narratione, qualiter idem Pontifex, Italiâ pace donatâ, ex voto Ecclesiam, sub titulo B. Mariæ de Pace, propriis expensis extruendam curaverat, sic habet: *Considerantes inter alios Religiosos Institutionem Canonicorum Reg. Ordinis S. Aug. fore primariam, & ab ipso Sanctissimo Ecclesiæ Doctore Augustino fundatam & per longa sæcula viris probis & litterarum scientia omniq; virtute pollentes stabilitam, ad eos potissimum direximus intuitum, sperantes quod per Canonicos Congregationis Lateranensis dicti Ordinis sub Regulari observantia degentes, templum pacis memoratum in spiritualibus & temporalibus Deo propitio felicia continuo susci-*

piat

piet incrementa &c. In quo asserto Pōtificio aliqua, non parvi monenti sunt ponderanda. Primum. Pontificem asserere, *Institutionem Ordinis Canonicorum S. Aug. inter alios Religiosos esse primariam*, idq́; considerando ipsum Ordinem in se & absolutè, non cum respectu ad aliquam Congregationem, eamq́; sic sumptam, esse primariam non ratione dignitatis Cathedralis, quondam Lateranensis, ut Adversarius communiter opinatur, sed secundùm se. Alterum. Eam Ordinis institutionem *à S. Aug. esse fundatam*. Quod dictum est propter illustrem illam, Ordinis ab Apostolis, ut alii Pontifices loquuntur, initiati, ab Augustino factam reformationem, quæ adeò notabilis fuit, ut is non tam Ordinis Canonici Reformator, quam Fundator subinde dicatur, prout notat Joannes Molanus lib. de Canonicis. Tertium. Eundem Ordinem, *per longa sæcula viris probis & doctis fuisse stabilitum*. Per longa sæcula scilicet retrò ad Augustinum, imò ad Apostolos usq́;, ergo ante Benedictinos, Cistertienses, & alios similes. Quartum. Cætum Lateranensem esse *hujus Ordinis Congregationem* supponendo præter eam, ut fieri solet, alias ejusdem Ordinis existere, in Ecclesiâ Congregationes,

gationes, qualem Aroasiensem olim fuisse propugnamus, atque adeò membrum unum inter reliqua fuisse Ordinis Canonico-Augustiniani, cujus *institutionem*, Pontifex pro explorato habet, *inter alios Religiosos esse primariam.*

129. Ut quid ergo Adversarius, contra sensum Pontificis, aliis Religiosis, Benedictinis Cistерciensibus, Præmonstratensibus Canonicos Reg. Ordinis illius cujus *institutio primaria est* postponit, & præpostere ultimo loco ponit, omnemque, ut dici solet, movet lapidem ut hoc vulgo persuadeat, tam firmiter, ut sibi videtur, quod nil contrariæ sententiæ supersit probalitatis? adeò *mutat quadrata rotundis.* Nunquid quia Mathematicus est etiam hâc viâ, ne ulla intentata relinquatur putat inveniendam quadraturam Circuli? ipse viderit. Certè nos abundè satis vidimus, & quod vidimus, ore rotundo declaramus, in Ecclesiâ Dei inter cæteros Religiosos Ordines existere quendam Ordinem Canonicorum Reg. S. Aug. cujus si institutionem spectes *primarius est*, sic vocatur à Sixto IV. si approbationem itemque primarius, sic statuitur à Joanne XXIII. confirmante Synodo Constantiensi & corroborante Innocentio VIII. si fun-

 dationem

dationem *Apostolicus*, sic multi Pontifices, si Reformationem *Augustinianus*, sic Pius V. & alii, si observationem & usum, *Cathedralis*, *Collegialis*, *Abbatialis*, *Conventualis*, sic Benedictus XII. si durationem hucusque ab origine *perpetuus*, licet per varios status de quibus supra, si plantationem, *quondam per orbem diffusus Christianum* (sic Eugenius IV.) qui non tam malè meritus est de Ecclesiâ, ut nullum mereatur contra cōculcantes eum defensorem. Vidimus, inquam, eum delineatum in Pontificiis Diplomatibus, tamquam in certioribus tabulis, quibus firmiùs credendum, quam nescio quibus Scriptoribus recentioribus, qui in rebus historicis & positivis, nunc hunc, nunc illum sequuntur, qui si vel deceptus fuerit vel memoriâ lapsus, cum illo vel decipi vel labi eos necesse est, & non nisi serò cum phrygibus sapere. Vidimus tandem hujus unius & ejusdem Ordinis ut Lateranensem, sic Aroasiensem non esse speciem sed Congregationem. Habeant Præmonstratenses suum Patrem S. Norbertum, habeant alii alium; Aroasienses solum suum agnoscunt Augustinum, *à quo per Reformationis viam mundo geniti*, ut Pius V. ait, Canonici Reg. S. Aug. denominantur.

nominantur. Quæ reformatio ut ſarta tecta maneret, & in viridi obſervantiâ magis floreret, opportunas quaſdam Conſtitutiones Gervaſius Aroaſienſis Abbas, non novi Ordinis Auctor, ſed antiqui Conſervator concepit, adeò ut ſint in poſſeſſione per multa ſæcula præſcriptâ, hujus Denominationis, quâ audiunt paſſim publicè & privatim Canonici Reg. S. Aug. in Bullis, in libris, in tabulis, in teſtimoniis, in inſtrumentis; ſic enim & Prælati & ſubditi noti ſunt illius Congregationis.

130. Nam excepto Abbate Cœnobii Aroaſienſis, quod tamen paſſim à ſcriptoribus, etiam vocatur Abbatia Canonicorum Reg. S. Aug. poſt diſſolutam, à tempore quaſi immemorabili, unionem Capituli Aroaſienſis, reliqui ejuſdem Ordinis Prælati & Canonici pro hoc tempore in Belgio exiſtentes, non ſub nomine Aroaſienſium quod paucis, multo minus ſub nomine Gervaſianorum, quod paucioribus notum, imò inauditum, ſed nomine Canonicorum Reg. Ordinis S. Aug. indigitantur; idque ut dixi ex poſſeſſione antiquiſſimè præſcriptâ, à quâ nunc tantùm unus nos incipit dejicere Adverſarius, calamo inſtructus, Dialecticâ armatus, & reli-

quâ panopliâ, ut apparet quidem, circumvallatus, ſed ſolâ, ſic putamus, veritate & auctoritate deſtitutus; contra quem debemus nos fortiter manu-tenere, ſi quid in nobis zeli eſt Ordinis noſtri, quem & obſervavimus ante ſpontaneam ſubjectionem ſub Capitulo Aroaſienſi, & poſt deſitionem ejus. Porro accidens eſt *quod adeſt atq; abeſt ſine interitu ſubjecti*: Ordo autem Canonicus, integer manſit, & intrinſicè invariatus in Monaſteriis, ante, & poſt, & ſub Aroaſienſi Congregatione, ex quo fit ut ſi quid ab eâ mutuò acceperit, id ad ſummum poſſit eſſe quid accidentale, ex quo apparet Antagoniſtam cum umbris digladiari dum Aroaſienſes qui jam à ſæculis deſierunt oppugnare conatur.

CAPUT II.

131. PRæterea pro confirmatione aſſertionis ſpecificæ unitatis identitatiſque Ordinis Canonico-Auguſtiniani, æqualiter tam ab Aroaſienſi; quam à Lateranenſi Congregatione participati, facit antiquiſſimus ſtylus Pontificiorum Diplomatum, quæ ſive data inveniantur Lateranenſibus, ſive

Aroa-

Aroasiensibus, sive aliis similibus Canonicis Reg. Ordinis S. Aug. quantùm ad rem præsentem attinet, semper habent eandem ferè clausulam, scilicet: *In primis statuentes ut Ordo Canonicus qui secundùm Deum & B. Aug. Regulam ibi dignoscitur institutus perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur.* Quorum aliqua operæpretium erit assignare exempla.

Anastasius IV. in quodam privilegio Joanni Priori, sacrosanctæ Basilicæ Salvatoris, quæ Cõstantiniana vocatur, alias Lateranensis: *ea propter*, inquit, *vobis in Domino Filiis Ecclesiam ipsam in qua divino mancipati estis obsequio ad exemplar Prædecessoris nostri Beatæ memoriæ Alexandri Papæ II. Apostolicæ Sedis privilegio communimus, in primis siquidem statuentes, ut Ordo Canonicus, qui secundùm Deum & B. Aug. Regulam ibi noscitur institutus, perpetuis ibi temporibus inviolabiliter observetur.* Pennot. lib. 2. cap. 42. in fine.

Urbanus III. in quodam privilegio, quo Monasterium S. Georgii de Brinate, à se in suo paterno alodio fundatum, Præposito & Canonicis Reg. S. Aug. dictis de Crescentiaco regendum tradidit: *Statuimus*, inquit, *ut de Collegio Ecclesiæ vestræ sit in ipsa Præpositus, & tantùs* Idem lib. 2. cap. 46. num. 2.

Canonicorum numerus, quantus de facultatibus ipsius Ecclesiæ possit commode sustentari, & ut in ipsa Ecclesia S. Georgii Ordo Canonicus secundum Dei timorem & B. Aug. Regulam atque institutionem vestram perpetuis temporibus inviolabiliter observetur.

Idem lib. 3. cap. 28. num. 4.

Gregorius VIII. in quodam privilegio, dato Acrusio Archipresbytero, & fratribus Ecclesiæ B. Mariæ Montis belli, Canonicam vitam professis, scribi jussit superioribus similia: *In primis statuentes ut Ordo Canonicus qui secundum Deum & B. Aug. Regulam, atq; institutionem fratrum S. Frigdiani in eodem loco noscitur institutus* &c. Ubi nota; qui hic dicuntur *fratres S. Frigdiani*, eosdem esse cum iis, qui postea dicti sunt *Lateranenses*, qui quamvis etiam olim peculiaria habuerint statuta, ea tamen eorum Statum Canonicum non mutarunt, nec ab aliis essentialiter distinxerunt eâdem clausulâ teste.

Idem lib. 3. cap. 15.

Cælestinus III. in privilegio dato Morsano Præposito, & Canonicis Reg. S. Aug. Ecclesiæ S. Georgii, quæ sita est in territorio Montis Clari, qui mons Medianus dicitur; his similia tradidit dum scribi jussit: *Ea propter dilecti in Domino Filii vestris justis postulationibus clementer*

menter annuimus; & præfatam Ecclesiam S. Georgii ------ in qua divino mancipati estis obsequio fel. Record. Prædecessorum nostrorum Innocentii, Eugenii & Vrbani Romanorum Pontificum vestigiis inhærentes, sub S. Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes ut Ordo Canonicus qui secundum Deum & B. Aug. Regulam in eodem loco constitutus esse dignoscitur. &c.

Alexander IV. in quodam privilegio, dato Priori S. Mariæ, in portu Ravennatensi, & Canonicis ejus, Ordinis ejusdem sic etiam profatur: *Ea propter dilecti in Domino Filii vestris justis postulationibus clementer annuimus, & Ecclesiam B. Mariæ in portu Ravennatensi, in qua divino mancipati estis obsequio ad instar fel. m. Innocentii & Adriani Prædecessorum nostrum Rom. Pont. sub B. Petri & nostra protectione suscipimus &c. In primis siquidem statuentes ut Ordo Canonicus, qui secundum Deum & B. Aug. Regulam in eadem Ecclesia constitutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temp. &c.* Idem lib. 3. cap. 16. num. 6.

Gregorius IX. in quodam privilegio, concesso Thomæ Abbati Ecclesiæ S. Andreæ Vercellensis, & fratribus ejus Regularem vitam professis, Idem lib. 3. cap. 28. num. 8.

fessis, eadem ferè habet: *Ea propter* &c. *In primis siquidem statuentes ut Ordo Canonicus, qui secundum Deum & B. Aug. Regulam in Ecclesia vestra institutus esse dignoscitur.* &c.

Idem lib. 3. cap. 4. num. 5.

Idem Gregorius IX. in magno privilegio, Priori & Canonicis fratribus Patriarchii Basilicæ Lateran. collato: *Quapropter* inquit *dilecti in Domino Filii Ecclesiam vestram, in qua divino mancipati estis obsequio ad exemplar Prædecessorum nostrorum B. memoriæ Alexandri II. Anastasii IV. & Alexandri III. Innocentii & Honorii Rom. Pont. Apostolicæ Sedis privilegio communimus. In primis siquidem statuentes ut Ordo Canonicus, qui secundum Deum & B. Aug. Regulam ibi noscitur institutus perpetuis* &c.

Idem lib. 3. cap. 23. num. 2.

Eugenius IV. in Bullâ per quam Canonicos Frigdionarios reformatos, Laterani restituit, hæc inter alia interserit: *Præfatam sacrosanctam Basilicam Lateran. ad primam institutionem & primæuum statum reducimus & reponimus, ut Ordo Canonicus qui secundum Deum & B. Aug. Regulam ibi noscitur institutus perpetuis futuris temporibus in dicta Ecclesia vigeat & inviolabiliter obseruetur.*

132. Similia plura si opus esset, possem adducere ex Pontificum Diplomatibus, in quibus

agitur

agitur de peculiari aliquo Ordine, qui Canonicus dicitur ex ſtylo Romanæ curiæ, inſtitutus ſecundùm S. Aug. Regulam, qui non ſolùm in Lateranenſi Eccleſiâ obſervatus fuit, verùm etiam, ut viſum eſt, in pluribus aliis Eccleſiis, & Monaſteriis, de quibus quantùm ad Ordinem Canonicum, eodem modo loquuntur Pontifices, ac de Eccleſiâ Lateranenſi. Cenſent igitur nobiſcum Ordinem S. Aug. qui in Lateranenſi inſtitutus viguit, in aliis etiam locis diu ante exortam Lateran. Congregationem floruiſſe, ut ex antiquiſſimis Bullis liquidum eſt. Nam Anaſtaſius IV. cujus teſtimonium 1. loco poſuimus Pont. Maximus ex Canonico Reg. creatus eſt Anno 1153. ſeditque annum unum menſes 4. dies 24. juxta Onuphrium in faſtis. Porrò Anaſtaſius allegat exemplum Prædeceſſoris ſui Alexandri II. qui juxta eundem Onuphrium Pontificatum adiit Anno 1061. *Cujus Anno 1. Ordo Canonicorum Reg. S. Aug.* (verba ſunt Onuphrii in faſtis) *Romæ, lucæ apud S. Frigdianum, & in Italiâ ab eodem Alexandro II. Papa reſtitutus eſt.* Ergo diu ante Congregationem ſeu Ordinem Ciſtercienſem exortum qui Anno 1100. vel 1119. à Sede Apoſtolicâ ſolum modò eſt ap-

probatus, ut D.D. Dunenses in Concilio Provinciali Gandensi allegarunt.

CAPVT III.

133. Sed fortè non eodem stylo usi sunt Pontifices, circa Aroasienses, ac proinde Ordo Canonicus, qui in Lateranensi, & prædictis Monasteriis viguit locum non habuit, in Monasteriis Congregationis Aroasiensis, verumenimverò dubium auferet Alexander III. in privilegio concesso Arnulpho Abbati Monasterii S. Bartholomæi, vulgò de Eeckhout in civitate Brugensi, ejusdem Ordinis Canonico-Augustiniani, & quondam Congregationis Aroasiensis. Ubi postquam suscepit Ecclesiam nostram sub S. Petri, & suâ protectione; sicuti Ecclesiam Lateranensem, & alias alii Pontifices prædicti, datis Diplomatibus fecerunt, eodem stylo scribi jussit de Ordine, in perantiquo Monasterio Eeckhoutano observato, ac de Lateranensi & aliis, his nimirum consuetis verbis: *In primis siquidem statuentes ut Ordo Canonicus qui ibi secundum B. Aug. Reg. dignoscitur institutus perpetuis temporibus inviolabiliter*

ter obſervetur. Dat. Anno 1179. quæ eadem confirmavit Cæleſtinus III. Anno 1195. plura addidit Innocentius IV. Anno 1248. corroboravit Nicolaus IV. Anno 1284. Adauxit Bonifacius VIII. Anno 1297. Canonicos Reg. Ordinis S. Aug. appellavit Urbanus VIII. Renovavit Innocentius X. nuncupans eandem Eccleſiam noſtram Abbatialem inſignem S. Bartholomæi Ordinis Canonicorum Reg. S. Aug. in civitate Brugenſi, in Diplomate conceſſionis Altaris privilegiati dato Anno 1650. Dec. 16. Pont. 7.

134. Cæleſtinus III. etiam in Diplomate Canonicis Reg. ejuſdem Ordinis DD. Cyſonienſibus miſſo, non abſimili ſtylo exarari curavit; ſic habet: Cæleſtinus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei—— *In primis ſiquidem ſtatuentes ut Ordo Canonicus qui in Eccleſia veſtra per B. memoriæ Rainaldum quondam Remenſem Archiepiſcopum ſecundum Regulam B. Aug. ad inſtitutionem fratrum Eccleſiæ B. Dionyſii Remenſis inſtitutus eſſe dignoſcitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter obſervetur.* Ubi notandum Buzilinus lib. 2. pag. 364.

Interdum etiam in Bullis Pontificiis, fieri mentionem ſtatutorum, ſupra Regulam, ut in

hâc & in superiore Gregorii VIII. ubi post illa verba: *Secundum B. Aug. Regulam* additur: *Et institutionem fratrum S. Frigdiani*, per quos reformata est Ecclesia Lateranensis, ut supra tetigi, ut indicetur; hæc specialia statuta intrinsicè non variare communem Canonicum S. Aug. Ordinem. Et idem esto judicium de eo, quod habetur in Diplomate dato ab Alexandro III. Canonicis Reg. Phanopinensibus Congregationis Aroasiensis, ubi inter hæc eadem sæpe repetita scilicet: *In primis statuentes ut Ordo Canonicus qui secundum Dei timorem & B. Aug. Regulam*, interseritur, *& fratrum Arouvasiæ institutionem*. &c.

Ibid. pag. 372.

135. Quæ omnia abundè satis ostendunt, Pontifices hâc phrasi velle significare, in tali vel tali Ecclesiâ, ceu Monasterio institutum, & observandum esse Canonicum Ordinem S. Aug. sive sit Lateranensis, vel Aroasiensis sub eodem Ordine, Congregationis, vel extra omnem Congregationem existat, ut planè contra suppositionem, & mentem Pontificum sentire dicendi sint, qui opinantur, & persuadere conantur, has Congregationes esse distinctos specie Ordines, cum non sint nisi unius Ordinis

Canonici

Canonici S. Aug membra, ut sæpè fuit incul-
catum.

136. Quod etiam ex eo confirmatur, quod quando Pontifices significare volunt, Ordinem S. Benedicti, utantur hac phrasi in Bullis suis, ad istius Ordinis Monachos directis: *Vt Ordo Monasticus qui secundum Deum & B. Benedicti Regulam institutus esse dignoscitur.* &c. Ubi

137. Observandum Pontifices communiter Ordinem S. Aug. de quo agimus, vocare Canonicum; Ordinem vero S. Benedicti, Monasticum: quare iterum contra Pontificiam phrasim loqui censendi sunt, qui dicunt Aroasienses, & similes observare Ordinem medium, inter Canonicum & Monasticum. Nam Pontifices absolutè, & ordinariè Ordinem etiam ab iis qui Aroasiensis Congregationis fuerunt, observatum vocant *Canonicum*, sicut Ordinem S. Bened: *Monasticum.* Ad manum est exemplar Diplomatis dati ab Innocentio III. Abbati & fratribus de Los Ordinis Benedictino - Cisterciensis, quod sic sonat: *Innocentius servus servorum Dei dilectis Filiis Stephano Abbati de los ejusq; fratribus - - - regularem vitam professis in perpetuum - - - In primis statuentes ut Ordo Mo-*

nasticus, qui secundum Deum & B. Bened. Regulam, atque institutionem Cisterciensium fratrum in eodem loco institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. &c. Ubi etiam supra Regulam, fit mentio Cisterciensium statutorum, quæ ex sententiâ Adversarii non faciunt Cistercienses non esse veros Monachos Ordinis Monastici S. Benedicti. Quare etiam à simili; quamquam suprà Pontifices, in Bullis suis, faciant mentionem, vel statutorum fratrum S. Frigdiani, vel fratrum S. Dionisii, vel fratrum Aroasiæ, supra Regulam Augustinianam, non est quod propterea putetur Aroasienses, Cysonienses & similes non esse veros Canonicos Ordinis S. Augustini.

CAPVT IV.

438. CÆterum his Pontificiis pronuntiatis, à se diligenter lustratis, nullus extraneorum scriptorum conformius scripsit, de Origine & progressu Ordinis Canonico-Augustiniani, quam F.r Jacobus Philippus Bergomensis Ordinis Eremitani, Canonicorum Reg. S. Aug. alias non magnus amicus,

Verùm *amicus Plato, amicus Socrates, magis tamen amica veritas*, quâ ille conuictus, postquam multa correxerat, quæ aliàs de hâc materiâ, commentatus fuerat minus ex vero, tandem in supplemento supplementi Chronicorum, ultimæ editionis impressæ Venetiis Anno 1506. hæc litterarum monumentis consignata reliquit: *l.* 14. *sub Anno* 1407. quæ operæpretium erit pro præcedentium declaratione, confirmatione, & recapitulatione de verbo ad verbum fideliter exscribere. Sic habet:

139. *Origo & progressus Canonicorum Reg. eorumq; ad nostra tempora Regularis observantiæ continuatio. Ordo Canonicorum Reg. ab Apostolis primum institutus, idemq; à B. Aug. apud Hipponem Africæ urbem divinis institutionibus decoratus refloruit | variis postmodum temporum successibus in Hispaniis, Galliis reliquisq; per orbem regionibus, & per Italiam mirum in modum est profusius dilatatus, Sed apud Burgundiam in Belluacensi Ecclesia, sub Magistro Sanctoq; viro Ivone ejusdem Ecclesiæ Præposito ad pristinam ejusdem observantiam efflorere cœpit 22. Imperii Henrici IV. Anno. testis est Sigebertus in Chronicis & Vincentius historialis lib. histor. suæ 26. cap 51. hanc veritatem sequitur &*

refert

refert fasciculi temporum Auctor, & venerabilis Antoninus Archiepiscopus Florentinus 2. suæ Chronicæ parte tit. 15. & 16. quod incipit circa annum Domini 1080. sicut etiam id colligi potest ex ipsius B. Aug. sermonibus de moribus & communi vita Clericorum quod & Romanorum Pontificum Canones & doctorum dicta certissima veritate testantur.

140. *Cæterum quonam successu in Italia, & apud cæteras quamplures nationes variis temporum emergētibus casibus idem Ordo multipliciter à Domino sit reformatus, optime testantur vetustissima & authentica librorum testimonia. Nam per S. virum Frigdianum Lucensem Episcopum de quo magnus meminit Gregorius in Dialogorum libro, per Tusciam & universam pœne Italiam fuit sparsus & auctus. In anglia quoq; per Augustinum Anglorum Episcopum jussu & mandato Beatissimi Gregorii institutus est, quod habetur in decretis à Gratiano cap, quia tua fraternitas 12. quest. 1. In Galliis etiam ante & post tempora B. Hugonis & Richardi de S. Victore. Itemq; in Italia ad tempora B. Damiani ——— floruit idem Ordo, & mirabiliter auctus tempore Benedicti XII. qui circa ann. Domini 1342. ipsum Ordinem privilegiis & constitutionibus ab ipso approbatis decoravit. Verumenimverò Canonicus*

nonicus idem Ordo in Etruriæ regionis florentissimæ agro Lucensi apud Canonicam S. Mariæ in æde Frigdionaria fœlici Religionis successu à Domino est reparatus. De ipsa quidem Ordinis continuatione meminit idem Archiepiscopus Florentinus eodem titulo & cap. 33. § etiam flores apparuerunt in terra nostra. Nam ut idem testatur & Canonici Reg. in loco prænominato olim ab illustri Mathilda Comitissa condito, duobus mediantibus viris ejusdem Ordinis professis, vita & doctrina præclaris circa hæc tempora à Domino sunt reformati, & usq; hodie Abbatiam fesulanam possident sub uno Capite & congregatione degentes. Sed verius dicuntur Canonici Reg. D. Aug. & congregationis Lateranensis S. Salvatoris de urbe.

141. *At qui fuerint præfati duo viri authenticis scriptis & certâ veritate compertum habetur. Hi videlicet exstiterunt ejusdem sanctæ Regularis observantiæ Auctores Dominus Leo de Corate, & Dominus Thadæus de Bonasco, seu secundum quosdam de Bognasco Papien. Canonici ambo Reg. Cœnobii S. Petri Papiæ in cælo aureo professi, & ipsi, venerabilis Patris Bartholomæi Sacerdotis, Dei præconis celeberrimi civisq; Romani de colomna consilio & hortatu ad præfatum locum se recipientes Sanctam*

ctam

ctam Reformationem sub Regulari ejusdem Ordinis observantia & sub altissima paupertate Dei cooperante gratia fundarunt.

142. *Siquidem Leo, qui ante Leonardus dictus dum præfati Cœnobii S. Petri in cælo aureo Prior existeret, & juris Canonici Doctor eximius, vir sanctus & quasi alter Elias Dei spiritu fervens, per omnia certe probatus, zelo arctioris vitæ ex præfato Cœnobio ad eum locum reformandum, de consensu tamen Abbatis & Conventus, gaudens se contulit. Quod & publico super hoc instrumento rogato, manu Ioannini de Piscariis Notarii & civis Papiensis apparet. Ejus exemplar usq; ad nostra tempora, penes quendam civem Papiensem de Vechiis repositum esse dignoscitur. Hunc itaq; virum paulo ante præcesserat venerabilis Sacerdos & Concanonicus ejusdem Cœnobii S. Petri prefatus Dominus Thadæus, qui divino numine afflatus, & præfati Sacerdotis Bartholomæi suasu Anno Domini 1402. prius præfatam Frigdionariæ Canonicam Vicarius & subinde Prior non multo post dicti Domini Bartholomæi & præsidentis Coadiutor incredibili providentia gubernavit. Cujus non longe post Priorali administrationi prælibatus Dominus Leo successit Anno Domini 1408. quo tempore idem Pater Leo Domini Vincentii Ia-*

noti Prioris S. Frigdiani de Luca precatu, nonnullos ex suis Canonicis ad ejusdem Ecclesiæ Reformationem concessit ut habetur in Archivis S. Frigdiani ex instrumento rogato manu Ser. Raphaëlis quondam Nicolai Benedicti de Luca. Igitur prænominati duo viri, quasi duo candelabra rutilantia eam Congregationem vitæ postmodum & doctrinæ splendore mirabiliter illustrarunt. Erat etiã apud Carthusiense Cœnobium non longe ab eo Frigdiariæ loco distans Prior venerabilis Pater Nicolaus de Albergatis Bononiensis, postea Cardinalis tit. S. Crucis ab Eugenio IV. creatus. Hic cognito Sanctorum virorum proposito ad eum locum eos ipse perduxit: siquidem eo in loco ipse Canonicus Ordo per longa annorum tempora indefesse viguerat quod & testantur ejusdem loci antiqua Pontificum privilegia. Non longe vero post contigit ut una cum Pontifice Max. Gregorio XII. Dominus Gabriël Gandulmerius postea Eugenius hujus nominis IV. ejusdem Pontificis Gregorii ex sorore Nepos Cardinalis, dum ad Lucensem urbem pervenisset hujus Sancti propositi inclyto comperto successu, singulari admodum lætitia gavisus est. Nam dum antea Venetiis & Patavii ad ejusdem sacras Patris Bartholomæi conciones innumerabilis fere populi concursus haberetur,

 quam-

quamplures utriusq; sexus ex Patritio Veneto sanguine juvenes ad Christi suave jugum convertebantur, ex quorum numero idem Dominus Gabriël unus erat, qui simuli cum paucis Patritiis Venetis Congregationi S. Georgii de Alega initium dederat.

143. *Hic itaq; Dominus Gabriël eidem Patri Bartholomæo filiali charitate devinctus Sancta illa Societate mirifice delectatus, illius insuper & loci patrocinio sponte suscepto, satis egit ut locus ille sacer sub Sedis Apostolicæ protectione Pontificisq; autoritate, & privilegiis amplissimis muniretur. Hæc siquidem Sancta Religio ejusdemq; Ordinis Reformatio licet ab eo loco, unde Reformationis exordium sumpserat, quandoq; fuerit denominata: idem tamen Dominus Gabriël postea Eugenius IV. initio Pontificatus Lateranensem Ecclesiam, in qua per longa annorum tempora præfatum Ordinem Canonicum testantibus Pontificum privilegiis perviguisse constat, ad pristinum ejusdem Ordinis statum reducere volens, dictæ Congregationis Canonicis accersitis de consilio & consensu Dominorum Cardinalium, certâ scientiâ motu proprio & autoritate Apostolica eidem Congregationi mox ipsum sacrum locum restituit: sicq; incorporavit ut deinceps præfata Congregatio ab ipsa Ecclesia Lateranensi perpetuis futuris tem-*

poribus

poribus denominaretur, & dictæ Congregationis Canonici de ejusdem Basilicæ Capitulari gremio censerentur & essent. Quod & idem fecit Nicolaus V. sed & Sixtus Pont. hujus nominis IV. speciali privilegio & decreto motu proprio voluit & declaravit ut ipsius Congregationis Canonici eodem quoque titulo perinde gaudeant & perfruantur ac si ut prius dictam Basilicam gubernarent. Cujus quidem Ordinis nomen cum celeberrimum ubique locorum per totam Italiam prædicaretur in eum clarissimi generis viri ingressi eumque Ordinem verbo & exemplo atque doctrina plurimum auxerunt & conservarunt, qui non minus probitate, moribus cæterisque virtutum ornamentis quam prosapia clarissimi extiterunt. Quorum etiam doctrinis ipsa Religio aucta & illustrata fuit. Hactenus Bergomensis. Pergit deinde nominatim recensere viros quosdam illustres Congregationis Lateranensis, atque his subjungit sequentia.

144. *Verum quia de Canonicorum Ordine supra l. 9. cursim aliquid diximus non abs re pauca hæc quæ sequuntur post dicti libri impressionem ad nostram notitiam nuper allata clariori comperta veritate, subnectimus. Canonicorum ergo Ordo Reg. D. Augustini à quibus directe ut diximus præfata Con-*

gregatio continuatur, & ab ipso Patre Aug. regularem sumpsit institutionem. Nam ut in dictis sermonibus de communi vita Clericorum ad verbum habetur Clericos intra Episcopi domum habere curavit, & cum eis pariter secundum Apostolicam formam quoad vixit in communi degere voluit. Quibus omnibus placuit unum in Deo sentire, & omnia in communi possidere & ibi inquit Clericus duo professus est scilicet sanctitatem id est obedientiam, castitatem & vivere in communi. Et ut tunicam lineam, & byrrum, id est vestem desuper. habitum in communi gestarent quia & ipse in communi acceperat. Vnde inquit nemo det byrrum aut tunicam lineam nisi in communi quia & ipse in communi accepi. Non decet hanc professionem non decet hos canos &c. Ideo in sacris Canonibus Regulares latinè, qui & Canonici à canone Grece appellantur ut habetur de consec. dist. 5. cap. in omnibus ut Clerici Canonici canonice vivant, Glossa inquit Clerici Canonici, id est Canonici Regulares. Et licet in habitu superiori varii diversis in locis reperiantur Canonici, tamen ut colligitur per DD. in cap. Deus qui. De vita & honestate Clericorum, diversitas ipsa non diversificat ipsum Ordinem in specie penes habitum superiorem sive in forma, sive in colore,

cum

cum habitus superior non sit de substantia professionis, sed habitus interior scilicet tunica linea quæ est proprius & legitimus Canonicorum Reg. habitus, & in eo propriè profitentur: ita enim pulchrè notatur ex Glossa Ioannis Andreæ in verbo habitus in Clement. Prima de electione, & addit quod varietas coloris in habitu superiori non causat diversitatem Ordinis seu Religionis Canonicorum.

145. Sunt ergo omnes isti Canonici de quibus superius diximus, unius Ordinis cum illis, qui habitu lineo Regulam Augustinianam profitentes primum ab Apostolis in primitivâ Ecclesiâ sunt instituti, & per Augustinum Regularibus constitutionibus ad communem Regularem vitam restituti, ut etiam colligitur ex præfatis sermonibus de communi vita Clericorum & constitutionibus & decretis Rom. Pontificum Benedicti XII. Eugenii IV. Nicolai. V. & Sixti IV. & aliis authenticis scriptis & approbatis testimoniis existentibus apud præfatæ Congregationis Lateranensis Canonicos. Qui etiam Ravennæ Canonicam S. Mariæ in portu. Vercellis Canonicam S. Andreæ. Mortarii Canonicam S. Crucis. Venetiis Canonicam S. Mariæ de charitate. Montis-belli & Bononiæ Canonicam S. Mariæ & Ioannis in monte, aliis in pluribus locis ex longævi & immemorabilis Nota

morabilis temporis usu præfatas Canonicas sub ejusdem Ordinis primariâ institutione fundatas, in pristinum ejusdem Ordinis & Regularis observantiæ statum Rom. Pontificum privilegiis faventibus restituerunt, ac sub ejusdem Ordinis continuatione reformarunt.

CAPVT V.

146. HÆc Bergomensis, re maturè examinatâ, adhibito rei peritorum consilio, & lustratis Pontificiis Diplomatibus, ac veteribus Archivis, correctis etiam quæ perperàm aliàs eâdem de re tradiderat. Juxta quæ corrigendi sunt Auctores qui alitèr de Canonicorum S. Aug. Ordine scripserunt, quos citat & sequitur Adversarius *part.* 3. *Ecthesi vel conclus.* 3. & 7. item maximè *conclus.* 11. qui magnum quid se invenisse putat, non omnes Canonicos Reg. esse ejusdem Ordinis, cum Lateranensibus *conclus.* 8. quod ipsi non illibenter concedimus, siquidem Canonicos Reg. S. Norberti vulgò Præmonstratenses, Scopetinos, & si qui sint similes Canonicos quidem Reg. sed non Ordinis S. Aug. proùt Ordo ille strictè sumitur,

mitur, in diplomatibus Pontificiis, libro taxarum Cameræ Apoſtolicæ &c. non eſſe ejuſdem Ordinis in ſpecie, cum Lateranenſibus non eſt quod eamus inficias. Magnam nihilominus hallucinationem eſſe putamus, tenere Ordinem Canonicorum Reg. S. Aug. de quo decreta Pontificia allegata, citatus liber taxarum, & Hiſtorici relati agunt; apud ſolos Lateranenſes reperiri. Ad quid enim Cœtus eorum, vocatur Congregatio Ordinis S. Aug. ſi non dentur plures ejuſdem Ordinis Congregationes? reverà ut ſtatim audivimus ex Bergomenſi, Congregatio Lateran. ferè exorta eſt cum Reformatione Frigdionariâ, quam adorſi ſunt Canonici Reg. S. Aug. Lucenſes & Papienſes, utrique Conventuales, non Cathedrales, qui poſtliminiò ab Eugenio IV. in Eccleſiam Lateranenſem ſunt reducti, & licèt poſtea iterum hinc exacti, nomen tamen Canonicorum Lateranenſium retinuerunt: quare moderni Lateranenſes à Lucenſibus, Papienſibuſque originem ducunt, qui ideò poſiti fuerant ibi ab Eugenio IV. eo quod eſſent Canonici Reg. S. Aug. (quamvis Conventuales tantum) tales, quales in eâ Eccleſiâ à tempore Gelaſii I. uſque ad Bonifacium VIII. per

octingentos præter-propter annos, resedisse noverat idem Eugenius, ex certâ scientiâ, & ab Apostolis institutos, ac consequenter approbatum juxta Canonem *Dominus noster* 93. *distinctione*. Si enim Domnus Apostolicus auctoritatem habet Ordines approbandi, quidni & Apostoli ipsi? porrò præcipuam præcedentiæ rationem, ponendam esse in antiquiore approbatione contendit Adversarius noster, nec immeritò. Sed unum hoc miror eundem id quod maximè sibi probandum erat, sine probatione præteriisse, scilicet approbationem Ordinis S. Benedicti factam esse ann. DXCVI. ut habet *prima* ejus *Ecthesis* 3. *partis* hæc scilicet: *Ordo Benedictinus institutus ante annum* DL. *approbatur ann.* DXCVI. cujus priorem partem ex historicis probavit, posteriorem verò quæ maximè probatione indigebat sine probatione jejunè & quasi sine salutatione transivit. De quò infrà opportuniore loco.

147. Intereà nostra, id est, Ordinis Canonico-Augustiniani institutio, & approbatio antiquior Benedictinâ, probata est à Canonicis Reg. S. Aug. Crutzelingensibus, contra Monachos Benedictinos Petri-domenses, coram Joanne

XXIII. atteſtante Concilio Conſtantienſi, & confirmante Innocentio VIII. ut ſuprà, & à Lateranenſibus coram Pio IV. corroborante Pio V. de quibus infrà. Noſtram autem inſtitutionem, & approbationem voco, & hîc iterum refrico, inſtitutionem & approbationem Ordinis Canonicorum Reg. non quorumcumque, ſed S. Aug. qui non ſolum à Lateranenſibus; ſed & à Crutzelingenſibus, Aroaſienſibus, Windeſemenſibus &c. obſervatur. Nec enim Lateranenſes & Crutzelingenſes quatenus tales, per ſententias Pontificias Benedictinis, non ex privilegio; ſed ex jure adjudicato prælati ſunt, ſed quatenus ſunt Ordinis Canonici S. Aug. & priùs inſtituti, & priùs approbati; quam Ordo S. Benedicti.

148. Nam Pontifices in utriſque non ponderarunt qualitatem loci, vel dignioris vel antiquioris ſed qualitatem Ordinis, ſcilicet priorem ejus antiquitatem, & Clericalem dignitatem in Lateranenſibus; non verò Cathedralitatem in quâ omne pondus præferentiæ Lateranenſium, non ſemel ponere videtur Adverſarius. Cum intereà illi, ut oſtenſum eſt, ab Eugenio ſumpti ſint, ex Canonicis Reg. Ordinis

S. Aug. & quidem Conventualibus talibus, quales ſunt modo Windeſemenſes, & olim fuerunt qui erant ſub Capitulo Aroaſienſi, Eechoutani, Cyſonienſes & ſimiles, & poſiti in Eccleſiâ Lateranenſi. Vnde ſumpta Congregationis modernæ denominatio, quæ hujus Ordinis Monaſteria complectitur per Italiam. Hinc fit ut omnes Canonici Reg. S. Aug. in Italiâ paſſim, Lateranenſes vocitentur, qui quia ob vicinitatem ſemper maximè noti Pontifici fuerunt, ideò horum ferè mentio fit in Diplomatibus, verum quæ Ordini communia, in eis contenta ſunt, meritò ad omnes extenduntur. Quarè ſicut omnes Benedictini in Caſſinenſibus victi ſunt, ſic omnes Canonici Reg. S. Aug. in Lateranenſibus de illis in causâ præcedentiæ triumpharunt: quia & Clericalis dignitas, & Canonici Ordinis major antiquitas, quæ ex Pontificum decretis duæ cauſæ triumphi fuerunt, non ſolis Lateranenſibus, quamvis hi ſoli contra Benedictino-Caſſinenſes certarint, peculiares fuerunt, ſed & ipſis, & reliquis communes. Et ita omnino tenendum eſt ſi conformiter Pontificiis proloquiis ſentire velimus, à quibus qui diſſentiunt audiendi non ſunt. *Quiſq; enim in ſuo ſenſu abundat.*

Porro

Porro *ex abundantia cordis os loquitur*. At certiora sunt Pontificia oracula, privatis placitis quorum parens plerumque privatus amor, quem comitatur error juxta tritam S Aug. doctrinam.

CAPVT VI.

149. QVare meritò non solum laudandus, & approbandus, sed etiam propugnandus est Martinus Aspilcueta Doctor Navarrus, ob eminentem jurisprudentiæ doctrinam, Monarcha Juris communiter indigitatus; ejusdem Ordinis Canonico-Augustiniani professor eximius, & splendor non exiguus, qui & status sui qualitatem si quis alius optime calluit, & de eo conformiter Pontificiis decisionibus scripsit 1. operum tomo commentario 4. de Regularibus, titulo *de stabilitate & transitu* eorum, in cap. *Statuimus* 19. *q.* 3. quem sequitur eruditus D. Andreas Catulle Canonicus tunc & officialis, nunc verò Archidiaconus Tornacensis, & uterque profert Bullas Pontificias, & rationes pro Canonicis Reg. S. Aug. in causâ præcedentiæ re-

Vide ejus encomium apud Garciam in Ecclesia Pampilonensi

 spectu

ſpectu aliorum Religioſorum, & quidem tales, ut in cauſâ & lite quam propugnandam ſuſceperant jure merito triumpharunt: unde nos iis armati pro defenſione non immeritò animoſiores reddamur.

150. Verum Adverſarius, de Bullis quamvis ſubdubitet (tamen ſine cauſa, ſi ea quæ inquirenda fuerant, diligentius ſcrutatus fuiſſet) pro ſuâ tamen nativâ urbanitate, ſic enim loquitur, ſe credulum præbet; eas tamen privatis ſuis notis, ut putat, illuſtrat: rationes vero magno molimine aſſiſtrice Dialecticâ, variis retortionibus, cavillationibus, & ſophiſmatibus ſolvere conatur. Sed potuiſſet ſuperſedere laboribus, & ſudoribus parcere. Nam ut in initio dixi, ſic & jam repeto, actum agit, & eandem crambem recoquit, nolo dicere Camerinam movet quia hoc ejus diſplicet urbanitati.

151. Equidem apud Aſcanium Tumburinum, Monachum Benedictinum Congregationis vallisumbroſæ *de jure Abbatum tomo* 1. *diſp.* 22. totus Proceſſus candidè, & ſincerè relatus exſtat Controverſiæ, per centum circiter annos agitatæ inter Canonicos Reg. S. Aug. Congregationis Lateran. & Monachos S. Benedicti Congre-

Congregationis Cassinensis, in quo videri possunt omnia fundamenta, & motiva partis utriusque cum suis probationibus, solutionibus, relationibus, sententiâ & brevi executorio: quæ omnia Navarrum non latuerunt, & ne res perfunctoriè, ab utrâque parte acta fuisse putetur, consultæ fuerunt nobiliores Academiæ Italicæ, & datæ fuerunt solutiones ad jura & rationes Lateranensium, quæ videbantur (sed videbantur tantùm) non solum æquales solutionibus quas Adversarius adhibet 4. *parte libræ*, sed etiam in specie fortiores: producta fuit etiam Auctoritas S. Bernardi ejusque testimonium ex *Apologia ad Guillelmum*, de quo Adversarius 3. *parte Ecthesi* 4. *num.* 185. *forte* inquit *hoc ipsum testimonium in Cassinensium Lateranensiumq; lite allegatum non fuit.* Fuisse inquam hoc allegatum patet ex *num.* 134. apud Ascanium sup. quibus tamen, non prævalentibus auditis relationibus trium Cardinalium; quorum intererat & sententia lata est, & datum breve Pontificium executorium, pro Canonicis Reg. S. Aug. Congregationis Lateran. contra Monachos Benedictino-Cassinenses. In quibus duobus totus Ordo Canonicus, & totus Monasticus, quasi

re

re commissâ Monomachiæ, fortiter certavit in orbis Amphitheatro sub Agonoteta Pontifice, arbitris Cardinalibus tribus. Et tandem hic succubuit, ille ut dixi, triumphavit.

CAPVT VII.

152. QVæ omnia videri possunt apud prædictum Auctorem locis citatis, ex quo in gratiam eorum, qui eum non habent ad manum, hoc loco operæpretium erit, quædam pro majori dilucidatione præcedentium, subjicere ad majorem causæ notitiam, & ut clarius constet cuilibet, rem aliter se habuisse, in illâ lite quam putaverit Adversarius. Itaque------

153. *Sciendum est*, inquit Tumbarinus, *Pium IV. per Bullam quæ incipit. Regiminis universalis Ecclesiæ, commisisse causam præcedentiæ illustrissimis & Reverendissimis Dominis Cardinalibus Ioanni Michaëli Saraceno tituli S. Anastasiæ & Ioanni Baptistæ Cicadæ tit. S. Clementis, & Bernardino Scotto tit. S. Matthæi: virtute cujus Bullæ prædicti Illustrissimi jurisdictionem adepti sunt partes audiendi, citandi, & sub censuris & pœnis procedendi*

cedendi, in qua mandatur prædictis judicibus, ut postquam causam cognoverint ad suam sanctitatem referant decidendam.

154. *Produxerunt igitur tam Canonici Reg. quam Monachi Cassinenses unusquisque pro suorum jurium defensione, & ad probandum jus prælationis publica authentica instrumenta, Decreta aliqua, & nonnullas pontificias Bullas, aliaque ut in processu. Deventum, deinde est ad rationes & jura conducentia definitioni causæ, & pro illa consulti fuerunt ab utraque parte gravissimi Italiæ Iurisconsulti, & excellentes curiæ Romanæ Advocati.*

155. Pro Reverendis Canonicis Reg. Ordinis S. Aug. Congregationis Lateran. adversus monachos S. Benedicti, Congregationis Cassinensis, suas allegationes cum solutionibus objectionum, quæ opponi poterant, Adversarii nostri non absimilium, exhibuit Scipio Lancellottus tunc Rom. sacræ Aulæ Consistorialis Advocatus; postea S. R. E. Cardinalis quæ incipiunt: *In antiqua & vulgari proposita quæstione, &c.* satis solidas & prolixas prout videri possunt apud prædictum Tumburinum, quibus ad calcem subduntur Authores qui pro eadem parte Canonicorum Reg. scripserunt, & responsa edi-

 derunt.

derunt, nempe Jacobus Portius Torocor. Imola nuncupatus, Pyrrhus Tharrus, & Agapitus de Magiſtris Romani, necnon Vincentius Parentius Lucenſis.

156. Pro Reverendis verò Monachis S. Benedicti, Congregationis Caſſinenſis, in eâdem præcedentiæ cauſâ contra Canonicos Reg. S. Aug. Congr. Lateran. etiam allegationes ſuas poſuerunt, cum ſolutionibus argumentorum, Clariſſimus J. C. Antonius Maſſa Galleſius, & Marcus Antonius Burgheſius Senenſis, ſacræ item Aulæ Conſiſtorialis, & Pauperum Advocatus, qui fuit Pauli V. Pont. Max. fel. Record. Genitor, ſcripſeruntque pro jiſdem Monachis Onuphrius Camajanus Aretinus ſacræ Aulæ Conſiſtorialis & Fiſci Advocatus, & alii. Quibus viſis & pluribus aliis pro utrâque parte adductis Illuſtr^{mi} Cardinales deputati relationes ſuas Pio Papæ IV. præſentarunt, in hunc qui ſequitur modum.

CAPVT

CAPVT VIII.

Relatio Illustr.mi ac R.mi S. R. E. Cardinalis Ioannis Baptistæ Cicadæ tit. S. Clementis coram S.mo Domino nostro Pio Papa IV.

157. *SAnctissime Pater. In causa præcedentiæ inter Canonicos Reg. & Monachos S. Benedicti in primis fuit dubitatum: an dicti Canonici censeantur esse de illis quos B. Aug. instituit, & conclusum fuit pro parte affirmativa, præsupponendo in primis quod tempore primitivæ Ecclesiæ Apostoli instituerunt Clericos & presbyteros, ut habetur in Can. 1. in fin. 12. dist. & tradit latè Augustinus de Ancona in tractatu de potest. Ecclesiastica q. 104. arg. 1. versu: Respondeo. Et post BB.os Apostolos B. Marcus illos primos instituit in civitate Alexandrina ut refer. Cassianus in lib. de instit. Monachorum. Postea succedente tempore cum B. Aug. videret disciplinam Clericalem jam relaxari, ut retineretur symbolum vitæ Apostolicæ & Clericorum antiquorum, instituit Collegium Clericorum*

ricorum Reg. prout de hoc sunt multa jura in decreto 12. *q.* 1. *& refert B. Thomas* 22. *q.* 189. *art.* 8. *ex istis Clericis Reg. propagatus est Ordo Canonicorum Reg. prout tenet S. Thomas in loco supra allegato, Vincentius in speculo doctrinali l.* 18. *c.* 16. *ubi inquit: Ordo Canonicorum Reg. primo ab Apostolis, postea à B. Aug. Regulariter fuit institutus; & in speculo historiali l.* 16. *cap. fin. inquit Augustinus factus Sacerdos Monasterium Clericorum instituit, & cœpit vivere secundum Regulam sub SS. Apostolis constitutam. B. Antoninus* 2. *parte suæ Chronicæ tit.* 15. *c.* 16. §. 7. *volater. l.* 21. *Com. ibi: Ordo Canonicus, non tam ab Augustino institutus quam renovatus, ab Apostolis sumpsit exordium. Fasciculus temporum in* 6. *ætate. Vbi, inquit, Ordo Canonicus cœpit florere in Ecclesia Beluacensi tempore Ivonis & Rufi.*

158. *Idem fatentur Pontifices Benedictus XII. in sua extravaganti, quæ refertur inter Constitutiones Canonicorum Reg. Idem Eugenius IV. in Bulla producta, quæ judicio meo fidem optimam facit. Nam cum materia posset dici dubia standum est in dubiis determinationi Papæ cap. in litteris de rest. spol. Io. Andr. in cap. dilecto de præbendis. Et dicit S. Thomas* 22. *q.* 21. *a.* 12. *quod in decisionibus cau-*

sarum

sarum magis standum est auctoritati Papæ, quam cujusuis alterius etiam S. Doctoris. Nec obstat quod verba Bullæ videantur enuntiativa, quia judicio meo sunt dispositiva ac per modum causæ. Nam Papa asserit velle restituere templum Lateranense istis Canonicis à quibus olim regebatur, & quod fuerunt amoti à Bonifacio; & ideo restituit iis, ut in eo retineatur symbolum vitæ Clericorum, quæ vigebat tempore Apostolorum, & quam Augustinus divinis Regulis decoravit; affirmando quod ab illis Canonici in Ecclesia Lateranensi, & per eum introducti processerunt. Et sic propter illam causam disponit. Quo casu assertio hujusmodi probat & fidem facit Bart. in l. emptor. §. ancilla de rei vindic. Alex. cons. 46. col. 2. vol. 1. Iason in l. ex his n. 1. c. de nul. test. Dec. in l. si quis in conscribendo n. 4. l. de pactis.

159. *Secundo facit quod Bulla emanavit motu proprio & ex certa scientia quo casu fidem facit Alex. Cons. 112. vol. 7. Soccin. Cons. 87. vol. 3. tertio quia in omnem eventum transfert onus probandi in Adversarios. Sed per Adversarios nil est probatum saltem concludenter ergo. Et præsertim quia declarationem Eugenii sequuntur Nicolaus V. & Sixtus IV. Item quia sumus in antiquis an-*

norum centum & ultra, quo casu narrativa Papæ fidem facit, late per Rimin. de antiquitate temp. part. 1.

160. *Vlterius; quod isti Canonici descendant ab illis probatur sufficienti partium enumeratione. Et 1. quia conveniunt in nomine. Nam sicut illi vocantur Clerici, ita & isti; & licet quandoq; vocentur Canonici, tamen idem sunt, & promiscue jura utrumq; nomen illis attribuunt ut habetur in Canone Certe, & in Can. Nolo 12. q. 1. & in Canone Observandum 15. q. 2. ubi prohibetur Clericos munera recipere. Et Gratianus declarat intelligi de Canonicis Reg. facit textus in cap. cum causam de elect. ubi simpliciter nominat Clericos, & tamen loquitur de viventibus sub Reg. S. Aug. & in cap. dilecto, de Iudic. ubi semel dicit: Prior & Clerici, & postea dicit: Prior & Canonici. Ad idem cap. quoniam de vit. & honestate Cleri juncta Glossa in ver. Clericus. Et patet quia Regula ipsa Canonicorum Reg. inscribitur: de communi vita Clericorum, & quod illi antiqui Clerici vocarentur etiam Canonici est textus cum Glossa in Can. in omnibus de consec. dist. 5. cum simil.*

161. II. *probatur identitas ex habitu ab ipso Deo instituto ut habetur Exodi cap. 28. & 39. & quod*

quod Apostoli usi fuerint habitu lineo habetur in Historia S. Sylvestri de S. Euphrosyno, qui Romam venit indutus Colobio candido, quod fertur fuisse S. Iacobi Apostoli. Et in Apoc. legitur de sanctis qui ambulabant in albis lineis, & ibi notat Nicolaus de Lyra, & ita instituit Augustinus Clericos suos deferre debere, ut patet in sermone suo qui incipit: Charitati vestræ. Vbi dicit: Birrum & tunicam lineam nemo accipiat nisi in communi, prout etiam modo Clerici ac Presbyteri & Prælati utuntur vestibus lineis, & hic habitus proprius Canonicorum Reg. ut in Glossa in Clementin. 1. in verbo habitus de electione. Nec obstat quod super habitu lineo deferant cappam, quia intenditur habitus interior, & non exterior ut per Glossam ibi, & per Imol. n. 29. & per Glossam in Clement. ne in agro §. statuimus.

162. *III. Probatur identitas etiam ex professione & 1. quia vivunt in communi, prout vivebant tempore Apostolorum & tempore ipsius Augustini ut habetur in Canone Nolo. Et in Can. non dicatis 12. q. 1. & tradit Vrbanus Papa in Can. videntes eadem causa & questio & habetur in Can. præter hoc 32. dist. Abb. in cap. Deus qui de vit. & honest. Cler. & in cap. Epis. de præben.*

Præpos.

Præpoſ. in Can. 1. 44. *diſt. Barbat. de præſtantia Cardinalium quæſt.* 6. *nec obſtat textus in cap. Certe n.* 1. *ubi Auguſtinus videtur tolerare Clericos volentes tenere proprium quia verum eſt quod tolerat Clericos viventes extra Collegium non autem in Societate ſua ut dicit expreſſe in dicto Can. Nolo, & clarius in Can. ſequenti ubi dicit quod viventes in ſua Societate omnibus renuntiabant, & voluntatem abnegabant: ex qua abnegatione probatur etiam votum obedientiæ, quod nil aliud eſt quam negare propriam voluntatem & voluntati alterius parere, ut tradit Auguſtinus de Ancona in Tract. de poteſt. Eccleſ. q.* 91. *De voto etiam Caſtitatis non eſt dubitandum ut per Aug. in ſerm.* 2. *de communi vita Clericorum; ubi inquit quod Clericus profeſſus eſt ſanctitatem & Clericatum, per quod verbum Sanctitatem intelligitur de caſtitate ut per Auguſtinum de Ancona in dicta q. art.* 3. *& licet tempore Apoſtolorum non fieret forte profeſſio formalis prout hodie fit; tamen ſatis eſt quod in ſubſtantia & quoad effectum idem faciebant ut dicit S. Thomas in* 4. *ſent. diſt.* 98. *art.* 2. *q.* 3. *ubi inquit quod antequam eſſent iſtæ Regulæ quæ modo ſunt, erat ſimilis modus vivendi qui hodie redactus eſt ad Regulam ut tradunt Ioannes de Turrecremata*

recremata 17. q. 1. in summa & Præd. in Can. 43. dist.

163. *IV. Probatur ex nomine & qualitate Prælatorum dicti Ordinis, qui proprie sunt Presbyteri & Præpositi ut dicit Augustinus in speculo, & in dicto Can. non dicatis 12. q. 1. Nam licet hic Ordo Canonicorum Reg. habeat aliquos Abbates, hoc fuit per accidens: nam regulariter non habent Abbates, sed Præpositos & Priores ut declarat Innocentius in cap. Cum titulorum per illum textum juncto cap. Monachi de sent. excomm.*

164. *Et licet multæ fuerint factæ Reformationes istius Ordinis per diversa tempora, per hoc non tollitur substantia & identitas ipsius juxta l. opponebatur de Iudic. Cons. Rom. 198.*

165. *Nec obstat etiam quod in Bulla Eugenii dicitur de novella plantatione apud Frisionariam, quia intelligitur de ultima planta propter Reformationem ibidem factam dicti Ordinis ab jisdem. Non autem quod novus Ordo fuerit institutus in dicto loco quia apparet ex Bulla Alexandri IV. & Gregorii X. quod ante trecentos annos erat Ordo Canonicorum Reg. in dicto loco de Frisionaria. Ex quibus & multis aliis conclusum fuit modernos Canonicos descendere ab illis, quos B. Aug. instituit.*

166. *Secundò. Principaliter dubitatum fuit posito quod moderni Canonici censeantur esse de illis quos instituit B. Aug. an debeant præcedere Monachos S. Benedicti; & conclusum fuit similiter pro parte affirmativa. I. propter antiquiorem institutionem ipsorum factam à D. Aug. qui fuit longe ante Benedictum, quæ institutio in materia præcedentiæ attendi debet juxta Glossam in cap. quorumdam in verbo Prædicatorum de elect. lib. 6. & clarius apparebit ex infra dicendis.*

167. *II. Facit approbatio dicti Ordinis Canonicorum Reg. quæ deducitur tacite & expresse. Tacitè quia omnes Regulæ ante Concilium Lateranense censebantur ipso jure approbatæ cap. fin. de Rel. Dom. & nota Glossam in verbo præcessit in cap. unico §. penult. eodem tit. l. 6. pro quo etiam est textus in Can. parsimoniam. Vbi notant omnes 41. dist. & in l. 1. de collegiis illicitis, quæ licet sit lex Civilis, tamen debet observari in foro Canonico nisi contrarium reperiatur in jure Canonico decisum juxta tradita in cap. 1. de novo opere. Item censetur approbata Regula ante Regulam S. Benedicti cum fuerit instituta ante illam per centum annos & ultra. Per quod tempus præsumitur titulus juxta l. hoc jure §. ductus aquæ, de aqua quod, & est*

cap.

cap. super quibusdam §. praeterea de verb. sign. Item quia Ordo hujusmodi fuit institutus per Episcopum, & sic per Ordinarium qui non reperiebatur probibitus ante dictum Concilium. d. cap. finali ergo &c.

168. *Praeterea dicitur Ordinem hujusmodi fuisse expresse approbatum ante Ordinem Benedicti per Gelasium in Can. sacrosancta* 15. *distinct. ubi approbantur in genere omnia opuscula Augustini, inter quae est ipsa Regula Canonicorum: ergo censetur approbata ab ipso Gelasio, qui Gelasius fuit Filius Valerii Episcopi Hipponensis qui ordinavit D. Augustinum & successorem elegit. Vlterius cum negari non possit Ordinem hujusmodi fuisse approbatum per Innocentium II. in Can. perniciosa* 18. *q.* 2. *hujusmodi actus qui à principio validus erat (ut supra probatum fuit) trahitur ad tempus ipsius institutionis ac si tunc confirmatus fuisset ut est doctrina Bald. in l.* 1. *C. de testamen. Latè Pari. Cons.* 19. *N.* 37. *lib.* 1.

169. III. *Principaliter deducitur dignitas & praecedentia Canonicorum ex Clericatu quem habet annexum originaliter Can. Nolo. Can. non dicatis. Can. Certe cum similibus* 12. *q.* 1. *quia non potest esse Canonicus qui non sit Clericus. Not. Abbas in C.* 2. *de inst. & quod isti Canonici fiant Clerici ab*

initio tradit Archidiaconus in Can. Mandamus 19. q. & B. Thomas 2. 2. q. 198. a. 8. Monachi vero ex sua institutione erant Laici. C. de Episcop. & Clericis C. generaliter, Canonizato in Canone generaliter ib. q. 1. quinimo de jure non poterant Clericari ut notat Præpositus in can. priscis 55. dist. & in Can. requisitus 1. q. 7. nisi ex causa necessitatis ut in d. Can. priscis, & in Can. moderamine & in Can. ex Auct. ib. q. 1. quia alia causa est Monachi, alia Clerici. Monachi enim officium plangentis, Clerici vero docentis Can. hinc est, & Can. Monachus. Can. alia causa 16, q. 1. & inde dicitur quod vix optimus Monachus facit Clericum bonum. Can. legitur eadem causa 16. q. 1. & ideo scribit Hieronimus ad Rusticum: sic vive in Monasterio ut Clericus esse merearis. Can. sic vive 16. q. 1. & quod Monachi essent Laici & non Clerici patet quia solvebant decimas prout cæteri Laici: Glossa in cap. ex parte in verbo laborum de decimis. Et licet hodie Monachi fiant Clerici, Clericatus hujusmodi competit illis per accidens, & non originaliter ex institutione prout competit Canonicis ut dicunt D. Thomas & Abb. in locis præallegatis. Ex quo sequitur quod causa naturalis attendi debet & prævalet causæ accidentali ut notat Barth. in l. 3. ff. de fut.

& in

& in l. fin. de officio proconsulis &c. Et ista antiquior ordinatio circa praecedentiam attendi debet ut not. Abb. in term. in cap. statuimus Col. versu Nota ex praedictis de major. & obedient. Vbi dicitur quod tanta debetur reverentia Ordini quod olim quando Monachi non erant Clerici simplex Clericus praeferebatur Abbati juxta Canonem à Subdiacono 93. dist. & propterea non obstat quod hodie Monachi sint arctioris vitae, & ideo fiat transitus ex Canonicis ad Monachos: quia circa praecedentiam non attenditur comparatio meritorum ut notat. Gemin. in cap. quamuis §. quamquam n. 3. de praebend. in 6. Decanus in cap. 2. Col. 3. de re jud. felin. in cap. postulasti Col. 2. de rescript. prout patet in mendicantibus, qui licet sint Clerici & arctioris vitae, tamen postponuntur aliis. Et quia privilegium Clericatus concessum Monachis ex post facto, debet intelligi sine praejudicio alterius vulg. l. 2. §. merito nequid in foro publico cap. quamuis de rescrip. in 6. Nec obstat huic fundamento Clericatus quod dicitur ab aliquibus Canonicos Reg. non debere gaudere privilegio Clericorum quia non sunt simplices Clerici, quia privilegium Clericorum videtur remansisse penes Clericos saeculares, qui ipsos Regulares, praecedunt: Nam ut dicit Aug. l. 9. conf. & in sermone

qui incipit, Charitati vestræ: Clerici omnes originaliter vivebant secundum vitam regularem; cum inciperent vitam hujusmodi relaxare instituti sunt Canonici Reg. per Aug. juxta priorem vitam; ad retinendum illius symbolum: Clerici vero qui non servabant Regulam, vocati sunt sæculares quasi participantes de Regulari quoad Ordinem, & de sæculari quoad vitam ut dicit Glossa in cap. licet de corrigendis in versu Sæculares de off. Ord. & ibi declarat Abb. Col. fin. n. 5. præpositus in Can. 1. col. 34. vers. 3. tempus dist. 44. post ostien. in summa de vita & honest. Clericorum §. à quibus in principio. Et ideo Augustinus vocat Clericos sæculares claudos tamquam claudicantes & vitam rectam Clericalem non tenentes. In can. Certe 12. q. 1. ex quo infertur quod Canonici Reg. qui servant antiquam Regulam Clericorum vere illis succedunt, & digni sunt majori laude cum perseverantes in bono dicantur esse melioris conditionis quam ab eo deviantes. Can. si ex bono de pænit. dist. 4. cap. dum qui de præb. in 6. & licet Clerici sæculares hodie eos præcedant, hoc procedit quia sunt sub Episcopo & sic ratione capitis. Arg. cap. quamvis de præbendis in 6. nam membra sequuntur caput. Cap. non liceat. In principio de prescrip. & ideo si Ecclesia

esset

esset Regularis prout multæ sunt, Canonici Reg. illius Ecclesiæ præcederent quoscumq; Clericos ratione capitis, prout servatur in practica.

170. *IV. Principaliter deducitur præcedentia Canonicorum ex dignitate instituentis, id est Augustini, qui fuit non solum magnus Episcopus ut dicit textus in cap. 1. de obli. ad ratio. Sed etiam solemnis Ecclesiæ Doctor, & secundus post Apostolos ut habetur in cap. unico §. sic alma Mater. de Reliquiis & venerat. sanct. l. 6. & non est dubium quod ordinatus à majore præfertur etiamsi sit postea ordinatus cap. per tuas. Vbi Abbas & alii notati de majoritate & obedi. Ideo dicunt quod ordinatus à Papa licet posterius, præfertur ordinato ab Episcopo, facit cap. quia sæpe §. 2. de præbend. in 6. Benedictus vero fuit simplex Abbas, quod est nomen sollicitudinis & non dignitatis ut est Glossa in cap. tuam, in verbo non ascendant. De ætate & qualitate. Et in can. accedens, in verbo Abbatem 50. dist. & competit etiam cuilibet Præposito Collegiorum & artium vilium ut tradit Alciatus in l. Collegiorum de verbo. significat. & ideo in Ecclesia postponitur Ostiario & aliis in minoribus constitutis can. à Subdiacono 93. dist.*

171. *Nam dignitas & privilegium Abbatum*

nostri

nostri temporis eis competit ex speciali privilegio Sedis Apostolicæ. De privileg. in 6. potest concedi hujusmodi privilegium & sæpissime concessum fuit & conceditur etiam Prioribus non habentibus Superiorem ut notat Glossa in cap. Abbatem eodem tit. & libro. Quia istæ prælaturæ, quando sunt in capite æquiparantur c. 2. & cap. cum illorum de sententia excomm. cum Glossa in verbo Abbatem. Vt notant omnes, & propterea non obstat quod dicitur Monachos videri digniores, quia habent Abbatem naturaliter, Canonici vero per accidens ut videtur dicere Innoc. in d. cap. Cum illorum in verbo Abbatem, quia Abbatia per se nihil est, sed dignitas venit ex post facto, eo tempore quo etiam Canonici habuerunt, prout habent multos Abbates & majores Prælatos; licet habeant etiam Archipresbyteros, Priores, & prout etiam novissime multi Priores erant apud ipsos Monachos, ut in cap. in singulis & cap. ea quæ de statu Monach. cap. fin. de capellis Monach. & quod Canonici habent multos Abbates habetur in dicto cap. Monachi & cap. cum illorum & in cap. intelleximus de ætate & qualitate & cap. cum I. & A. de re jud. cap. significasti 2. de homicidio cum infinitis similibus. Vnde cum supervenerit dignitas à Sede Apostolica, Abbatibus omnibus

Nota.

æqualiter

æqualiter censetur concessa. Quia una determinatio respiciens plura determinabilia ea pariter determinat. Vulg. l. jam hoc de jure. Vulg. & Pupill. Ideo cum ad hoc sint pares in dignitate videretur servanda antiquitas in promotione prout fit in Episcopis. arg. l. C. de consult. l. 12. dd. in l. 2. prius de vulg. Boëri. Ord. grad. n. 5. vel ratione Ordinis Canonici essent præferendi.

172. V. Principaliter pro Canonicis facit consuetudo urbis in qua Canonici præcedunt quæ consuetudo urbis potissimum debet attendi in istis præcedentiis ut dicit Baldus in cap. cum olim in principio de consuetudine. Præpositus in Can. Episcopus 17. dist. Decanus in cap. Clericis de judiciis & in cap. avaritia de præbendis ubi arguit per hoc quod Monachi debent præferri Canonicis quia in urbe præcedunt, quod est falsum: & ideo facit in contrarium. Vnde non videtur attendenda communis opinio Doctorum esse in favorem Monachorum, cum non sit fulcita juribus & rationibus ut dicit Augustinus in can. ego solus 9. dist. & doct. in cap. 1. de constit. cum similibus.

173. Postremo fuit dubitatum, cum in Concilio Tridentino reperiantur Abbates Congregationis Lateran. Canonicorum Reg. & Congregationis S. Be-

nedicti; qui debeant præcedere, & videbatur quod Lateranenses præcedere deberent; nam stante conclusione superius firmata in favorem Canonicorum Reg. cum Abbates ipsi admittantur in Concilio tamquam repreſentantes suam Congregationem, & non ex propria persona, quod ex eo patet quia tres ipsorum tantum, non autem omnes admittuntur quia sunt Abbates temporales; & quia tres simul constituunt unnm votum tantum. Videbatur inquam ex hoc inferri, quod deberet attendi dignitas ipsius repræsentati sicut videmus in legatis Principum, in quibus non attenditur dignitas Legatorum, sed ipsorum Principum uti per Mar. Laur. in tract. de Legatis principum q. 27. cum similibus. Ex adverso tamen consideratum fuit quod isti Abbates non admittuntur in Concilio simpliciter tamquam legati; quia si non essent Abbates, non admitterentur. Ideo cum in eis consideretur propria qualitas Abbatialis resolutum fuit quod circa præcedentiam habeat in eis servari Ordo qui servatur in Abbatibus perpetuis & in Episcopis; ut scilicet attendatur antiquior promotio ad Abbatiam juxta tradita in Can. Episcopus ib. dist. in can. fin. 75. dist. cum similibus, prout alias, licet per modum provisionis, per Sanctitatem vestram proinde scriptum fuit.

CAPVT

CAPUT IX.

Relatio Illustrissimorum ac Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium Io. Michaëlis Sarraceni tit S. Anastasiæ ac Bernardi Scotti tit. S. Matthæi.

Sanctissime Pater pedum post oscula Beatorum.

174. C*Ausa præcedentiæ inter Canonicos Reg. Lateran. Ordinis S. Aug. & Monachos Congregationis Cassinen. Ordinis S. Bened. jam inde à tempore Innocentii VIII. Anno* 1489. *controversa ac ventilata fuit, multáq; hinc inde emanant Concilia & responsa celeberrimorum Doctorum, & Collegiorum Italiæ, ex quibus difficilis & ardua facta est hujusmodi quæstio: utra scilicet ex dictis Congregationibus alteram præcedere debeat. Cumq; eadem causa jam pridem à Sanctitate vestra nobis delegata fuerit primo audienda.* 2. *vero referenda. Nos ut par est Sanctitati vestræ obtemperantes, Relationem in his scriptis, prout oretenus eadem Sanctitas vestra injunxit, facimus.*

175. *Auditis siquidem multoties partibus, & his quæ hinc inde allegata sunt, diligenter examinatis: primo dubitatum inter nos fuit, an ex deductis constaret Canonicos Reg. qui sunt in causa, descendere à Clericis sive à Canonicis Reg. quos instituit B. Aug. vel de illis esse censeri. In quo articulo conclusum per nos fuit pro parte affirmativa.*

176. *Rationes ita decidendi præter alias fuerunt 1. tex. in Can. Nolo, & Can. non dicatis, & in Can. Certe 13. q. 1. in quibus juribus B. Aug. præcepit Clericis qui cum eo vivere velint, ne quid proprium habeant sed omnia in communi cum ipsa Ordinis susceptione, non solum facultatibus, sed voluntatibus se subdiderint: quæ qualitates omnes maxime conveniunt his Canonicis Reg. qui & ipsi sunt Clerici & Ordinis S. Aug. ac in communi omnia possident, obedientiam quoq; sub Regula B. Aug. profitentur. Merito igitur de illis sunt censendi, talia enim subjecta qualia prædicata demonstrant. l. fundum instructum, ff. de fundo instructo: & ad probationem identitatis sufficit concursus duarum qualitatum l. forma, ff. de censi. per Bar. in l. demonstratio, col. penult. de cond. & demonst. 2. hanc conclusionem nostram confirmat Bulla quædam Eugenii IV. in actis producta, pro parte Canonico-*

rum

rum Reg. quæ dirigitur Canonicis ipsis Reg. qui tunc temporis erant in Monasterio S. Mariæ de Frisonaria, illosq; Eugenius appellat sub his verbis: divinam in terris familiam Clericorum, quæ vitam Religiosam ducerent, & ad exemplum nascentis Ecclesiæ Sanctam servarent institutionem Clericorum quos Canonicos appellamus. Et paulo post: hujus profecto sacri Ordinis & sancti propositi, post Sanctos Apostolos primus in Alexandrina Ecclesia Marcus Petri Discipulus fuit institutor & conditor, & gloriosus Doctor Augustinus eos divinis Regulis decoravit. Ex quibus verbis Eugenii arguitur manifeste istius Ordinis antiquitas, & institutio. Et licet ea verba prolata sint à Papa enuntiative, & quæ concernant factum alienum, tamen negari non potest quin præsumptionem in antiquis inducant, quæ saltem transferat onus probandi contrarium in Adversarium juxta not. per Glos. Pen. in cap. nonnulli §. fin. de rescrip. ubi Abbas dicit illud esse quasi commune dictum, & in practica solere servari, & est Glos. in Clement. litteris in verbo fecisse narramus. Vbi Paulus de Leaz. & Io. Imol. & traditur per Frederic. de Sedis. Consil. 27. 3. non parvi momenti sunt Auctoritates Historicorum quibus in parte cum de antiquis factis dubitatur credendum, l. septimo

 mense

menſe ff. de ſtat. hom. qui teſtantur iſtos Canonicos Reg. à B. Aug. inſtitutos ſuiſſe, cum in Eccleſia Hipponenſi eſſet Epiſcopus. Ex his itaq; juribus ac rationibus firmata fuit inter nos concluſio, quod Canonici Reg. prædicti cenſeantur eſſe de illis quos B. Aug. inſtituit.

177. *Secundo loco dubitatum eſt: præſuppoſito quod Canonici Reg. qui ſunt in cauſa cenſeantur eſſe de illis quos B. Aug. inſtituit, an ex hoc inducatur quod debeant præcedere Monachos S. Benedicti, qui ſimiliter ſunt in cauſa, & in hoc quidem dubio, in quo clavus totius cauſæ vertitur, poſt multa facta fuit per nos reſolutio, quod in proceſſionibus cæteriſq; actibus publicis Canonici Reg. ac eorum Abbates & Prælati demiſſa ſuperiori veſte ceu Cappa, retenta linea, & in Clericali habitu incedentes more Clericorum ſæcularium præcedere præferriq; debeant Caſſinen. Monachis. Rationes ex multis potiſſime hæ fuerunt, quæ nos, ut ita atteſtaremur, induxerunt. I. ratio fuit, quia Canonicis Reg. competit eſſentialiter Ordo Clericatus, & per ſe ſunt Clerici ut probatur in præallegat. Can. Nolo. Can. non dicatis & Can. Certe 13. q. 1. in quibus juribus hoc eſt expreſſum. Non idem autem eſt in Monachis qui non eſſentialiter nec per ſe, ſed per accidens ſunt Clerici.*

Probatur

Probatur in Can. à Subdiacono 93. dist. ubi Monachus, quinimo & Abbas postponitur quibuscumq; Clericis etiam Ostiariis. Et Hieronimus, ad Rusticum Monachum scribens in can. sic vive 15. q. 1. inquit: sic vive in Monasterio, ut Clericus esse merearis: & disce longo tempore quæ postmodum alios doceas. Et per hanc rationem in casu nostro B. Thomas 22. q. 189. art. 8. in resp. ad 2. arg. expresse tenuit Canonicos Reg. ut digniores propter Ordinis Clericatus annexum præferendos Monachis S. Benedicti. Quod etiam comprobatur quia contemplativa simul & activa vita Clericorum in administratione Sacramentorum aliorumq; spiritualium dignior ac nobilior est sola contemplativa Monachorum. Cap. nisi cum pridem ubi Ioan. Andræ. de renuntiat. Nam B. Aug. præcessit Benedictum Auctorem Congregationis Cassinen. per annos centum & plus, quæ antiquior institutio in prælationibus præcipue attenditur ut not. in l. Cum quid, si cert. pet. & in cap. qui Prior de Reg. jur. in 6. & hanc rationem antiquioris institutionis maxime adjuvat major dignitas in ipso institutore: cum B. Aug. tempore hujus Institutionis esset Episcopus Hipponensis, & sic dignior S. Benedicto qui erat simplex Monachus.

178. Supradictis tamen atq; aliis juribus & rationibus

rationibus quæ brevitatis causa consultò ommittuntur adversabantur Auctoritates Doctorum in hoc articulo scribentium, qui & numero & gravitatte communem constituunt opinionem, inter quos etiam consulta extant Collegiorum Patavini, Ferrariensis, & Bononiensis, quorum scribentium ea est sententia ut Monachi Ordinis S. Benedicti Cangregationis Casinensis præcedere debeant Canonicos Reg. Lateran. Ratio eorum potissima videbatur esse quod in institutionibus Regularium non tam ipsa institutio ejusq; prioritas in tempore, quam approbatio Sedis Apostolicæ sit attendenda sine qua nulla nova Regula, nulla nova Religionis erectio fieri debet: stante in id expressa prohibitione Concilii Generalis de qua in cap. fin. de Relig. domib. approbatio etiam Regulæ D. Aug. ac institutionis Canonicorum Reg. nullibi apparere videbatur facta à Sede Apostolica. Contra vero Regula S. Benedicti specialiter & expresse videbatur approbata per B. Gregorium Papam, qui in l. 2. dialog. de Regula S. Benedicti specialem mentionem facit.

Nota. 179. *Hoc tamen fundamentum Cassinens. elidi videbatur propter longævam tolerantiam totius Ecclesiæ ac Sedis Apostolicæ, quæ non tam diu tollerasset hanc B. Aug. Regulam ac institutionem*

nisi

nisi vel expresse approbando, vel illam saltem tacite confirmando. Ad not. per doct. in cap. cum Ecclesia Sutrina, de causa possessionibus & propriet. præterea colligebatur etiam approbatio Regulæ S. Aug. ex tex. in Can. S. Romana 15. dist. ubi Gelasius Papa inter ea quæ narrat recepta fuisse à Rom. Ecclesia enumerat Opuscula B. Aug. inter quæ præcipuum locum videtur tenere sermo de communi vita Clericorum, quæ est Regula ipsius Aug. ex quo videtur saltem generaliter facta à Gelasio illius Regulæ approbatio, atque is Gelasius præcessit per centum annos B. Gregorium, qui dicitur approbator Regulæ Benedicti. Quin etiam in primitiva Ecclesia licitum erat passim cœtus & Congregationes instituere ad honorem Dei & fidei exaltationem. Nec verisimile est B. Augustinum novam illam institutionem fecisse sine interventu eorum quæ ad illius robur & firmitatem necessaria essent. Verum-tamen in hoc jurium & rationum conflictu tutior via visa est, quam Romana Ecclesia, uti Magistra & Mater omnium, nos docuit: quippe ex longissima consuetudine in conspectu tot Rom. Pontificum in Vrbe observata, utraque etiam parte acquiescente, inductum est ut in processionibus aliisque actibus publicis Canonici Reg. dimissa superiori veste lanea ac retenta linea, Cleri- Nota.

cos se esse significantes, præcedant Monachos S. Benedicti Congregationis Cassinensis. Hujus itaq; consuetudinis normam ab Ecclesia Romana observatam nobis amplectendam duximus, quæ in processionibus & similibus actibus attendi debet quoad istos Religiosos, ut tradit expresse Bald. in l. observare §. antequam de off. Proconsul. & legat. quæ consuetudo maxime opportuna visa est, ut huic liti finem imponere, omnesq; eorum Religiosorum contentiones sepire atq; extinguere possit.

180. *Vltimo vero loco propositum fuit per nos dubium an in Concilio generali Abbates Canonicorum Reg. præcedere debeant Abbates Ordinis S. Benedicti atq; in hoc articulo verissima ac juridica visa est resolutio olim facta coram Sanctitate vestra, quod nulla habita ratione Ordinum & Congregationum illi Abbates præferri debeant, qui primo fuerint ad Abbatialem dignitatem promoti: sic enim in Episcopis aliisq; similibus dignitatibus videmus statutum fuisse à jure can. placuit 18. dist. Glos. & Doctores in can. fin. 75. dist. & in cap. Episcopus 17. dist.*

181. *Hæc igitur sunt B.me Pater quæ præcipua ex multis colligenda ac Sanctitati vestræ referenda duximus in præsenti causa præcedentiæ, in qua*

etiam

etiam sentẽtiam ex mandato vestro subscripsimus conformem resolutionibus per nos factis, arbitrantes ita & sanctitatem vestram ex jure & æquo definire posse, salvo semper sapientissimo ac prudentissimo illius judicio cui nos in omnibus subjicimus, finemq; dicendi facientes sanctitatis vestræ pedes humiliter atq; devote deosculamur. &c. Hactenus Relationes Cardinaliũ quibus subnectitur sententia lata à S.mo D. N. Pio IV. in favorem Canonicorum Reg. S. Aug. cum brevi executorio ejusdem quæ ad longum extant apud Adversarium 3. *parte Ecthesi 6. & apud Navarrum tom.* 1. *comment.* 4. *de Regularibus de stabilitate & transitu eorum in cap. statuimus* 19. *q.* 3. *& apud Ascanium Tamburinum sup.* Itemq; apud Pennot. *l.* 2. *cap.* 71. referuntur deniq; in *Bullario inter Constitutiones Pii IV. num.* 95. Unde non est quod Adversarius de iis amplius dubitet, quare & ego decrevi eadem recitare, cum cæteris Diplomatibus huc spectantibus de verbo ad verbum, opportuniori loco hujus Tractatus parte ultimâ, quia hîc quædam circa Relationes Cardinalitias operosius sunt ponderanda.

CAPVT X.

182. ITaque relationes hæ hactenus fideliter, & verbotenus recitatæ docent manifestè, duo in disceptationem venisse: unum an Canonici Reg. Ordinis S. Aug. Congregationis Lateran. præferendi essent, Monachis Ordinis S. Benedicti Congregationis Cassinensis: Alterum an Abbates Lateranenses, Cassinensibus Abbatibus, essent præponendi. Et quantum ad primum resolutum fuisse Lateranenses Cassinensibus omnino esse præponendos, atque ita illos, de his totaliter triumphasse, & non partialiter tantum, ut sibi persuadet, & aliis persuadere conatur Adversarius, loco jam citato. Denique in hàc triumphi causâ, non fuisse ponderatum quod victores, essent Lateranenses vel Cathedrales quondam; hæ siquidem duæ qualitates, quasi ad rem non pertinentes, præteritæ sunt, & neglectæ ab Eminentissimis Cardinalibus Relatoribus, quæ tamen maximè ponderantur ab Adversario; quasi utraq; qualitas causa fuerit victoriæ, cujus tamen nulla harum, nequidem minima pars fuit. Nam earum

rum nulla mentio fit, in motivo juris, in his Relationibus expresso, quarum tamen maxima haberi debuisset; si ut putat Adversarius, Lateranenses ideo prælati sunt Cassinensibus, quia illi Ecclesiæ Lateran. quondam Cathedrales Canonici fuerunt: nam in eo ferè, ubiq; videtur ponere, omnem eorum præeminentiam. Verum apage tale commentum.

183. Equidem in Lateranensibus, ante omnia consideratum fuit, si dictas Relationes recolamus, quod essent Canonici Reg. Ordinis S. Aug. de quibus probatum fuit juridicè, præmisso multorum annorum & laborum exacto scrutinio, quod & *Ordinis sui Canonico-Augustiniani institutione & approbatione priores & antiquiores essent, Monachis Benedictino-Cassinensibus*, qui etiam ex & pro parte suâ omnia jura, auctoritates, & rationes quas sibi favere putabant, per duos suos Advocatos, suprà nominatos, viros doctissimos, fortissimè opposuerant, adhibitis etiam solutionibus, quas sufficere putabant, ad argumenta Lateranensium diluenda, iis ferè similibus quas adhibet Adversarius, argumentis doctissimi viri Andreæ Catulle parte 4. sed frustra.

184. Consideratum deinde fuit quod *Monachi Benedictino-Cassinenses tantum essent Clerici per accidens*: *Lateranenses vero eo quod essent Canonici Regul. S. Aug. consequenter essent Clerici per se*. Quas duas rationes etiam Pius IV. in brevi executorio, tamquam præcipuas maximè & expressè urget, & ponderat.

185. Ad quas respiciens Reverendissimus & Eruditissimus Dominus Gabriël Pennottus, Congregationis Lateranensis Rector Generalis, & Scriptor *l.* 2. *c.* 71. *n.* 3. sic commentatur: *ut ex Relationibus dictorum Cardinalium colligitur totum pondus caussæ ad tria dubia redactum est, videlicet: an nostri Lateranenses essent vere de illis Canonicis à D. Aug. sive à SS. Apostolis institutis; & circa hoc dubium couclusum fuit affirmative 2. an supposito quod Lateranenses essent vere de illis Clericis à S. Aug. & SS. Apostolis institutis deberent præcedere Monachos D. Benedicti, & conclusum fuit affirmative, per jura in ejsdem Relationibus allegata. Et hæc fuerunt duo præcipua fundamenta quibus nixus est Pius IV. in ea sententia pro Canonicis Lateranensibus contra Monachos ferenda, videlicet prioritas institutionis & dignitas Clericalis, quia ipsi Canonici Lateran. sunt Clerici essentialiter,*

aliter, & non ex dispensatione vel privilegio sicut Nota.
Monachi, & quod est tale per essentiam debet præcedere illud quod est tale per accidens & ex dispensatione. Et hinc deducitur omnes Canonicos Reg. qui sunt vere de illis à D. Aug. & SS. Apostolis institutis ratione prioris illius institutionis, & etiam ratione Clericalis dignitatis quæ in illis per essentiam & non ex accidenti inest, omnes Monahos præcedere debere: licet in dicta sententia de solis Lateranensibus mentio habeatur quia à paritate & identitate rationis optime infertur ad paritatem & identitatem juris. Ita ille. qui eodem lib. cap. 53. n. 10. distinguens inter Canonicos Reg. S. Salvatoris seu Scopetinos (quorum originem, institutum, professionem, & habitum, ex veteribus monumentis accuratè inspectis, graphicè describit: juxta quæ intelligendus Rodericus, allegatus ab Adversario part. 3. conclus. 11.) & Canonicos Reg. S. Aug. in Galliis & alibi sic dilucidè pronuntiat; *Nam etsi*, inquiens, *hæc omnia illos* (nempe Salvatorienses quod essent ejusdem Ordinis cum Lateranensibus) *posse verificare quam maxime optaremus, quæ nil nobis obessent, sicut nil obest quod sint in Galliis, Hispaniis, Belgio & Alemania complura Collegia Canonicorum* Nota.
Reg.

Reg. quos censemus, & pro comperto habemus esse de antiquis Canonicis à D. Aug. vel etiam Sanctis Apostolis institutis. &c. Ecce Lateranenses pro comperto habent Canonicos Reg. in Belgio residentes haudubiè Aroasienses, Windesemienses, &c. similes Ordinis S. Aug. esse ejusdem secum Ordinis, quia sciunt eos esse Ordinis Canonico-Augustiniani, cujus sectatores repositi sunt in Ecclesiâ Lateranensi, ab Eugenio IV. eo solo nomine quod Ordinis ejusdem essent cum illis, qui à centum & amplius annis ex eâdem Ecclesiâ exacti fuerant à Bonifacio VIII. pro quâ tunc, sæculari, ad Regularem denuo reducendâ prædictus Eugenius IV. accersivit Canonicos Reg. Ordinis S. Aug. qui tunc passim per Italiam in Monasteriis degebant (sicut modo Aroasienses, windesemienses & alii per Belgium) ut in Cœnobio Lvcensi S. Frigdiani, Papiensi de cælo aureo &c. quos dixit institutos fuisse ab Apostolis, à S. Aug. reformatos, à S. Gregorio poni jussos in Ecclesiis Anglicanis, *unde prodierunt Cono & Hildemarus, qui prima Canonicæ Religionis fundamenta in Aroasiâ jecerunt*, ut ex Bullis Pontificiis & historiis liquet.

186. Hæc inquam universa Lateranenses pro

pro comperto se habere scribunt, & interea Cistercienses nullum non movent lapidem, ut hæc omnia non modo in dubium trahant, sed & hujus materiæ imperitis contrarium persuadeant, dicentes: tantum abesse ut Canonici Reg. Belgæ, cum Lateranensibus Ordine conveniant, ut contra potius tantum ab eis distent, *quantum Franciscani à Benedictinis*, imo propius accedant ad Cistercienses, adeo ut potius dici possint (audi prophanam vocum novitatem) *Canonico-Cistercienses, vel Cistercio-Canonici.* Caram. p. 3. libræ n. 193.

CAPVT XI.

187. QVæ cum ita sint (ut jam recitatæ Relationes manifestant) stare non potest cum his *Ecthesis* 6. quam 3. *part. num.* 161. proposuit Adversarius his verbis: *Si Lateranenses se Cassinensibus seniores adæquatè probassent, debuissent illis tam collegialiter quam personaliter præferri. Si suam antiquitatem Cassinenses adæquatè probassent, præponi omnino debuissent Lateranensibus tam collegialiter quam personaliter. At quia lis centum aut plurium annorum moras traxit, & neutra pars intentum convicit,*

 præce-

præcedentia Apostolica auctoritate divisa partim Cassinensibus partim Lateranensibus adjudicatur &c. Ita ibi. Sanè Lateranenses hoc adæquatè probasse, liquet ex ipsis adductis Relationibus; liquet etiam tum ex sententiâ definitivâ, in quâ hæc verba leguntur: *Causa hujusmodi coram dictis Cardinalibus ad plenum ventilata ac sæpius & sæpius auditis partibus, & dubiis in eis plene discussis & resolutis, ac visis de jure videndis, & demum per dictos Cardinales nobis matura desuper facta relatione* &c. tum demum ex Diplomate Apostolico executorio, ubi hæc: *Qui quidem Cardinales dictis partibus, earumuè Procuratoribus & Advocatis pluries auditis, dubiisq; emergentibus ad plenum discussis & resolutis, comperto satis per eos ex compluribus litteris Apostolicis, diversisq; aliis documentis, rationibus & probationibus, quod ipsi Canonici fuerunt & sunt de illis Clericis à S. Aug. quinimo à Sanctis Apostolis institutis, eosdem Canonicos tam suæ antiquæ institutionis hujusmodi ------ ratione, dictamq; illorum Congregationem Lateranensem præfatos Monachos, & eorum Congregationem Cassinensem præcedere debere censuerunt & concluserunt, suamq; conclusionem hujusmodi ad audientiam nostram juxta ultimi nostri rescripti præfati tenorem*

norem retulerunt. Vnde nos illorum relatione intellectâ, eaq; per nos diligenter examinata, quoniam eam in omnibus suis partibus veritati & juri consonam reperimus, per nostram definitivam sententiam pronuntiavimus, decrevimus & declaravimus Abbates, Prælatos & Canonicos Reg. Congregationis Lateran. Vti Clericos demissa superiore veste, Clericaliq; habitu incedentes (quod etiam in alma Vrbe consuetum fuerat & tunc observabatur) in processionibus, & omnibus aliis actibus publicis & privatis tam in prædicta Vrbe, nostro & aliorum Pontificum conspectu, quam universis & quibuscumq; locis aliis, Civitatibus, terris, Oppidis, & locis Abbates. Prælatos, & Monachos S. Benedicti Congreg. Cassinens. prædictos præcedere debuisse & debere, ac eosdem Abbates, Prælatos, ac Canonicos Reg. dictamq; eorum Congregationem ut præfertur incedentes, dictis Abbatibus, Prælatis, & Monachis S. Benedicti & eorum Congregationi in omnibus & singulis præmissis præferendos anteponendos, & in digniore loco collocandos fore & esse. &c. Ecce plenam & adæquatam probationem, ecce deniq; plenam & adæquatam prælationem factâ comparatione Ordinis cum Ordine, Congregationis cum Congregat. Corporis cum Corpore.

 188. Nam

188. Nam quantum ad alterum, quod in disceptationem venisse supra diximus, estq; tertium, supra à Pennotto notatum, sed non explicatum, quia is de duobus prioribus ibi tantum satagebat, nimirum an Abbates Lateranenses essent præferendi Cassinensibus, prout videbatur; attento Ordine Canonico antiquiore, conclusum fuit, juxta præmissas Relationes, in hoc puncto non habendam fuisse, rationem Ordinis Religiosi, sed Abbatialis dignitatis, quæ in omnibus cujuscumq; sint Ordinis est æqualis, ac in eo standum esse Pontificiæ decisioni alias factæ, ut scilicet in hujusmodi præcedentia attenderetur prior promotio ad eandem Abbatialem dignitatem, si quando contingeret Abbates Lateranenses & Cassinenses singulariter, id est sine corpore, sic vulgo loquimur, simul comparere, prout consuetudinis est, & jura disponunt circa præcedentiã Episcoporum, quemadmodum in sententiâ definitivâ, & brevi Apostolico Pii IV. determinatum reperitur his verbis: *Abbates vero dictarum Congregationum singulariter & de per se absq; eorum Conventibus in Conciliis generalibus, Provincialibus & Synodalibus ac aliis actis publicis & privatis, in quibus Abbates*

Abbates de jure vel consuetudine locum & votum habent, vel pro tempore quomodolibet habebunt inter se juxta singulorum ipsorum Abbatum ibidem intervenientium priorem & antiquiorem promotionem ad Abbatiam, ac eorum promotione dumtaxat, non autem Congregatione & Ordine cujus sint attentis, præcedere & præferri, & in digniori loco collocari debuisse & debere, prout ex tunc prætulimus, anteposuimus & collocavimus, præferriq́ꝫ, anteponi, & collocari madavimus. Hæc Pontifex, quantum ad Abbatum singulariter concurentium, præcedentiam.

189. Ubi clarè videmus, hanc determinationem, fuisse avocatam à fundamentis, prioris decisionis, de præcedentiâ Capitis incedentis simul cum corpore, positis in antiquiore institutione, & Clericali dignitate per se Canonicis Reg. competente, ad considerationem Abbatialis dignitatis, quæ in omni Ordine æqualis supponitur, ac proinde majorem Ordinis antiquitatem, ad præcedentiam juxta decretum, ab eodem Pontifice prius latum, & jam renovatum nil conferre. Quare non bene Adversarius in suâ præfata conclusione 6. asserit *Præcedentiam Apostolica auctoritate divisam quasi ex æquo.* Nam

 mini-

minimum quid solummodò datum fuit Cassinensibus, utputà præcedentià Capitis, in casu singularis concurrentiæ, positâ antiquiore promotione, idq; ob paritatem Abbatialis dignitatis explicatam, non verò ob antiquiorem Ordinis institutionem approbationemq;, in quâ adæquatè Canonici Reg. Monachos S. Benedicti vicerunt. Quibus ritè animadversis facili spongiâ, à quolibet prudente deleri poterunt, pleræq; notæ, quibus tam dictam Pontificiam sententiam, quam breve Apostolicum, Adversarius adspersit, ne dicam, maculavit.

190. Quamobrem nec Doctissimus Navarrus, dicendus est vel pessimus Dialecticus, vel de solis Lateranensibus egisse ut vult Adversarius n. 262. cum Navarrus ut in omni jure Canonico, tum maximè in materia Regulari versatissimus Ordinis sui quem perfectè percallebat, Canonicos Reg. universos in Lateranensibus, de omnibus Monachis Benedictinis in Cassinensibus, triumphum egisse non dubitaret, ut quem totius Controversiæ processus & exitus non latuit. Nam ejus allegationes, typis excussas ipse citat *tom. 1. comment. 4. de Reg. de stabilitate & transitu eorum in cap. Statuimus, 19 q. 3.*

3. quem contra Adversarius legisse non videtur, cui proinde saltem in hâc causâ, quod aliter sensit, quam se res habuit, condono. Neq; enim solus Navarrus, verum etiam Pennottus, qui & ipsemet Lateranensis, sententiam præcedentiæ & Diploma, non ad solos Lateranenses, sed & ad Reliquos Canonicos Reg. Ordinis S. Aug. extendenda probavit, & propugnavit, prout supra vidimus, eo quod causa victoriæ non fuerit in Lateranensibus qua talibus, sed qua Canonicis Reg. S. Aug. ut clarum est ex rationibus in Relationibus & Bullis allegatis, his omnibus communibus. An autem de hisce rationibus quarum quædam à Navarro, nonnullæ vero, ab Andreâ Catullæ repetitæ sunt, per suas responsiones ne dicam cavillationes plenum triumphum egerit Adversarius, & tantâ, quantâ jactat facilitate eas difflaverit, postmodum parumper examinabimus.

191. Nunc vero priusquam dictas Cardinalitias Relationes deseramus, quædam adhuc ex illis, nobis usurpanda sunt, ut fortius Adversario plures Auctores rejectis Navarro & Volaterrano, in adjutorium advocanti, pro suis Cisterciensibus contra Canonicos Reg. S. Aug.

N.

N. 265. & ſequentibus reſiſtamus.

CAPVT XII.

EX Relatione itaq; Eminentiſſimi ac R.mi S. R. E. Cardinalis Joannis Bapt. Cicadæ noto ea ejus verba, quæ habet circa finem. *Vnde* inquit, *non videtur attendenda communis opinio Doctorum eſſe in contrarium cum non ſit fulcita juribus & rationibus ut dicit Aug. in Canone ego ſolus 9. diſt. in cap. 1. de Conſtit. cum ſimilibus.* Ita ibi. Quæ uberius tractantur in alterâ reliquorum duorum Cardinalium Relatione, in qua ſic legitur: *ſupradictis tamen atq; aliis juribus ac rationibus, quæ brevitatis cauſa omittuntur adverſabantur auctoritates DD. in hoc Articulo ſcribentium, qui & numero & gravitate communem conſtituunt opinionem, inter quos etiam conſulta extant Collegiorum Patavini, Ferrarienſis & Bononienſis, quorum ſcribentium ea eſt ſententia ut Monachi S. Benedicti Congregationis Caſſinenſis præcedere debeant Canonicos Lateranenſes. Ratio eorum potiſſima videbatur eſſe quod in inſtitutionibus Regularium non tam ipſa inſtitutio ejuſq; prioritas in tempore, quam Approbatio Sedis Apoſtolicæ*

Apostolicæ sit attendenda, sine qua nulla nova Regula nulla nova Religionis erectio fieri debet, stante in id expressa prohibitione Concilii generalis, de qua in cap. fin. de Relig. dom. Approbatio etiam Regulæ D. Aug. ac institutionis Canonicorum Reg. nullibi apparere videbatur facta à Sede Apostolica. contra vero Regula S. Benedicti specialiter & expresse videbatur approbata per B. Gregorium, qui l. 2. Dialog. de Regula S. Benedicti specialem mentionem facit. Hoc tamen fundamentum Cassinensium elidi videbatur propter longævam Tolerantiam totius Ecclesiæ ac Sedis Apostolicæ, quæ non tam diu tolerasset hanc B. Aug. Regulam ac institutionem nisi vel expresse approbando, vel illam saltem tacite confirmando. Ad not. per cap. cum Ecclesia Sutrina de causa possesshionis & propriet. præterea colligebatur etiam approbatio Regulæ S. Aug. ex textu in Can. S. Romana 15. dist. ubi Gelasius Papa inter ea quæ narrat recepta fuisse à Romana Ecclesia, enumerat Opuscula B. Aug. inter quæ præcipuum locum videtur tenere Sermo de communi vita Clericorum, quæ est Regula ipsius Augustini. Ex quo videtur saltem generaliter facta à Gelasio illius Regulæ approbatio. Atque is Gelasius præcessit per centum Annos B. Gregorium qui dicitur Ap-

probator Regulæ Benedicti. Quin etiam in primitiva Ecclesia licitum erat passim cætus & Congregationes instituere in honorem Dei & fidei exaltationem. Nec verisimile est Beatum Aug. novam illam institutionem fecisse sine interventu eorum, quæ ad ejus robur ac firmitatem necessaria essent. Hactenus Cardinales.

192. Quare ex his respondemus: Auctores contra Canonicos Reg. S. Aug. militantes, ab Adversario in suæ causæ auxilium accitos, in fine partis 3. n. 262. & sequen. putasse eos institutione & approbatione Cisterciensibus fuisse posteriores, quâ in re multi multum hallucinati sunt, licet alias non ineruditi. Non enim omnes qui docti, in omnibus materiis æquè docti. Quibus judicio Cardinalium Arbitrorum prævaluit sententia eorum Auctorum, qui contrarium de priore approbatione pro Canonicis Reg. S. Aug. & probabant & tenebant.

193. Similiter quæ adducuntur ab Adversario, de consuetudine favente suis Cisterciensibus *N.* 247. 3. *partis*, quæ tamen si alibi sit, universalis non est, eâdem operâ ex iisdem Relationibus diluuntur. Siquidem Cassinenses, ut patet ex eorum allegationibus per Antonium

Massam

Maſſam Galleſium, & Marcum Antonium Burgeſium productis, typis excuſis, olim adferebant conſuetudinem variorum locorum in quibus Monachi S. Benedicti Canonicos Reg. præcedebant. Sed quid ad hæc Cardinales pro Canonicis? Cardinalis Cicada retulit, *in iſtis præcedentiis non eſſe attendendas conſuetudines particularium locorum, ſed conſuetudinem Vrbis.* Verba ejus ſunt: *Quinto principaliter pro Canonicis facit conſuetudo Vrbis, in qua Canonici præcedunt, & quæ conſuetudo potiſſimum debet attendi in iſtis præcedentiis ut dicit Baldus in cap. cum olim in principio de conſuetudine. Præpoſitus in Can. Epiſcopus 17. diſt. Decan. in cap. Clericis de judiciis* &c. Hæc Cardinalis Cicada, quæ alii duo copioſius explicant hiſce verbis: *Veruntamen in hoc jurium & rationum conflictu, tutior via viſa eſt, quam Romana Eccleſia, uti Magiſtra & Mater omnium nos docuit. Quippe ex longiſſima conſuetudine in conſpectu tot Romanorum Pontificum in Vrbe obſervata, utraq; etiam parte acquieſcente inductum eſt, ut in proceſſionibus aliiſq; actibus publicis Canonici Reg. demiſſa ſuperiore veſte lanea, ac retenta linea (Clericos ſe eſſe ſignificantes) præcedant Monachos S. Benedicti Congregationis Caſ-*

ſinenſis. Hujus itaq; conſuetudinis normam ab Eccleſia Romana obſervatam, nobis amplectendam duximus, quæ in proceſſionibus & ſimilibus actibus attendi debet quoad iſtos Religioſos, ut tradit expreſſe Baldus in l. obſervare §. antequam de off. Proconſ. quæ conſuetudo maxime opportuna viſa eſt, ut huic liti finem imponere, omneſq; eorum Religioſorum contentiones ſopire atq; extinguere poſſit. Hactenus Relationes Cardinalitiæ, quas ſecutus Pontifex Pius IV. ſententiam tulit, & brevi Apoſtolico explicavit, & executioni mandari curavit, quam Pius V. poſtmodum corroboravit, quorum Diplomatum tenorem ad longum circa calcem hujus noſtri Tractatus Apologetici, favente numine ſumus aſſignaturi.

194. In his itaq; controverſiis, quid conſuetudo particularium locorum valeat, in quâ tantopere confidit & poſſeſſionem ſuos habere credit Adverſarius, oſtendit conſuetudo Urbis id eſt S. Rom. Eccleſiæ, cui par eſt ut reliquæ omnes conformentur, ut Filiæ & Diſcipulæ Matri & Magiſtræ. Subſcribente etiam Adverſario apud quem 1. *parte libræ protheoremate* 11. *n.* 114. Sic lego: *Si objicias multa in Pontificio ſacello obſervari, quæ in aliis locis non obtinent ---- Reſpondeo*

deo. 2. Congregationem Eminentissimorum Cardinalium Negotiis Episcoporum & Regularium praefectam ad tollendas omnes lites Anno 1593. approbante Pontifice Summo statuisse, ut in posterum in processionibus caeterisq; actibus illud servetur inter Regulares, quod in Vrbe Rom. observatur, non obstante Bulla Gregorii XIII. constat ex declaratione quam refert Stephanus Quaranta in summa Bullarii. V. praecedentia. Quae est etiam impressa in privilegiis Ordinum Camaldulensium f. 218. & in collectione privilegiorum facta per Ioannem Baptistam Confertium fol. 188. Impress. Florentiae, & meminit etiam Io. Aloisius Rivius decis. 131. in fin. part. 1. & sequitur Rot. in Salernitana praecedent. 14. Martii 1622. Ita Adversarius.

195. Concludo itaq; etiam Inimico nostro judice, Canonicos Reg. S. Aug. debere extra urbem Cistercienses Ordinis S. Bened. in processionibus & similibus actibus praecedere, quia in Urbe praecedunt Benedictino-Cassinenses. Et simul etiam secundam hanc partem claudam, ubi coronidis loco opposuero insignem hâc de re Matthaei Bossi Canonici Reg. Lateran. epistolam n. 107. scriptam ante annum 1493. ex quâ constare poterit, quam modestè & pacificè

 Canonici

Canonici Reg. in hoc litigioſo negotio proceſſerint, ſic habet, ad Celſum Patrem Concanonicum venerandum de concordiâ habendâ cum Monachis:

Quoquo modo jam itura poſt tantos conflictus res ſit: te ſemper hortabor, & quidem magnopere Venerande & ſapientiſſime Celſe, ab injuriâ Monachorum, te quantum quidem potes ſemper abſtineas; etiamſi qui eorum intemperantius te ſanè læſerint. Præſtat enim flagitium ferre, quam inferre, ut in Comœdiis legiſti puer. Meum Conſilium ſemper pacis fuit, ac Fraternæ in Domino Charitatis, eritque dum vivam. Deniq; quid eſt illud, de quo contenditur lana Gallica, fumus & aura? Mira & inſcrutabilis res. Monaſtici Patres, noſtri etiam neq; pauci, neq; non præſtantiſſimi, modeſtiſſimiq; Canonici communem iſtam deteſtantur inſaniam, & ecce tibi, neſcio quâ freti turpi temeritate atq; jactantiâ utriq; in commune dedecus, & multorum ſcandalum, facti pueri, anhelamus. Sed rerum Ordo ſic poſcit, qui pulcherrimus & Angelos in Cœlo diſtinguit, & quæ deorſum militat Eccleſiam Sanctam exornat. Non abnuere aut negare id quidem poſſum, quin conſtent omnia Ordine ſintq; inordinata, indecora, atq; turpiſſima: modò hâc in parte non gravius detrimentum,

trimentum, res profectò Religiosa subeat. Minus sæpe malum, ut Aristoteles putat, in rationem boni concedit. Lites quoq; & Sapientes gerunt, & sine injuriâ res quæritur inter amicos. Hoc ego velim, hoc ego precor, hoc & utinam Deus inter nos faxit, ut nullum Charitatis dispendium, nullum honestatis honorisq; periculum faciamus sed amice paceq; incolumi de præcedentiâ horum duorum Ordinum decernatur, & isto te loco nil mi Celse deterreo, quin tuam exeres manum strenuè, atq; fortissimè, & quæ acutè, & copiose in causâ scripsisti, jura firmissima, medio proferas campo, & illorum contra defensiones præsidiaq; consideres sine felle vel bili quem neq; aliter puto esse facturum, quippe qui benignus natus es, & per omnem semper ætatem vixisti. Cum protectore Servatoreq; Reverendissimo nostro hâc in re commentatus sum multa, per quæ Ordo iste & æquitas erit cum pace quærenda: & tandem visum est utriq; „Si de nobis, qui primi in Vrbibus Mo„nasteria habuerint, primis etiam honoribus „habeantur, *rei satis fore consultum, in quo laborabit egregiè Dignatio sacratissima sua, & tu Celse ut huic opinioni adhæreas, equidem probo, quâ ad pacem atq; Ordinem simul, qui tenendus est inter nos, nil planè aptius atq; facilius video. Quod si hunc*

in-

in portum navis iſta induci non poterit, verebor dum altum tenet, & inter hos æſtus enavigat, impacta ſcopulis naufraget tandem. Quod postremum malum nulla aut amplius ratio, aut Conſilium, ſed ſine remedio pœnitentia vindicabit. Quare per virtutem & ſapientiam tuam, per Religionis Charitatem, te mi Celſe oro & obſecro, tuam omnem cogitationem & operam conferas ad communem honorem & pacem. Illud pugna, illud contende, illud enitere, ut per Deum Salvatorem pax inter nos ſit. Vale, Florentiæ nonis Novembribus.

Ejuſdem negotii mentio Epiſtolâ 180. & 113. & 119. & 127.

PARS

PARS TERTIA.

In quâ trutinantur quædam Ectheses, tertiæ partis Libræ, & deprehenduntur minus habere.

196. PRæcipua Caramueliæ Libræ momenta, ad sacrosancta Pontificum Diplomata tanquam ad PONDUS SANCTVARII, jam magnâ ex parte examinavimus, & inventa sunt, minus habere gravitatis veridicæ; reliquum est, ut quales quantæq; sint ejusdem Ectheses seu conclusiones, maximè illæ quas tertiâ parte appensas videmus; simili trutinâ hâc parte exploremus & quam leves sint, digito monstremus.

CAPVT I.

197. ECthesis seu conclusio prima. *Ordo Benedictinus institutus ante annum DL. adprobatur Anno DXCVI.* hanc statuit Adversarius 3. parte n.141. habetq; ea partes duas,

priorem de institutione Ordinis Benedictini, posteriorem de ejusdem approbatione, priorem probat, ex variis Auctoribus qui testantur illum Ordinem, institutum à Sancto Benedicto, aliqui circa annum 520. quidam circa 530. quodsi verum est, sequitur eum multo juniorẽ esse Ordine Canonico-Augustiniano, quem Pontifices asseverant, institutum esse ab Apostolis, & à Sancto Aug. restitutum, qui circiter centum annis Sanctum Benedictum præcessit; quod Confirmat. S. Antoninus *Hist. suæ 3. tit. 42. c. 14. apud Navarrum 1. tom. comment. 4. de Reg. de stabil. & transi. eorum.* Ubi sic Antoninus: *quod autem S. Benedictus & ejus Religio secundum Regulam ejus fuerit post Augustinum certum est: unde & Canonici Regulares* [adverte diligenter] *qui profitentur Regulam S. Aug. utiq; fuerunt ante Monachos Benedictinos.* Posterior pars Ectheseos, quæ maximè probanda erat, cum sit de Ordinis approbatione, à quâ tanquam cardine, omnis præcedentiæ Ordo, juxta Adversarium dependet, ab eo sine probatione præteritur; atq; ita quod in nostris culpat, nimirum quod maximè demonstrandûm erat, eos supponere, ipsemet committit; & ut verum sit, quod scribit nostræ non

nocet

nocet causæ: nam Ordinis & Regulæ Canonico-Augustinianæ, approbationem multo antiquiorem esse, ex Cardinalium Relationibus adductis, quas in suis sententiis & Diplomatibus secuti sunt Pontifices, manifestum est, ut etiam notat Julius Nigronus comment. in Reg. & constit. Societatis.

198. Secunda Ecthesis Adversarii. *Ordo Cisterciensis non distinguitur à Benedictino.* Concedo, sed hàc lege, ut sicut Cisterciensem asserit, solummodo Congregationem esse Ordinis Benedictini, non distinctam Religionem quamvis passim Ordo Cisterciensis audiat; ita etiam nobis concedat, Aroasiensem Ordinem non esse distinctum, à Canonico-Augustiniano; sed ejus tantum Congregationem esse, non obstante, quod subinde Ordo Aroasiensis legatur. Quâ de re affatim actum supra est ex professo.

CAPUT II.

199. TErtia. *Sicut Monachorum, ita etiam Canonicorum varia sunt genera.* Hæc non displicet, quamquam multa, quæ huic subnectuntur, placere non possint; idque

idq; præcipuè, quod tantâ certitudine asseri videtur, omnes Canonicos Regulares aliis Canonicis esse juniores, quod equidem stare non potest cum hactenus in superioribus partibus, hujus nostri tractatus probatis; nam aliud sentire videntur Pontifices, & inter eos clarius Pius Quintus in Bullâ quæ incipit:

Cum ex Ordinum diversitate. &c. Ubi inserta comperiuntur hæc verba: *Cum itaq; sicut accepimus dilecti Filii Canonici Regulares Ordinis S. Aug. Congregationis Lateranen. qui ab Apostolis originem traxerunt, quiq; ab eodem S. Aug. eorum Reformatore iterum per reformationis viam mundo geniti, merito prætendere possent se omnes alias personas Ecclesiasticas tam Sæculares, quam Regulares in processionibus & aliis actibus publicis præcedere debere. Cum tamen non liceat membra à capite separare* &c. Hic Pontifex asserit, Canonicos Regulares Ordinis S. Aug. meritò prætendere posse, præcedere quosuis, etiam sæculares Canonicos, si liceret hos separare ab eorum capite scilicet Episcopo, & causam præmittit ejus rei, antiquiorem nimirum institutionem, quod, inquam, traxerint originem Canonici Regulares, ab Apostolis, & reformati sint à S. Aug. ergo

ergo ſupponit Pontifex, quod primi Clerici ab Apoſtolis inſtituti erant tales, quales ſunt Canonici Regulares, per quos, Clerici per relaxationem ſeculariſantes, agente S. Aug. fuerunt reformati. Nam circa reformationem hæc notare poſſumus & debemus. Primò bonam rectamque formationem, quæ conſiſtit in bene ordinatâ inſtitutione. Secundò, deformationem, id eſt, relaxationem, ab illâ primævâ bonâ formatione. Tertiò reformationem ipſam, quæ nil eſt aliud, quã reductio ad primitivam formam. Quartò, Conformationem quæ ſequitur ipſam reformationem, quâque formaliter tales ſunt jam reformati, quales fuerunt prius benè formati, & contra, tales prius formati, quales jam reformati. Neque hîc committitur circulus, nec à Catullo commiſſus eſt, quamvis id illi objiciatur: quia ſimilia ſunt correllativa, hæc autem ſicut ſe mutuo ponunt & tollunt; ita etiam ſe viciſſim inferunt. Ex quo ſequitur primitivos illos Apoſtolicos Clericos, in communi viventes, poſtea Canonicos dictos, fuiſſe Religioſos quos poſtea Regulares Concilia œcumenica & Pontifices vocarunt *in Cap. nullus & in cap. mandamus 19. q. 3. & in rubricâ de ſtatu Monach.*

 & Ca-

& Canonicorum Reg. & in cap. *quod Dei timorem* & in cap. *singulis*, *verf. hoc ipsum. Eodem tit. & in cap. sanè, ut habet Augustinus Barbosa lib. de Canonicis & dignitatibus cap.* 1. *n.* 5. Deinde, hos fuisse per relaxationem, aliquo modo, seculares factos, quales etiam modò permissione Ecclesiæ, plurimos passim videmus, denique fuisse à S. Aug. reductos, ad primævum illum religiosum statum, primitivorum Apostolicorum Clericorum, qui erat ante relaxationem; ac tandem hos Canonicos Religiosos aliàs Regulares, à S. Augustino reformatos, primitivis illis esse similes, & consequenter Canonicos Regulares S. Aug. sæcularibus antiquiores. Nec dissentit Albertus Crantzius, quem à suâ parte stare arbitratur alibi Adversarius, nam in Metropoli lib. 4. cap. 37. sic habet Crantzius: *Hujus autem Hugelberti Mindensis Episcopi temporibus, Ordo S. Augustini qui & Canonicorum Regularium, primo ab Apostolis, deinde à memorato Doctore Augustino institutus, tum sub magistro Ivone Episcopo Carnotensi cœpit reflorere.* Qui & supra lib. 3. c. 15. in Hildebodo nono Monasteriensi Episcopo sic notaverat. *Excepit illum ordine* 9. *in ea Ecclesia Hildebodus, cujus memorabile nomen inde est,*

quod

quod fratribus suis multa providens benefecit, admoneor hoc nomine, quod in annalibus ubique lego, per Ecclesias, vixisse fratres, ordine utique Canonico sub Regula divi Augustini, sed ubi abjectum est hoc nomen, ut erubescant deinde dici fratres, hoc retinentes ut Canonici sine Regula, cum canon sonet regulam, & Domini dici ament: fugit cum nomine fratris charitas, illi nomini cognata: & succedit amor propriæ excellentiæ & contentio sine fine.

Cui etiam subscribit Lantmeter, lib. 1. de vetere Cleric. & mon. habitu p. 3. cap. 4. ut supra opportuno loco notasse me memini, quem tamen etiam pro se citat Adversarius; sed hos duos inspexi & contra illum pro nobis stare deprehendi, prout Bellarminum, ut non sit quod multum timeamus, multitudinem Auctorum contra nos advocatorum; fortè enim benè excussi, qui in specie contra nos stare putantur, in veritate à nobis stare deprehendentur. Præcedentibus etiam consentit novissimè jam citatus Augustinus Barbosa, qui recenter ex professo scripsit de Canonicis, quique capite 1. originem omnium Canonicorum tam Regularium, quam sæcularium, ipse Canonicus sæcularis Ecclesiæ Vimaranensis tradit, & numero

mero 46. sæculares Regularibus posteriores esse docet, & de Canonicis ante sæcularisationem loquens numero 3. hæc benè ponderanda præmisit. *Quam* inquit *beati tunc temporis Canonici, quam fœlices Clerici intra Ecclesiæ septa habitantes, nec ullam periculosarum discussationum, mundanarum occupationum, celebrandarum compotationum, agitandarum commessationum, conveniendarum muliercularum, exercendarum crassationum, libidinum, turpitudinum occasionem habentes, sed divinis tantum contemplationibus, Laudibus, Precibus, concionibus, officiis, cantibus, sacrificiis vacantes, & tanquam Angeli quidam terrestres, in paupertate, castitate & obedientia degentes, & solum Dei Gloriam & suam aliorumq; salutem procurantes.* Idem etiam tenet Carolus à Mansvelt item & ipse Canonicus sæcularis, sicut & eruditus D. Catulle etiam Canonicus sæcularis idem tenet; ex quo fit errori esse obnoxios omnes illos Auctores, qui hoc radio destituti, obscuras antiquitatis Historias audent examinare, sed non ad PONDUS SANCTVARII; sic enim possumus hoc ultimum telum ab Adversario hîc ingestum, in illum regerere. Repete quæ supra notavimus circa diversos status Ordinis Canonici n. 89.

CAPVT

CAPUT III.

200. QVarta. *Canonici ſæculares Collegialiter Congregati, quemcumq; Abbatem debent præcedere.* Hanc admitto maximè ſi intelligatur de Cathedralibus, quos non licet, utpote membra à capite ideſt Epiſcopo ſeparare, ut jam Pontificem intonantem audivimus. Unde etiam Canonici Regulares olim in Cathedralibus reſidentes Collegialiter Congregati, etiam Prælatos Epiſcopo inferiores in praxi præcedebant. Hanc eandem Concluſionem docet Barboſa lib. de Can. & dig. cap. 18. num. 56. quo capite egregiè & in particulari reſoluit qualiter Canonici in Cathedrali & Collegiatá inter ſe, & quoad alios intra & extra propriam Eccleſiam exiſtentes, quoad præcedentiam ſe debeant habere.

Eandem tenet Diſcipulus ejus, Aſcanius Tumberinus *de jure Abbatum tomo* 1. *diſp.* 25. *quæſt.* 2. *num.* 13. qui & copioſè diſputat, ſolidèq; reſoluit, de præcedentiis Abbatum, reſpectu Canonicorum Cathedralis & Collegiatæ Eccleſiæ. Item reſpectu Vicarii Epiſcopi, & alio-

rum Prælatorum Episcopo inferiorum, cæterorumq; in dignitate constitutorum, tam in Cathedrali Ecclesiâ, quam in aliis inferioribus. Deniq; respectu aliarum sæcularium & laicarum dignitatum. Ac tandem de præcedentiis Abbatum inter se, per aliquot quæstiones sequentes, tam enucleatè & fusè, ut supervacaneum fuerit, de hujusmodi materiâ denuò scribere, cum hoc nil aliud fuerit quam actum agere. Notandum tamen, Brugis morem esse ut Abbates in Pontificalibus incedentes, in processione sanctissimi ac pretiosissimi Cruoris Dominici 3. Maii; præcedant omnes Canonicos, tam Cathedrales quàm Collegiales, Collegialiter Congregatos, ut notum est.

201. *Quinta. Stando rei naturæ & juri communi Regulari, an Aroasienses (si & ipsi ad Lateranensium Cathedralium aut Collegialium ordinem pertinerent) deberent Cisterciensibus præponi an postponi dubium esset.* Hæc ideo asserta videtur, quod ejus Auctor, videatur non legisse vel dissimulasse processum inter Lateranenses, & Cassinenses typis excusum, & in lucem editum, etiam à Navarro citatum sup. in quo omnia probè fuerunt examinata, & promota, per multos annos,

annos, apud doctissimos Jurisconsultos, ab utrâq; parte; & contra Lateranenses eadem vel similia, imo his, vi videbantur, prægnantiora objecta fuerunt, quæ hîc movet Ecthesios hujus Auctor. Citatum fuit etiam hoc idem S. Bernardi testimonium, quod objicit hoc loco Adversarius, ut videre est in allegationibus Scipionis Lancellotti, supra suo loco Citatis, quibus tamen omnibus, ad plenum solutis, reliquisq; omnibus exactè ponderatis, sententia data est in favorem Canonicorum Regularium S. Augustini, a Pontifice Maximo Pio quarto: Confirmata à Pio quinto, qui etiam cum aliis pronuntiat, eos originem ducere ab Apostolis, quod jam amplius non debet esse dubium, sed plusquam moralem habere Certitudinem. Addo etiam Auctorem hunc videri non satis exactè novisse quinam aut quales Lateranenses, ut verisimile fit ex iis quæ tradit hic num. 159. dixi Pontifices Maximos Pium IV. & V. pronuntiasse, Canonicos Regulares Sancti Augustini originem ducere ab Apostolis, & ne Adversarius statim replicet, hoc eos tantum intelligere de Lateranensibus, rememorandum est hoc ipsum dixisse Martinum V. de Windesemensibus.

 Benedi-

Benedictum XII. vero de omnibus omnino Canonicis Regularibus S. Aug. per totum orbem diffusis.

202. Ad Sextam supra respondimus; sed hîc paucula addenda, non rectè in eà *dici, neutram partem intentum convicisse.* Equidem Lateranenses intentum convicerunt, & ideo totum intentum vicerunt: habitâ comparatione Ordinis cum Ordine, nimirum omnimodam præcedentiam. Nam totum Collegium Lateranense, præcedere debere, judicatum est, totum Collegium Cassinense; quo casu etiam Abbas Lateranensis promotione junior, præcedit seniorem Cassinensem; junior vero Cassinensis, nunquam præcedere potest seniorem Lateranensem, & tantum in uno casu, quando scilicet singulariter comparet Cassinensis, & est promotione senior, præcedere potest, idq; ex eo capite, quod in Abbatibus non sit habenda ratio Ordinis Religiosi; sed dignitatis, in quâ omnes sunt æquales, interim quando Canonicus solus cum Monacho solo concurrit, hic illi semper debet cedere, quomodo ergo hîc dicitur, *quod præcedentia Auctoritate Apostolicâ divisa, partim Cassinensibus partim Lateranensibus sit adjudicata?* quo exactè

actè obſervato, multa ſubitò evaneſcunt; quæ huic Ecthesi ſubtexuntur, ad extenuandam ſententiam penitus in favorem Lateranansium, & in ipsis omnium Canonicorum Regularium Sancti Auguſtini ob eandem rationis paritatem, à Pontifice pronuntiatam. Pro majori explicatione

Notandum circa ſententiam Pii IV. de præcedentiâ Canonicorum Reg. S. Aug. reſpectu Benedictinorum: I. totam Congregationem Lateranenſem, præcedere debere totam Congregationem Caſſinenſem. II. particularem Communitatem Lateranenſem, præcedere particularem Caſſinenſem. III. ſingularem Canonicum Lateranenſem præcedere ſingularem Monachum Caſſinenſem juxta interpretationem à Clemente VIII. factam ac proindè dato quod Abbas Lateranenſis & Abbas Caſſinenſis eodem momento fuiſſent ad Abbatialem dignitatem promoti, utiq; præferendus eſſet Lateranenſis Caſſinenſi; cum Abbas non debeat eſſe pejoris conditionis, quam ſimplex Canonicus. IV. Abbas Lateranenſis promotione junior cum communitate congrediens, præcedere habet Abbatem Caſſinenſenſem promotione ſeniorem. V. Abbati Caſſinenſi promotione ſeniori tantummodo

 conce-

conceditur præcedentia respectu Abbatis Lateranensis in singulari congressu. Cæterum Abbati Cassinensi juniori nulla debetur præcedentia, ex ut hujus decreti. Ex his quinq; præferentiis quatuor pertinent ad Lateranenses, & una solummodo ad Cassinenses & quidem non ratione Ordinis, sed prioris ad Abbatialem dignitatem promotionis. Estne hoc præcedentiam *Auctoritate Apostolica esse divisam, & partim Cassinensibus, partim Lateranensibus esse adjudicatam?* Profecto D. libripendem majorem Mathematicum existimabam: & eum qui ex quinq; partibus, quatuor habet, plures partes habere, quam illum qui vix habet unam; quidni igitur hoc loco illi regeram, quod ille in librâ. n. 281. irrationabiliter ingessit Domino Catulle solidè suum fundanti discursum num. 21. sui motivi in Gratiano C. quando distin. 86. & Pio IV. in Bullà sæpe citatâ. Navarro comment. 4. de Regular. C. 1. Imo Divo Thoma 2. 2. quæst. 189. art. 8. quidni, inquam, hoc regeram: *Cæcus es si inter decadem & myriadem non reperias impræsentiarum inæqualitatem, qui reperire magnam inter simplices unitates putabas.* Ita libripens loco prænotato, qui alias æstimari vult non solum in Arithmeticâ

sed

ſed & in Staticâ apprimè verſatus.

CAPVT IV.

203. SEptima. *Lateranenſes Canonici qui à Divo Aug. dicuntur inſtituti, fuerunt Cathedrales aut ſi malueris Collegiales.* Jam ſæpius à Pontificibus audivimus: Canonicos Regulares de quibus hîc potiſſimum agitur, nõ tam à S. Aug. inſtitutos fuiſſe, quam reſtitutos: inſtitutos verò ab Apoſtolis, quod aliqui Pontifices dixerunt in cauſâ Lateranenſium, Martinus V. autem, ut ſuprà vidimus, in cauſâ Windeſemienſium; porro Benedictus XII. in conſtitutionibus, latis pro generali reformatione omnium Canonicorum Regularium S. Aug. per univerſam Eccleſiam, tunc diffuſorum, ſtatuta & privilegia edidit pro omnibus hujuſmodi Canonicis Reg. tam Cathedralibus, quam Conventualibus: ſupponens & oſtendens, eos omnes eſſe ejuſdem Ordinis *à glorioſis Chriſti diſcipulis in primitivâ Eccleſiâ ſacris inſtitutionibus ſtabiliti.* Ut expreſſa habent ejus verba in dictarum Conſtitutionum Prologo.

204. Cæterùm Canonici Lateranenſes à

tempore

tempore S. Gelaſii Papæ primi, quondam S. Auguſtini Diſcipuli, uſq; ad Bonifacium VIII. in Lateranenſi Eccleſiâ Cânonicum Ordinem ad præſcriptum Regulæ Auguſtinianæ obſervantes, reſederunt, per octingentos circiter annos. Sic enim legitur in ejus feſto die 20. Novembris in officio proprio à Pio V. approbato, lectione 4. à Lateranenſibus. *Gelaſius Valerii Filius natione Afer, B. Aug. Hipponenſis Epiſcopi Diſcipulus & Clericus illius Regulam profeſſus, doctrina ſanctitateq; conſpicuus ingruente per Africam perſecutione Wandalorum contra Catholicos ſub Geiſerico Rege in exilium cum multis Epiſcopis & Clericis ejectus, ſub Leone I. Romano Pontifice Romam venit, ab eodem benigne exceptus, & in Eccleſia Lateranenſi Collocatus. In qua Canonicum Ordinem ad præſcriptum ejuſdem Regulæ Sancti Auguſtini reformavit, qui Ordo in eâdem Eccleſiâ per annos octingentos uſq; ad Bonifacium VIII. perſeveravit*, & ſic per tot ſecula, fuerunt Canonici Reg. S. Aug. in Urbe, & quidem in principali Eccleſiâ totius orbis Chriſtiani; falluntur ergo plurimum, qui ſibi malè perſuaſi etiam aliis perſuadere conantur Canonicos Reg. S. Aug. ſolummodo ortos fuiſſe poſt tempora Concilii Aquiſgranenſis

nensis & Moguntiaci, quando edita fuit sub Ludovico Pio forma institutionis Canonicorum, quam superioribus annis Aubertus Miræus, in Codice Regularum & constitutionum Clericalium, publicavit. Fuerunt ergo & ante tempora, & post tempora, & tempore Caroli Magni & Lodovici Pii ejus Filii, Canonici Regulares S. Aug. in Italiâ quamvis negandum non sit, circa tempora dictorum Imperatorum Canonicos, ab institutione quidem primævâ Regulares, plurimum fuisse relaxatos, ad sæcularitatem, præsertim in Galliâ & Germaniâ, pro quibus necesse fuit, concipere, & edere dictam institutionis formam, quæ postea vocata fuit vulgò Regula Canonicorum, nihilominus antiquis temporibus, etiam in Cathedralibus Ecclesiis, observatam fuisse Regulam S. Aug. quæ per Antonomasiam CANONICA vocatur; testantur Auctores veteres & graves, Jacobus de Vitriaco, & Albertus Crantzius ut non semel diximus, quos sequuntur recentiores Pennottus, Langhecrucius, Carolus à Mansvelt & Augustinus Barbosa. Deniq; non in solâ Italiâ sed & alibi, & signanter in Angliâ, saltem à tempore Gregorii Magni, etiam eo tempore,

quo propter relaxatos Canonicos, edita est illa institutionis Canonicæ forma Anno 816. floruit Ordo Canonicorum Reg. S. Aug. usq; ad tempora Heldemari & Cononis & ultra, *qui in Angliâ* (in quâ jussu præfati Gregorii Magni Canonici Regulares positi sunt teste Eugenio IV. in Bullâ sæpe allegatâ) *Canonicæ professionis habitum susceperunt, & sanctitate præditi, officio Presbyteri, & professione Canonici, primi Religionis Canonicæ fundamenta*, non per modum novæ institutionis, sed propagationis sui Ordinis *in Aroasia jecerunt*, pro cujus in viridi observantiâ conservatione; postea Gervasius Abbas Aroasiensis constitutiones suas Regulæ Augustinianæ superaddidit; ut colligitur, ex scripto originis fundationis Aroasiensis, à Domino Adversario fideliter, ut putamus, exhibito & publicato. Ex quo etiam habemus agente Sancto Malachiâ Archiepiscopo, passim per totam Hiberniam, positos fuisse, in Ecclesiis Cathedralibus, Canonicos Regulares, & quidem sub habitu, cum statutis & ritibus cantibusq; Ecclesiasticis Congregationis Aroasiensis, ut suprà suo loco dictum, adducto etiam exemplo S. Laurentii Archiepiscopi Dublinensis, qui idem etiam in suâ

Codex orig. Aroasianæ.

suâ Metropolitanâ Ecclesiâ, & alibi practicavit: quare sicut Lateranenses aliquando & alibi Cathedrales vel Collegiales fuerunt, ita & Aroasienses aliquando & alibi tales fuerunt, utriq; ab Apostolis instituti, ab Augustino verò restituti.

205. Ad distinctionem autem quod attinet inter Clericos communis vitæ, qui primo in Alnensi Abbatiâ à S. Landelino fuerunt constituti, & Canonicos Reg. S. Aug. qui ibidem illorum loco ab Alberone II. Episcopo Leodiensi substituti sunt, alibi ni fallor, aliquid diximus, verisimile est Clericos illos, à primævo statu Ordinis Canonici, cujus tamen vestigium aliquod, nempe communem vitam, retinuerant relaxatos, eosq; postliminiò ab Alberone, procurante Radulpho eorum, ut videtur, Abbate, ad pristinum Canonicæ vitæ perfectum statum, reddito eis habitu Canonicorum Ordinis S. Aug. fuisse reformatos. Vide quæ supra diximus de variis statibus Ordinis Canonici n. 89.

206. Nec sequitur; Clerici communis vitæ, in Alnensi Cœnobio, aliquo tempore, fuerunt priores Canonicis Reg. S. Aug., ergo ubiq; & semper, his illi priores fuerunt; tum

quia Adverſarius cum ſit magnus Dialecticus, probè novit à parte in loco, & tempore, ad totum, non validè argumentari, niſi additâ negatione impediente diſtributionem, tum etiam cõtra ſe, admittere, deberet hanc conſequentiam, in Alnenſi Abbatiâ Priores fuerunt Canonici Reg. Ordinis S. Aug. Ciſtercienſibus, qui illis ibidem ſucceſſerunt, ergo illi his, ubique & ſemper, Priores fuerunt. Quod reliquum eſt ex Canone 21. Concilii Moguntiaci, ab Aduerſario nobis objecto, tantum ſequitur, non omnes Canonicos illius temporis fuiſſe Religioſos; videntur enim tunc denuò à ſtatu Religioſo, quidam præſertim in Germaniâ ubi id ſæpe contigiſſe notum eſt, ex Alberto Crantzio, & Bruſchio deferuuiſſe, quibus ſit poteſtas tranſeundi, ad ſtatum Regularium id eſt Canonicorum Religioſorum, qui tunc erant, vel Monachorum, quod nil facit contra nos.

207. Eâdem operâ improbamus conſequentiam quæ latet in Ecthesi 12. quæ ſic ſonat *Aroaſienſes Canonici Regulares ſunt, non Collegiales nec Cathedrales, atq; adeo omnino diverſi à Lateranenſibus à S. Auguſtino reformatis.* Quia non ſequitur. Aroaſienſes Canonici Reg. non ſunt Cathe-

Cathedrales, ergo ſunt diverſi Ordinis à Lateranenſibus, cum dilucidè clareat ex conſtitutionibus Benedicti XII. ſæpe replicatis, & Cathedrales, & Collegiales, Conventualeſq; fuiſſe ejuſdē Ordinis S. Aug. Adde Aroaſienſes etiam, ſaltem per totam ferè Hiberniam, olim, fuiſſe Cathedrales ut jam vidimus. Adde deniq;, Lateranenſes non fuiſſe immediatè reformatos à S. Aug. ſed poſt fœlicem ejus obitum, reformationem Auguſtinianam, in Eccleſiam Lateranenſem, fuiſſe transvectam ab ejuſdem Diſcipulo S. Gelaſio, ſicuti ab aliis in alias non ſolum Cathedrales Eccleſias, ſed etiam Monaſteria, ut alibi ex Poſſidonio oſtendimus.

CAPVT V.

208. O*Ctava. Non omnes Canonici Reg. ſunt ejuſdem Ordinis cum Lateranenſibus.* Non opus fuit quod hanc tam fortiter probaret Adverſarius, potius fortiter probare debuerat, ſecundam partem primæ Ecthesios, nempe Ordinem Benedictinum approbatum fuiſſe ante Ordinem Canonico-Auguſtinianum, in quâ tanquam in cardine tota hæc con-

troversia de præcedentia vertitur, & versatur, quam tamen sine probatione reliquit; solido, ut apparet, fundamento destitutus; facilè enim concedimus Canonicos Reg. Præmonstratenses, & ut doctè ac solidè probat Pennottus noster Salvatorenses, non esse ejusdem Ordinis cum Lateranensibus; sed cum micâ salis, admittenda est quæ sequitur.

209. *Nona. Primus post Lateranenses Ordo Canonicus Præmonstratensis est.* Ut sensus sit, quod Ordo Canonicus Præmonstratensis sit primus distinctus specie ab Ordine Canonico S. Aug. cujus Lateranensis, Aroasiensis, Windesemensis quædam Congregationes sunt, non Ordines distincti; ut in Ecclesiâ habetur Ordo Præmonstratensis, qui si verum est quod institutus sit per Sanctum Norbertum à Deo destinatum, ut lapsus Ordo Canonicus Sancti Augustini, suas detergeret sordes, prout scripsisse Robertus Arboricensis asseritur ab Adversario, numero 346. sequitur contra eum Ordinem Præmonstratensem Ordine Canonico-Augustiniano esse juniorem. Sed si vel ipsæ sordes Ordinis Canonico-Augustiniani, ostendant nobilem ejus antiquitatem, quid non facient Coruscationes ejus

& splen-

& ſplendores? ad quos cæcutire videtur Adverſarius, qui admittit dictum Arboricenſis (ut videtur quia vel minus vel parum honorificum Ordini Canonico-Auguſtiniano, poſito etiam ab eodem Adverſario, ferè ultimo loco & quidem poſt mendicantes. comm. in Regulam S. Ben. diſp. 34. num. 350.) & interea Ecthesi ſequenti quæ decima eſt, dicit *Præmonſtratenſem Ordinem reliquos Canonicorum Reg. Ordines præcedere debere. Idq́ patere ex dictis*; quia nimirum præcedentiæ jus pendet ab antiquitate. Quod ſi verum eſt, quomodo ergo Præmonſtratenſis junior, utpote per quem ſordes ſenioris, jam lapſi, detergendæ fuerunt, præcedet Antiquiorem? de cujus antiquitate ſic ſcribit ipſemet Arboricenſis tomo 2. in opuſculo de tuendo Cælibatu: *Canonicos dicimus qui ex communi placito ac voto, ac mutuæ bonorum diſtributioni obnoxii erant. Erat autem hoc veluti elementum quoddam atq́; exemplar futuræ Communionis in Ordine Canonicorum; qui triplici voto aſtricti, ſe Regulares appellant, quem Auguſtinus longo poſt tempore inſtituens, ſe ab Apoſtolico fonte hauſiſſe profitetur. Hic ergo Ordo ſtatim ab orbe redempto &c.*

CAPVT

CAPVT VI.

210. V*Ndecima. Canonici Reg. S. Salvatoris seu Scopitini, Arnulphini, & multi alii Præmonstratensibus juniores sunt, ipsisque consessu aut publica supplicatione succedunt.* Ecthesim hanc suam probaturus Adversarius, præmonet Annales & Historias esse videndas, vel saltem confidendum Excellentissimis viris, qui illos & has examinarunt. Bona præmonitio, sed melior S. Augustini alibi subtiliter & prudenter monentis; *fide, sed cui, vide.* Porrò unus ex hisce Excellentissimis viris, quibus confidendum fuit, Pennottus, & Annales Historiasque; quæ hîc producuntur, de Canonicis Salvatoriensibus, & nescio quibus Arnulphinis, si quis alius, exactè examinavit, & quidem ad PONDUS SANCTUARII ad Pontificia, inquam, Diplomata, ac vetustiora Archiva, & in Josepho Mozagrugno, qui de Salvatoriensibus scripsit, multos errores digito monstravit, ut propterea ejus liber à Cardinalibus prohibitus sit.

Similes errores in Abbate Joachimo, quem vaniloquum vatem appellare non veretur, secu-

tus

tus Trithemium, ut mox dicam, in Hieronymo Romano à Joanne Carthagena refutato, ut statim ostendam, & quod dolendum, qui hos secutus est, in Roderico, palpandos exhibuit, qui de Canonicis Reg. S. Arnulphi quem cum S. Rufo confundunt, commentati, vel potius commenti sunt. Videatur Pennottus lib. 2. Generalis hist. c. 2. item eodem lib. c. 53.

Egrè quidem adducimur, ut dicamus Auctores errare. Videat nihilominus oculatus Lector, an hoc loco Adversarius non humani aliquid passus sit: quando scribit, ex Roderico (qui quamvis in jure Regulari versatissimus sit, tamen in Historicis pro suâ ovinâ sinceritate subinde videtur quemlibet Historicum absq; magno examine, præeuntem sequi, qui si errarit etiam ipse sine errore esse non potuit) *Advertit tamen Hieronymus à Roma cum Abbate Joachimo*, sequitur parenthesis Adversarii hæc [*nota etiam benè*] *quod hi Canonici non sunt de numero eorum quorum memoriam faciunt Pontificum jura, hoc est* ait Adversarius, *Pii quarti & Clementis VIII. Diplomata.* Ita glossula Caramuelia.

Notat Joachimus Abbas qui teste Trithemio lib. de script. Eccles. claruit sub Henrico

VI. anno Domini 1200. quod Canonici de quibus hîc agitur, non ſunt de numero eorum, quorum memoriam faciunt diplomata Pii IV. & Clementis VIII. qui pluſquam trecentis annis fuerunt Abbate Joachimo poſteriores. Hîc verè nimis mihi dixiſſe videtur, ut fertur, Ariſtoteles: *Nullum magnum ingenium ſine aliquâ mixturâ dementiæ,* Quarè liceat mihi hîc exclamare cum S. P. Aug. lib. 16. c. 26. contra Fauſtum: *O hominem ſe cogitantem dictorem, & alium non cogitantem contra-dictorem! ubi eſt acumen tuum? an in mala cauſa non poſſes aliter? ſed mala cauſa te vana loqui coëgit.*

211. Sed fortè Abbas Ioachimus, qui, ut idem Trithemius ait, ſuo tempore Propheta habitus eſt, etiam futura prædicere conatus eſt, ante tot ſæcula de diplomatibus, quibus à Pio IV. explicante eadem & coroborante Clemente VIII. Canonici Reg. S. Auguſtini Congr. Later. præpoſiti ſunt Monachis Caſſinenſibus Ordinis S. Benedicti, & conſequenter Ciſtertienſibus, prophetavit, ita quidem videri poſſet, niſi ipſemet Trithemius obſtaret, *Sed mihi videtur*, inquit, *(ut ſalva pace ſua & ſuorum loquar) ex conjecturis ſcripturarum illum magis lo-*

cutum

cutum quam prophetasse. Sed quomodo hoc audes Trithemi de tanto tui ejusdem Ordinis viro? *Nam ut de cæteris interim taceam* (respondet Trithemius) *Fredericum Imperatorem hostem Ecclesiæ futurum somniavit quem omnes novimus usque ad mortem pacificum & Romano Pontifici subjectum & fidelem perseverasse*. Hactenus de Joachimo Joannes Trithemius.

212. Sed quid de Hieronymo à Roma Joannes à Cartagena? requiratur is tom. 2. de Divâ Virgine lib. 17. hom. 2. & invenietur Hieronymus ille sæpius refutatus ab eo, & reprehensus in materiâ Ordinum Religiosorum: de quâ non ex fide scripsit, nec ex veritate, & signanter de Ordine Carmelitano, de quo adeo perperam commentatus est, imo commentus, ut ab eo audire meruerit *Puerilis*, *delirus*, *Cavillator*, *Auctor importunus*, *& mendacissimè loquens*, qui tamen magnæ auctoritatis est apud Adversarium, non aliam ob causam, ut quidem videtur, quam quia Canonicorum Regularium causæ adversatur. Adde Hieronymum Romanum floruisse anno 1550. ejusque opera Salmanticæ anno 1569. prodiisse in lucem, ut verisimile non sit eum ad Clementis VIII. Pontificatum super-

vixisse. Quomodò ergò is scribere potuit, quod nostri Canonici non sunt de numero eorum, quorum mentionem faciunt diplomata Clementis VIII. qui renuntiatus est Pontifex anno 1592.? Audi Aubertum Miræum, *lib. posthumo de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 63.* ubi recenset eos qui circa annum 1550. scripserunt de Hieronymo Romano, hæc recitantem: *Hieronymus Romanus natione Hispanus, Eremita Augustinianus, idiomate patrio scripsit Chronicon à temporibus S. Augustini ad sua tempora deductum: quod Salamanticæ anno 1569. prodiit ejusdem Monarchia in folio, vernaculo similiter idiomate edita, continet nonnulla quæ Criticis displicent.* Denique citatur hic Auctor ab Emmanuële Roderico, qui suum opus de quæst. Reg. edidit anno 1597. ex quo patet Hieronymum Rom. nullo modo posse intelligi de diplomate Clementis VIII. quia diploma hoc concernens Canonicos Reg. solummodò emanavit anno 1603. ut videre est apud Pennottum lib. 2. cap. 71. num. 6.

213. Porrò Joannes à Cartagena piissimus ac eruditissimus Auctor, loco citato, fortissimè propugnat antiquitatem Ordinis Carmelitani, contra Hieronymum præfatum, & maximè per

diplomata

diplomata Pontificia, de quibus sic proloquitur solutione ad objectionem V. *Quamvis autem prædictorum Pontificum testimonia non id tradant tanquam rem fide divina credendam, infra tamen limites humani testimonii nullum majus aut firmius proferri potest, quam tot summorum Pontificum testificatio.* Quod idem dicendum in causâ Canonicorum Regularium S. Aug. quorum antiquitas ex tot Pontificum testimoniis supra non semel probata est. Quod si ita est, ut rationis paritas esse convincit, parum ad rem facit quod hîc circa finem subtexuit Adversarius: *Stat tertiò* inquiens *habendam esse Scriptoribus reverentiam, temereque posse asseri, quod probari non possit, & tamen contrarietur diligentissimorum scriptorum historiis, adeoque debere necessariò dici Regulares Canonicos Cistertiensibus esse juniores.* Ita ille.

Verùm si habenda sit reverentia Scriptoribus Historicis, sine comparatione major habenda est Pontificibus maximis, de antiquitate Canonicorum Reg. S. Aug. testimoniis omni alio majoribus (divinum excipio) pronuntiantibus, quibus qui contrariantur Scriptores etiamsi diligentissimi fuisse putentur, non erunt audiendi.

214. Verumenimverò quomodo Auctores

hoc loco & alibi ab Adverſario adducti dicendi ſunt diligentiſſimi, qui nondum annum in quo ordo Canonicorum Reg. eſt inſtitutus invenire potuerunt? ut ipſemet ingenuè fatetur Adverſarius hic dicens: *Stat igitur primo Auctores ſemper annum poſt quem inſtitutus eſt Ordo Canonicorum Reg. exprimere, vix unum, annum, in quo.* Quomodo illi dicendi diligentiſſimi, qui relictis Apoſtolis & Apoſtolico viro, S. Aug. primis, ut Pontifices (quibus probati Hiſtoriographi ſæpe producti ſupra conſentiunt) tradunt, hujus Ordinis inſtitutoribus, alios protrudunt, nunc Hilarium, nunc Rufum vel Ruffinum, nunc Arnulphum quendam, quem alii in duos dividunt, alii cum S. Rufo unum faciunt,& non inventum in Catalogo Epiſcoporum Lugdunenſium, ſaltem ab anno 1000. uſque ad 1200. quo vixiſſe debuiſſet, ut veritas ſubſiſteret, alibi in ſpatiis fortè imaginariis inveniendum eſſe ſupponunt, vel ut veriùs loquar ſimplicibus imponunt? Quomodo illi diligentiſſimi, qui nondum judicare potuerunt de quibus Canonicis jus Canonicum loquatur, an de Regularibus, an de ſæcularibus, de Cathedralibuſne, an verò de Conuentualibus? & cum juniores hi Scriptores

res de antiquo jure nullum certum judicium ferre potuerunt, tandem vetuſtiores in patrocinium advocati, de novo jure poſt aliquot ſæcula decreto, novo vaticinio judicium ferre debuerunt?

215. Sed & hoc ſine notâ cenſoriâ prætereundum non eſt quod hîc traditur de Canonicis neſcio quibus Arnulphinis, qui inſtituti dicuntur ſecundum aliquos circa annum Domini 1117. de quibus hîc ex Roderico tom. 1. qq. RR. q. 3. a. 1. dicitur *quod in Italia & Gallia ſint maximè reformati, & habent Generales & Provinciales, in Luſitania verò reformatiſſimi, & communiter Canonici Reg. S. Aug. nuncupantur* [*hinc attentiùs per parentheſim* inquit Adverſarius, quod & nos idem hortamur,] *non quia eorum Religio fuerit conſtituta à Divo Aug. ſed propter Regulam illis à S. Aug. traditam.* Hîc quæro, quomodo Regula Arnulphinis Canonicis, ſit tradita ab Auguſtino, qui eos tot ſæculis præceſſit? fateor hic Davus ſum non Oedipus.

216. Non minus palpabilis lapſus eſt notandus, circa annum Caroli magni, qui hîc dicitur floruiſſe poſt annum 900. cum juxta fideles faſtos Onuphrii Panuinii, quos alibi Adverſarius etiam probat, piiſſimus hic Imperator, obierit

rit Anno Christi 814. ut etiam Spondanus ex Baronio, quinto Kal. Februarii. Sic Joachimus Abbas, post aliquot à morte suâ sæcula notat Diplomata, Pii IV. & Clementis VIII. non tangere Canonicos, de quibus agitur in hâc Ecthesi. Sic etiam S. Augustinus, post plura sæcula à Fœlici transitu suo, tradit Regulam Canonicis Arnulphinis, sic tandem, Sanctissimus Imperator Carolus verè Magnus, à beato obitu suo ferè centum annos supervixisse ponitur. Si ita D. Catulle in Chronologiâ lapsus fuisset, plusquam semel jam audivisset: *Malus ictus Iurisprudentia sine Chronologiâ nil valet.*

CAPVT VII.

217. Duodecima. *Aroasienses Canonici Regulares sunt, non Collegiales nec Cathedrales, adeoq; omnino diversi à Lateranensibus à S. Aug. reformatis.* Hæc superius satis examinata est & refutata num. 207. Itaq; succedat & examini se sistat

Decima tertia. *Canonicorum Reg. Ordo est inter Cathedrales Canonicos & Monachos medius, magis tamen ad hos quam ad illos inclinans.* Jam

alibi

alibi monuimus si sint medii Canonici Regulares, inter Canonicos Cathedrales, & Monachos, ut duos extremos, cum in hâc serie Cathedrales sint primi, erunt Regulares secundi, & Monachi tertii: & quandoquidem *oporteat, ut de rebus physicis physicè; ita & de moralibus, moraliter philosophari*, juxtà doctrinam Adversarii in initio libræ num. 5. consequens erit, ut congruum sit, si Cathedrales præcedant, immediatè sequantur Canonici Reg. & his Monachi posteriores succedant, ne Ordo, qui semper imperturbatus conservandus, ullâ ratione, in genere moris, vel in minimo perturbetur, & Hierarchia Ecclesiastica dissipetur. Sed de hoc supra. Alias enim si Canonici Reg. modò Cathedrales essent quemadmodum olim fuerunt in multis provinciis, ut patet ex constitutionibus Benedicti XII. §. 19. & de Aroasiensibus, qui per totam fere Hiberniam, olim Cathedrales fuerunt: ut patet ex allegatis ab Adversario, de quibus supra satis superq; in præcedentiæ causâ, nil illis obesset, quod ratione trium votorum Religiosorum ad Monachos inclinarent, nam aliud est inclinare ad Monachos; aliud verò esse Monachos. Equidem si inclinent ad Mo-

nachos; hoc maximè propter Religiosam professionem, quam etiam faciunt v. g. Clerici Societatis Jesu, qui tamen non paterentur, se Monachos nuncupari ut ipsimet à me super hoc requisiti ingenuè mihi fassi sunt. Intereà quidquid sit, Credo supra satis probatum fuisse Canonicos Reg. Cathedrales, & Conventuales esse unius, & ejusdem Ordinis, quod expressè ex recentioribus docet Barbosa. *Lib. de Canonicis cap.* 1. *num.* 40. qui etiam supra eodem *cap. num.* 7. *&* 8. probat ex jure Canonico, & Jurisconsultis quos ibi citat; Canonicum Regularem esse verè Canonicum, & Canonicatus appellatione venire etiam Canonicatum Regul. Itaque an possint Canonici Reg. Monachi absolutè vocari? an nunquam? an semper? an aliquando? audivimus supra initio hujus Tractatus ex Roderico: quem in hâc materiâ Regulari Adversarius plurimum colit & suspicit, à quo nec Andreas Catulle dissentit, secutus Nauarrum *tomo* 1. *comm.* 3. *de Regularibus titulo de potestate Præfectorum Canonicorum Reg. & Monachorum*: Quem etiam citat, cuiq; subscribit Barbosa sup. num. 40. cum multis aliis quos allegat. Quamobrem si de re constet, non est quod de vocibus

bus litigemus, ſicuti an Monachi impropriè dici poſſint Canonici, ut ſubtiliter probare nititur Adverſarius, parum refert. An autem hinc ſequatur, mitiùs Canonicos Regulares, ad officium divinum teneri, quam Cathedrales, quos pro Mercenariis, id eſt pro mercede ad hoc conductis, Adverſarius habet, quid opus eſt minutius examinare? equidem boni Canonici Reg. de tali obligatione, quam ſpontaneè ſuſceperunt non conqueruntur; ſed ſibi potius congratulantur, ſcientes quod *Servire Deo, regnare eſt*, & *jugum Domini ſuave, & onus ejus leve.* Matt.11.v.30.

218. Decima quarta. *Canonicorum Reg. Religio cognoſcit Ordinem Monaſticum Patrem, Matrem Canonicorum Cathedralium converſationem.*

Spectatum admiſſi riſum teneatis amici.

Non credo, ſi de religione Canonicorum Regularium Sancti Auguſtini agatur nec ad credendum cogit Concilium Colonienſe, quod ſcio non eſſe contrarium deciſionibus Pontificum, quibus contrarium de priore eorumdem antiquitate, ut ſupra vidimus, eſt determinatum; quod denique ſcio non eſſe contrarium ordini naturæ, quo non datur, filius ante patrem, nec filia ante matrem: quod tandem

etiam non videatur hæc Ecthesis, quantum ad hoc quod in eâ asseritur, nimirum Canonicorum Reg. religionem cognoscere matrem Canonicorum Cathedralium conversationem, benè cohærere cum illis quæ decimæ tertiæ subtexta habentur, hæc scilicet: *Suadent thesim ipsorum* [nimirum Canonicorum Reg.] *vita & conversatio. Alieni enim à benigniore illa vivendi normâ, quam Canonici Cathedrales observant, severissimis abstinentiis & pœnalitatibus macerati, sequuntur Agnum quocumque ierit.* Ita ibi Adversarius, asserens conversationem Canonicorum Regularium esse alienam à conversatione Cathedralium, quam tamen hîc Canonicorum Reg. ponit matrem, cui ordine naturæ filii propinqui esse debent, non alieni & ab eâ remoti, & alibi dicit Canonicos Reg. *Vix aliquid commune habere cum Cathedralibus præter solum nomen.* Quo nomine quinam magis digni sint sæculares ne an Regulares qui curiosiùs voluerit indagare, consulat Jacobum de Vitriaco hist. Occiden. cap. 30. & Adamum Præmonstratensem sermon. 3. denique Albertum Crantzium apud Molanum lib. 1. de Can. cap. 26.

CAP.

CAPVT VIII.

219. DEcima quinta. *Aroasiensis Religio Benedictinâ & Præmonstratensi junior est*, Hic nervus belli, sed suprà sæpiùs gladio Petri, verbo, inquam, Pontificio, præcisus. Nam Eugenius IV. in Bullâ supra explicatâ dixit: Ordinem ceu Religionem Canonicorum Reg. ab Apostolis fundatam, ab Vrbano papâ Martyre reformatam, à S. Aug. regulâ decoratam; à Gregorio Magno, in Ecclesiis Anglicanis transplantatam, & in Occidentis finibus ampliatam, quod confirmat, cum aliis Pontificibus, Benedictus XII. in constitutionibus latis, pro generali reformatione, hujus ejusdem Ordinis, ejus tempore, per Orientalem & Occidentalem Ecclesiam, in variis Provinciis ibi determinatis usitati. Cujus porrò Religionis Canonicæ prima fundamenta jecerunt in Aroasiâ, *Heldemarus & Cono viri sanctitate præditi, officio præsbyteri professione Canonici qui habitum Canonicæ professionis in Anglia* (in quâ ea diu floruit) *assumpserunt*, ut Adversarius nobis prælegit, ex Codice qui inscribitur *Origo*

Aroasiæ fundationis. Ex quibus duobus principiis simul junctis, scilicet Apostolicæ institutionis, & per duos præfatos Canonicos viros propagationis, satis clarè elucet major antiquitas Religionis, quæ in Aroasiensi Congregatione floruit; Religionis, inquam, Canonico-Augustinianæ, supra Benedictinam, & si placet etiam supra Præmonstratensem, pace dixerim hujus candidi Ordinis professorum, supra Benedictinam dico: de cujus institutionis & approbationis majore antiquitate, nullum protulit Adversarius Pontificium diploma, nullum solidum ostendit fundamentum, nullum firmum dedit argumentum.

220. Ex præcedenti Ecthesi colligit Adversarius duo Corollaria, quorum primum sic habet: *Si duæ communitates (Benedictina & Aroasiensis) in aliqua supplicatione aut alibi concurrant, debet Benedictina præcedere*. Quamvis Corollaria sponte fluant ex suis fontibus, hoc tamen quia violentum videbatur Auctori & turbidum, non tantum probatur, sed demonstratur, inquit, ex dictis. Expectet ergo bonus Lector demonstrationem, sed meliorem Catullæâ, scilicet, arrectis, inquam, auribus adstet,

auditurus

auditurus demonstrationem cujus præmissæ sint primò veræ, vel ex primò veris evidenter deductæ. *Nam debet*, inquit, *præcedere antiquior, junior sequi, atqui Benedictina est antiquior* (scilicet Ordinis institutione & approbatione) *Aroasiensis junior, ergo debet illa præcedere, hæc sequi.* Ecce demonstratio. Sed nunquid ex primò veris præmissis? non videtur, quia Auctor asserit majorem positam esse & probatam num. 80. non erat ergo primò vera. Vel si dicatur, quod saltem ex primò veris sit deducta; nihilominus de minore est præsens difficultas, de quâ ipse hîc, *Minor constat ex conclusionis VI. Corolario 11. num.* 168. Quære, amabò, Lector candide diligenter hunc locum notatum in librâ Auctoris si eam habeas ad manum & scio vel ridebis, vel indignaberis, vel pudore confunderis, vel condolebis, nam ibi nil minus invenies quam probatam hanc minorem: *Benedictina est antiquior, Aroasiensis est junior*, Certè nova hæc est Dialectica Caramuelis: in quâ assumitur in probationem, id quod controvertitur, require etiam ibidem conclusionem quintam, de quâ hîc: *Minor est conclusio quinta*, & reperies hanc: *Stando rei naturæ, & juri communi Regulari, an*

Aroasienses

Aroasienses (si & ipsi ad Lateranensium Cathedralium aut Collegialium ordinem pertinerent) deberent Cistertiensibus præponi, an postponi dubium esset: Iam confer hanc conclusionem cum hâc minore: *Benedictina est antiquior, Aroasiensis junior,* & judica an sint eædem. Et si placet nostra hæc scripta, cum scriptis Adversarii conferre, judica an hæc eadem minor vera sit an falsa.

221. Secundum Corollarium. *Si iidem Abbates singulariter, & non capitulariter cum suis communitatibus concurrant, debet Benedictinus præcedere. Hoc similiter ex præcedentibus,* inquit ejus Auctor *demonstratur.* Audiamus ergo demonstrationem, sed prædictæ non absimilem: *Quia in tali casu,* inquit, *debet præcedere Abbas Ordinis antiquioris, atqui Benedictinus est Aroasiensi antiquior, debet igitur præcedere Benedictinus, consequentia est legittima:* Minor est *ipsa conclusio 6. Corol.* 11. *num.* 168. Ita ille. At tu Lector recurre si vacat, ad illum locum, & idem invenies quod ante & nil amplius; imo falsum deprehendes, quod hæc minor sit Conclusio sexta. Sed pergit Auctor, major, inquit, ipsum Protheorema primum num. 80. & 99. verum illud protheorema primum num. 80. locum habet in

in Ordinibus ipsis diversis simul Collegialiter concurrentibus, non ergo hîc facit ad rem. Protheorema vero num. 99. magis quidem videtur ad rem, sed non est tam certum ac Auctor supponit. Nam alia est ratio communitatum, alia verò Abbatum, singulariter concurrentium, in illis enim habetur ratio prioris antiquitatis Ordinis, in his verò secundum jura, quamvis usus alibi aliter habeat, habenda est ratio antiquioris, non quidem Ordinis; sed promotionis ad Abbatialem dignitatem, provt fit, in Episcopis ut videre est, cap. Episcopos. dist. 16. & cap. finali dist. 75. ut eruditè notat Consultissimus Dominus Andreas Catulle in suo motivo juris, num. 6. cum multis aliis, qui observant summos Pontifices, & Cardinalium congregationem diversimodè has duas quæstiones decidisse, & ut alia prætereant, meminêre controversiæ ortæ inter Lateranenses, & Cassinenses, & ostendunt in eâ aliter de communitatibus si compareant conventualiter, aliter verò de Abbatibus, si personaliter id est singulariter fuisse judicatum, teste ipsomet Adversario 2. *parte libræ num.* 94. & manifestè patet, non tantùm ex sententiâ & brevi executorio Pii IV.

ſed etiam ex relationibus trium Cardinalium, ſuprà verbotenus recitatis.

222. Circa quas obſervavimus, totum Ordinem Canonicorum Reg. S. Aug. in Lateranenſibus, de toto Ordine Benedictino in Caſſinenſibus triumphaſſe, ratione prioris antiquitatis, adeò ut triumphus nullo modo fuerit diviſus. Nam quantùm ad Abbatum ſingulariter, concurrentium præcedentiam, non habendam fuiſſe rationem Ordinis; ſed Abbatialis dignitatis in quâ omnes ſunt æquales, & ob quam promotione ſenior præcedentiâ donatus eſt, factâ aliâ & à priore diſtinctâ quæſtione, & reſolutâ, à Cardinalibus relatum & à Pontifice deciſum fuit.

223. Has relationes non videtur legiſſe Adverſarius, & ideò ſemper hæret in eodem luto, ſupponens, quaſi neutra pars ſufficienter potuerit probare intentum (ut putât) neutra pars totum obtinuerit, ſed utraq; aliquam ſolummodò partem, in quo plurimùm hallucinatus eſt; ut aliquoties oſtendimus. Datum enim eſt Lateranenſibus totum id, quod illis ex jure competebat, neque enim illis competebat, ratione Ordinis præcedentia, in ſingulari illo Abbatum concurſu;

concursu; quæ nec in hoc eodem casu, Cassinensibus debebatur, ut quæ, debita erat illi, qui priùs esset promotus ad Abbatialem dignitatem; cujuscumque tandem esset Ordinis: prout æquitatis ratio postulare videbatur, ob paritatem dignitatis, & usitatum exemplum præcedentiæ Episcopalis. Quo probè intellecto, deprehendetur nullarum virium esse, magnus ille, discursus tam operosè ab Adversario formatus 2. *parte num.* 95. *&* 96. contra Andream Catulle qui totus fundatur, in debili illo fundamento quasi hîc, aliquid tributum sit, Abbati Cassinensi promotione seniori, ratione Ordinis, quod ita non esse, clarissimè apparet, ex sæpe citatis Cardinalium recitationibus, quas quia Adversarius non videtur legisse, non miror eum in hanc falsam conjecturam lapsum fuisse.

224. Superioribus annis, cum orta esset disceptatiuncula, de præcedentiâ inter admodùm Reverendos Dominos Abbates, Dñm meum Eechoutanum, & Dunensem; R. Dominus Eechoutanus, quæ ejus erat urbanitas, obtulit Dunensi præcedentiam; sed eo titulo, quod esset antiquioris promotionis ad Abbatialem dignitatem, quam oblationem, sub tali titulo tantùm,

cum is acceptare nollet, ſed eam prætenderet obtinere, etiam titulo Ordinis Ciſtertienſis, & aliarum, quas allegabat qualitatum, lite motâ, & re maturè examinatâ cecidit causâ in Provinciali Concilio Gandenſi, ut verè etiam hîc locum habuerit vetus illud adagium; qui duos inſectatur lepores, neutrum capit.

CAPVT IX.

225. DEcima ſexta. *Cyſonienſe Cœnobium olim Sæcularium Canonicorum fuit, jam Regularium.* Quid inde? fuerit fortè Cyſonienſe Cœnobium olim tale, modò jam ſit, ut ponitur, Regularium Canonicorum ſcilicet Ordinis S. Aug. ſalva res eſt, meritò poſſunt Domini Cyſonienſes titulo ſui Ordinis antiquioris, reſpectu Ciſtertienſium, præcedentiam prætendere, ut cæteri. Sequitur ex dictis primâ & ſecunda parte hujus tractatus. Sicut enim quod Alnenſes primò fuerint olim Canonici Reg. non impedit, quo minus jam ſint univocè Ciſtertienſes, ut horum juribus fruantur, ex mente Adverſarii; ita non impedit quo minus Cyſonienſes jam univocè ſint Canonici

Reg.

Reg. S. Aug. quamvis olim fortè fuerint sæculares. Quamdiu ergò Cysonienses erunt Canonici Regulares, tam-diu gaudebunt juribus eorumdem, eos autem tales esse liquet vel ex ipso Buzelino apud Adversarium num: 622.

226. Decima septima. *Monasterium Cysoniense Aroasianum ex antiqua institutione fuit.* Esto, non propterea desierunt esse Canonici Reg. Ordinis S. Aug. Cysonienses, cujus Ordinis quædam Congregatio inter cæteras Aroasiana fuit, sicut Lateranensis, Victorina, Windesemensis &c. ut supra fusè deductum fuit. Fuerit priùs Dionysianum, fuerit posteà Victorinianum Monasterium Cysoniense, non obstante extrinsecâ hac vicissitudine, in Ordine intrinseco Canonico-Augustiniano, huc-usque constans semper permansit. Porrò Victorianam Congregationem, ejusdem Ordinis, cum suâ esse modò sustinent Lateranenses, & olim supposuerunt, nam cum illis a Cassinensibus objectum esset, quod in suo Ordine Abbates non haberent, responderunt Lateranenses, se utique habere, in suo Ordine Canonico Abbates, & adduxerunt exemplum Abbatis S. Victoris, qui fuit caput Victorianæ congregationis. Idem pro comperto

 habere

habere se dicunt, de aliis Congregationibus Belgicis, & consequenter de Aroasianâ, & Windesemensi, ut supra sæpius. Ex quo facile judicare est quid censendum sit de sequenti Ecthesi

227. Decima octava. *Etiam Ordine Windesemensi, Cisterciensis est antiquior, adeoq; Cistercienses Abbates (sive cum communitatibus suis, sive soli & personaliter compareant) debent illos præcedere.* Hæc planè & ut ajunt, ex diametro pugnat cum Bullâ Martini V. sæpius supra memoratâ, in quâ expressè dicit hic Pontifex: Ordinem quem in Capitulo Windesemensi, lætus gratulabatur reflorere, à suis primordiis, post Beatos Apostolos Christi, per Regularia S. Patris Aug. instituta luculenter, per orbem effloruisse, & retroactis seculis mirabili pulchritudini sponsæ Christi Matris nostræ Ecclesiæ plurimum adjecisse. Sed de eo fusius & sæpius supra.

228. Decima nona. *Cysoniense Monasterium Dionysianum non est, ut sit non est Lateranense.* Distinguo, non est Lateranense Congregatione Concedo, Ordine, nego. Nam quod ejusdem Ordinis sit cum Congregatione Lateranensi, facilè Colligitur, vel ex hâc clausulâ, quam nobis hic suppeditat Adversarius: *Vt Ordo: Canonicus*

nicus qui in Ecclesia vestra secundum Regulam S. Augustini institutus esse dignoscitur perpetuis ibidem temporibus observetur. Quâ eadem clausulâ, utuntur Pontifices, in suis bullis, Lateranensibus datis, supponentes utrobique eundem Canonicum Ordinem, S. Aug. observari. De quo etiam prolixiùs actum est supra suo loco, & de Dominis Cysoniensibus, infrà quædam sumus dicturi.

229. Quibus omnibus ferè ad PONDUS SANCTUARII, hoc est, pontificia diplomata debitè libratis, Narcissum exuat & Rhadamantum induat candidus lector, & judicet, quid tandem tenendum sit de ultimo hoc, ex præmissis Ecthesibus expresso, magnâ violentiâ, corollario: *Maneat igitur Cistertienses præponi debere Aroasiensibus, Victorianis, Windesemensibus, & quibuscumque aliis non Lateranensibus Canonicis regularibus:* Iudicet, inquam, an manere debeat, an potiùs confutatum & confusum præ pudore ad latebras fugere, & in æternum amplius non comparere, tanquam ad perpetuos eosque obscuros carceres condemnatum.

PARS QVARTA

In quâ explorantur quædam Adversarii ſolutiones, quas argumentis noſtrorum, ille adhibere conatus eſt, & detegitur infirmitas earum.

230. Cctheſes Caramuelias, præcedenti tractatus noſtri parte 3. ferè ad PONDUS SANCTVARII ponderatas, leviores quam primâ fronte apparebant, deprehendimus: reſtant ſolutiones, quas adhibere conatus eſt libripens, argumentis noſtrorum, examinandæ, an ſint prædictis Ecthesibus graviores. Quod jam agendum non quidem circa omnes, ne quod opuſculum ſolummodò meditati ſumus, & intendimus, creſcat in opus, cujus multa folia onerarent lectorem: ſed ſolùm circa aliquas, quæ apparerent aliquibus ſolidiores, ut ex ungue leonem.

CAPVT I.

231. MArtinus Aſpilcueta communiter doctor Navarrus indigitatus, unicus ille monarcha juris, prædicatur ab Adverſario, quod hâc in causâ ingenio ſuo nos reddiderit animoſos, & ut verum fatear, non parum eſt, hac in re, talem nos habere patronum. Mortuus eſt & leo mortuus non mordet, quamdiu tamen ejus ſcripta durabunt, & ipſe perennabit ſuumque ordinem Canonico-Auguſtinianum condecorabit, ut doctrinâ, ſic & ſanctitatis famâ, & quia optimè de ordine ſuo meritus, viciſſim meritò ab eodem meretur defendi. Porrò vivit & ipſe Andreas Catulle, ut vitâ dignus, ſic gloriâ, ſic putamus, ætatem habet, de ſe loquatur. Cum ipſe patronus ſit noſtro patrocinio non indiget, ſed novi iſtius viri generoſitatem quam mihi alii depinxerunt, vereor ne ipſe juris peritiſſimus cum dialectico juris ut apparet imperito congredi & in arenam prodire dedignetur, inſtar Penelopes quæ dedignabatur procos illos qui à Dominâ in ancillas amorem ſuum deflectere non erubeſce-

bant. Multo minus Navarrus alienâ operâ indigeret, nisi vita functus, famâ vivus, linguâ careret, qua tot oracula, tot consilia non vendidit, sed gratiosè donavit. Putatur non locutus fuisse in hâc causâ de omnibus Canonicis Regularibus sui Ordinis, sed tantum de Lateranensibus verum putatur tantum. Legatur attentè & sincerè quodque docuerit eos omnes in Lateranensibus triumphum egisse, sanus videbit oculus. At, inquiet, Adversarius: si de omnibus involuit *multas easque diversissimas difficultates*. quomodo cum extricatu faciles? ostendam. Producat Adversarius rationes Navarri ad formam syllogisticam, ut ait, redactas. *parte* 4. *libra*, *num*. 271. *& seq*.

Prima est. *Canonicis Regularibus inest Clericatus per se, Monachis per accidens; at qui digniores sunt Clerici per se, Clericis per accidens ergo Canonici debent præcedere, Monachi sequi. Major est desumpta ex D. Thoma*. 2. 2. *q*. 189. *& firmatur cap. alia cap. si Clericus &c*. Hæc ratio Navarri. Ad quam *quis non videat* inquit Adversarius *argumenti istius debilitatem?* Ego inquam ostendat Adversarius. *Qualitatem* inquit, *quæ non consideratur à jure, superius nullam esse diximus virtualiter, id est*

ita

ita se habere, ac si verè non esset & in materia præcedentiæ non consideratur Clericatus sed Ordinis ætas : audivimus. Fiat syllogismus. Qualitas quæ non consideratur à jure, nulla est virtualiter, atqui qualitas Clericalis non consideratur à jure, ergo nulla est virtualiter. Hic ego respondeo, negando minorem propositionem. Nam in hac causâ hæc qualitas consideratur à jure, ut patet, ex brevi executorio sententiæ Pontificiæ latæ, in commodum Cononicorum Reg. S. Aug. cujus præferentiæ duo fundamenta, à Pontifice reteguntur hisce expressis verbis: *Quod ipsi Canonici sint de illis Clericis à S. Aug., quinimo à Sanctis Apostolis institutis, eosdem Canonicos tam suæ antiquæ institutionis hujusmodi, quam etiam Clericalis dignitatis ratione &c.* Apud Adversarium n. 277. & meritò quia controversia non erat inter Monachos & Monachos, quo in casu tantum opus fuisset, attendere ad Ordinis ætatem, sed erat inter Clericos ex instituto, & Monachos ex instituto, & tunc in materiâ præcedentiæ, etiam attendenda fuit dignitas clericalis: ut si exempli causâ lis esset inter Abbatem & Præpositum, dignitas Abbatialis consideraretur, & præponderaret, quamvis etiam suas qualita-
 tes,

tes, præpositus allegaret. Quod etiam locum habere puto in Ordine Cistertiensi, in quo dantur fratres laici, qui revera sunt Religiosi, & vovent solemniter tres virtutes monasticas, Religiosi utique Ordinis Cistertiensis teste Adversario *Commenttar. in Reg. S. Bened. num.* 407. quos tamen etsi in Ordine professione seniores, præcedunt multi monachi professione juniores choro deputati, & aliquando ad sacros ordines promovendi solo titulo clericatus, ut passim in ordine Benedictino, & àliis practicari videmus. Et sic factum fuisse in hâc nostrâ causâ, habitam, inquam, fuisse rationem qualitatis clericalis & non tantum ordinis, patet ex *allegationibus Scipionis Lancellotti, pro Canonicis Reg. n. 69. & pluribus sequentibus*, quas allegationes citat Navarrus *Comment. de Reg. num.* 8. Itemque ex relationibus Cardinalium superiùs datis in quibus hæc Navarri ratio perspicuè, latè fortiterque, urgetur & ponderatur: quæ relationes quantæ apud nos esse debeant auctoritatis, monstrant verba pontificis, ab Adversario notulâ decimâ signata, in brevi executorio, sæpe memorata, hæc nimirum: *Vnde nos illorum relatione intellectâ, eaque per nos diligenter examinata, quoniam*

quoniam eam in omnibus suis partibus veritati & juri consonam comperimus, per nostram sententiam definitivam pronuntiavimus Canonicos Regulares uti Clericos-Monachos S. Benedicti præcedere debere. Vbi etiam hîc, obiter notanda verba ejusdem bullæ, de plenâ probatione antiquioris ordinis Canonici, respectu ordinis Benedictini, quia semper Adversarius versat & reversat contrarium, scilicet hoc non fuisse plenè probatum; ac proinde præcedentiæ jus inter Lateranenses & Cassinenses, in quibus duobus totus ordo Canonicus, & totus ordo monasticus, concertarunt, à Pontifice fuisse divisum, quod ita non esse clarè ostendunt hæc Pontificis verba signata ab Adversario notulâ 9. *Qui quidem Cardinales dictis partibus earumque procuratoribus & Advocatis pluries auditis, dubiisque emergentibus ad plenum discussis & resolutis, comperto satis per eos ex compluribus litteris Apostolicis diversisque aliis documentis, rationibus & probationibus, quod ipsi Canonici fuerunt & sunt de illis Clericis à S. Aug. quinimo à sanctis Apostolis institutis, eosdem Canonicos tam suæ antiquæ institutionis hujusmodi quam etiam Clericalis dignitatis ratione &c. sicut sup.*

233. Sed instat Adversarius *sanè* inquiens,

si alicujus esset ponderis hæc ratio, multas possemus formare, quæ æquè pro Monachorum præcedentia concluderent. Ita ille. Respondetur, magni PONDERIS necessario esse debet illa ratio, quam Pontifex canonisavit, & in quâ diligenter examinatâ, per se & veritati jurique consona compertâ, partialiter suam sententiam fundavit. Quod etiam observandum est, circa alia argumenta à Catulle producta quæ etiam confitentur in relationibus Cardinalitiis prædictis, ab eodem Pontifice, ut jam vidimus, approbatis. Sed audiamus quas rationes æquales potuerit Adversarius pro suis Monachis formare.

234. *Prima sit* inquit. *Status Religiosus qui in trium votorum emißione consistit Monachis convenit per se, Canonicis verò per accidens: non enim datur Monachorum communitas non religiosa, cum tamen certum sit dari Canonicos votis non strictos, quod si vota essent de essentia Canonicalis status non esset Canonicus qui votis obstrictus non esset. At qui statum Religiosum statu sæcularium perfectiorem esse de fide est: Ergo Monachi debent in omni confeßu Canonicos universos præcedere.* Respondeo negando majorem propositionem quia status religiosus æquè benè convenit per se, Canonicis regularibus,

laribus, quales ante ſecularisationem, omnes ex Apoſtolicâ inſtitutione fuerunt, ut in ſuperioribus ſatis ſuperque juxta dicta pontificia probatum, & de quibus in præſenti materiâ agitur, quam Monachis. Vnde probatio à ſæcularibus petita impertinens eſt; prout etiam minor. Nec enim vult Navarrus quod ſtatus Clericalis ſit perfectior monachali, ſed quod ſit dignior ut clarùm eſt, unde etiam conſequentia nulla eſt, quia in jure præcedendi non attenditur quiſnam ſit perfectior, ſed quiſnam dignior. Cumque clericalis dignitrs competat Canonicis Reg. per ſe, monachis tantum per accidens, benè probat Navarrus his illos eſſe præferendos. *Qui habet de titulis.* Vide ſupra relationem Cardinalis Cicadæ. Vbi exprſsè dicitur: circa præcedentiam non attendi comparationem meritorum ſed ordinum, *ut not. Gemin. in cap. quamvis* cum aliis juribus ibi relatis. Sed pergit Adverſarius.

235. *Monachis* inquit, *Benedictinis, per ſe & ex primævâ inſtitutione ſua competit dignitas Abbatialis, quæ non niſi per accidens competit Canonicis ut de ſe patet, multæ enim Canonicorum commuitates Abbatiæ non ſunt, atqui Abbatialis dignitas excellentior & eminentior priorali eſt,*

ergo

ergo Monachi præcedere debent. Reſpondeo in hoc diſcurſu multa involuuntur, quæ diligentiore indigeant examine. An ſcilicet Abbatia ſemper fuerit dignitas, & præſertim eo tempore, quo S. Benedictus ſuum inſtituit Ordinem, & ſuam ſcripſit Regulam, & in relatione Cardinalis Cicadæ oſtenditur multis argumentis, quod non, ibique expreſsè dicitur, *quod dignitas & privilegium Abbatum noſtri temporis eis competit ex ſpeciali privilegio ſedis Apoſtolicæ de privilegio in h. & infrà propterea*, verba ſunt Cardinalis præfati, *quod dicitur Monachos videri digniores, quia habent Abbates naturaliter, Canonici verò per accidens ut videtur dicere Innoc. in d. cap. cum illorum in verbo Abbat. ubi notant omnes quia Abbatia per ſe nihil eſt, ſed dignitas venit ex poſt facto, eo tempore, quo etiam Canouici habuerunt pro ut habent multos Abbates*: Ita ibi. Tamburinius etiam notat mentionem fieri non ſolùm Abbatum Monachorum ſed etiam Canonicorum in Synodo Aquenſi ſub Gregorio Quarto. circa annum Dñi 800. Vide eum de jure Abbat. *tom.* 1. *diſ*. 26. *n*. 13. ſed & tempore venerabilis Hugonis de S. Victore S. Bernardo Coëtanei Canonicos Reg. S. Aug. qualis ipſe fuit, Abbates habuiſſe

Nota

habuiſſe liquet, ex commentario quem ipſe conſcripſit in Regulam S. Aug. in quo ſic legitur: *Quod ſi in Congregatione non ſit Abbas ſed Epiſcopus, ipſe Presbyteri nomine* (in Regulâ ſcilicet) *deſignatur*. Supponens Presbyterum, id eſt Canonicorum ſuperiorem aliquando eſſe Abbatem, aliquando eſſe Epiſcopum. An denique verum ſit abſolutè quod Abbatialis dignitas ſemper & ubique fuerit excellentior gradû Priorali? ſi quidem Prioratus Lateranenſis Baſilicæ olim eminentiſſimus fuit, & qui in eo gradû conſtitutus erat, olim præcedebat Abbates S. Pauli & S. Laurentii extra muros Vrbis teſte eodem Tumburinio ſup. diſp. 3. quæſt. 4. num. 22. ex Onuphrio lib. de 7. Urbis Eccleſiis. Item Prior S. Andreæ in Scotia in eo regno omnes præcedebat Abbates, ut ſupra meminimus, & uterque, Prior Lateranenſis ſcilicet, & Andreanus, Ordinis fuerunt Canonico-Auguſtiniani. Sed quia hæc omnia & ſimilia ſoluta ſunt à Scipione Lancellotto in allegationibus pro Canonicis Reg. S. Aug. à num. 172, uſq; ad numerum 197. tranſeo ad examen probationis majoris propoſitionis quâ prætendit Aduerſarius, Canonicis Reg. non niſi per accidens,

competere Abbatialem dignitatem, quod ſic conatur probare. *Multæ* inquit, *Canonicorum communitates Abbatiæ non ſunt*. At quis non videat quam nulla ſit hæc conſequentia. Multæ Canonicorum communitates, Abbatiæ non ſunt, ergo Canonicis Regularibus dignitas Abbatialis, non competit, niſi per accidens. Si enim Hæc conſequentia aliqua eſſet ſequeretur & retorqueretur in Caput Adverſarii, quod etiam Monachis Benedictinis Abbatialis dignitas non competeret, niſi per accidens. Equidem multæ Monachorum Benedictinorum communitates, Abbatiæ non ſunt, ſed tantum Prioratus, ut in primis patet in Benedictinis Anglis reformatis qui Duaci reſident, quorum Prior mecum familiari colloquio agens, & ex me intelligens, nonnullos recentiores, velle prætendere & contendere Benedictinos debere præcedere Canonicos Reg. S. Aug. titulo antiquioris Ordinis, in eos invectus ſtatim intulit, ſe paratum eſſe hoc tanquam erroneum, & contrarium ut verum, etiam in ipſâ Academiâ Duacenſi ex Cathedrâ defendere. Patet etiam de multis aliis ex jure Canonico locis citatis à Lancelloto ubi ſupra num. 174. itemque ex Aſcanio *de jure*

Abbatum

Abbatum tom. 1. *disp.* 2. *quæst.* 7. *num.* 3. ac tandem ex ipſomet Adverſario comment. in Reg. S. Benedicti diſp. 124. num. 1573. ubi ſic ſcriptum reperio: *Sub idem tempus plurima S. Benedicti Cœnobia ſolum erant Prioratus, Vallis-oletanum, non erat Abbatiale. Conſtat ex privilegio Eugenii IV. conceſſo Anno* 1437. *num.* 9. *ſic etiam alia ſucceſſu temporis fere omnes Priores abſoluti donati ſunt dignitate Abbatiali.* Idem ſupra eodem num. ſcriptum habetur de Ciſtercienſibus his verbis: *Antiſtites Ciſtercienſium Cœnobiorum Hiſpaniæ in obſervantiæ inſtitutione Priores, non vero Abbates vocabantur* &c.

Hæc apud Adverſarium. Sed quid multis moror? clarum exemplum, hîc, in Belgio hoc tempore habemus in Superiore Monaſterii S. Salvii Ordinis S. Benedicti, qui cum ſolo titulo & nomine Prioris olim audiret, ſpeciali privilegio Urbani VIII. opus habuit, ut Abbatiali dignitate fulgeret, quemadmodum lippis & tonſoribus notum eſt.

236. Ex quibus facilis datur reſponſio ad ea quæ Adverſarius confarcinat in *libra num.* 274. & *ſequentibus uſque ad numerum* 279. nempe ſuperiores Benedictinos etiam Ciſtercienſes,

æquè benè indigere privilegio Pontificio ut dignitate Abbatiali emineant, quam Canonicos Reg. ac proinde ſi illis competat per ſe eſſe Abbates, etiam his hoc idem ipſum competere. Quinimò hoc Monachis tantùm competere per accidens colligit ex Jure Canonico Lancellottus ſup. num. 175.

CAPVT II.

237. VErùm Adverſarius animoſiùs progreditur, arguens num. 279. Canonicos Reg. S. Aug. Aroaſianos, Victorianos, Hiſpanos, Gallicanos & Germanos non eſſe Clericos per ſe, eo quod aliqui ex illis ad profeſſionem admittantur, qui nondum Clericali tonſurâ ſunt inſigniti, eâ ſuo tempore poſt profeſſionem inſigniendi. Ad quod 1. reſponderi poteſt, non licere argumentari ab abuſu, & fortè abuſum eſſe in Ordine Canonico-Auguſtiniano, admittere aliquem ad profeſſionem, nondum Clericatu initiatum, quod non fit in Monaſteriis, per omnia bene ordinatis, unde apud nos, nullus ad profeſſionem admitteretur niſi vel in Clericatu vel in minoribus conſti-

constitutus, competenter denique litteratus, ut habent recentiora nostra statuta, per quæ prisca illa Aroasiana sunt antiquata. Quamquam si secus fieret nunquam auditum sit talem professionem esse invalidam, nam & Clerici Societatis qui etiam militant in Ordine Clericorum, (vocantur enim in Tridentino Clerici societatis) validè professionem primam quâ veri fiunt Religiosi, faciunt, etiamsi actu Clerici nondum sint ut ipsimet mihi, ingenuè super hoc consulti confessi sunt, multi enim eorum post professionem illam, opportuno tempore, ad Clericatum cum sacris ordinibus suscipiendum amandantur. Ordo similiter S. Dominici Ordo prædicatorum & est, & vulgò vocatur & nihilominus, communiter recenter professi nondum actu prædicatores sunt, tales quandoque futuri. Et quamquam multi in eo Ordine etiam sint, fuerintque qui vel defectu doctrinæ, vel facundiæ, vel alterius aptitudinis requisitæ nunquam reaptè prædicatoris munus obierint, non tamen propterea eorum professio desinit esse valida, nec ipsi desinunt dici Prædicatores, ad hæc namque sufficit quod Ordinis sui instituto & titulo tales sint. Et idem est de Canonicis Reg. prædictis,

dictis, qui tametsi actu clericatu præditi non sint, Clerici tamen sunt & instituto & vocabulo, ac eo-ipso quo professionem in Ordine Canonico-Clericali faciunt, debitum quodammodò contrahunt, ut suo tempore si non sint Clerici, fiant, si choro sint deputati ut ferè omnes sunt, pauci enim eique tantùm necessarii, admittuntur conversi. Itaque si non de facto, debito saltem & quidem ex vi Ordinis Canonico-Clericalis talisque professionis, sunt Clerici. Quod non ita habet locum in Monachis ex vi suæ primævæ institutionis, qui ne quidem ex professione suâ Monasticâ Clerici esse debent, ut qui in Ordine Monachorum, non verò Clericorum Canonicorum militent.

238. Vnde in relatione Ioannis Michaëlis & Bernardini Scotti Cardinalium suprà recitatà expresse refertur: *Quod Monachi ex sua institutione sint laici. cap. de Episcop. & Cler. c. generaliter canonisata in can. generaliter* 16. *quæst.* 1. *quinimo de jure non poterant Clericari ut notat præpositus in can. priscis.* 55. *distinct. & in can. requisitus* 1. *qu.* 7. *nisi ex causa necessitatis ut in can. priscis & in can. moderamine, & in can. ex Auth.* 16. *q.* 1. Nec obstat quod aliqui dicunt, hoc tantum

tùm fuiſſe in uſu priſcis temporibus, jam verò ex privilegio ſummorum Pontificum Clericatum Monachis eſſe communicatum. Nam vel hæc ipſa ratio privilegii arguit Clericatum per ſe ipſis Monachis non competere, neque enim neceſſaria ſunt privilegia ubi natura facultatem concedit, inquit ipſemet Adverſarius 3. parte libræ num. 241. & oſtendit exemplo Antonii Prætenſi Regis Portugalliæ quem probat non legittimum Filium Principis Ludovici fuiſſe; ſed nothum eo quod indiguerit Antonius privilegio paterna arma gerendi & ſtemmata ſine lineâ tranſverſali, quæ thori illegittimi character eſt, itemque privilegio legittimationis à Pontifice conceſſo. Sic nec dici poteſt ſtatus Abbatialis, æquè nobilis, quam eſt Ordo Epiſcoporum, ex eo quod aliquis Abbas ex conceſſione ſummi Pontificis ſimul ſit Epiſcopus, nam Epiſcopatus ſolum illi ineſt per accidens, quod autem per ſe eſt tale nobilius eſt illo, quod tale eſt per accidens ut doctè notat Catulle in ſuo motivo juris num. 23. Cæterum Clericatum per ſe competere Canonicis Reg. S. Aug. poſt pontificia diplomata, ampliùs negari non poſſe videtur.

239. Di-

239. Dicere autem Canonicos Regulares S. Aug. Aroaſianos, Victorianos, Gallicanos, Hiſpanos, Germanos non eſſe ejuſdem Ordinis cum Italicis, eſt loqui contra eadem proloquia pontificia, ut ſuprà ſatis ſuperque declaratum eſt. Eſt etiam contra mentem Italorum, Lateranenſium ſcilicet, qui in proceſſu celebri illo ſæpiùs commemorato, cum illis objectũ fuiſſet, à Monachis Caſſinenſibus, quod ipſorum prælati non eſſent Abbates. Reſponderunt in ſuo Ordine non ſolùm in Italiâ ſe habere Abbates; ſed etiam in Galliâ adducto exemplo Abbatis S. Victoris propè Lutetiam Pariſiorum, à quo denominati ſunt Canonici Regulares Victorini, ſeu Victoriani ut alibi dixi. Item in eâdẽ Galliâ Abbatis S. Rufi ſeu Ruffini. De quo in jure Canonico. Can. Statuimus 19. q. 3. & Abbatis in Caſtiliâ qui ſuis Canonicis Reg. confert 22. beneficia, ut habes in ſæpè citatis allegationibus, Scipionis Lancelloti num. 176. & ſequentibus.

240. Quod autem Adverſarius multùm exaggerat quod in antiquis, imò jam antiquitatis conſtitutionibus Aroaſianis habetur de illitteratis, quos ferebat ſimplicitas iſtius ævi, intelligi

ligi poteſt, de junioribus ignaris litterarum latinarum, qui olim ad Monaſteria admittebantur, ut eas ibidem, cum Religioſis moribus, virtutibuſque addiſcerent, imbiberentque. Neque enim ad primam tonſuram requiritur peritia linguæ latinæ, ſed ſufficit quod eâ inſigniendus, ſciat legere & ſcribere (ſaltem vulgari linguâ ſecundum aliquos, inquit, ex recentioribus Ioſephus Auguſtinus Panormitanus in *brevi notitia tit. de Sacram. Ordinis num.* 18.) & fidei rudimenta ſit edoctus.

CAPVT III.

241. VErumenimverò antequam ad reliquas ſolutiones, examinandas progrediamur; juvat advertere, quam infideliter Adverſarius Navarrum producat, ne dicam traducat, & in primis, circa notabilia Navarri, loco ſuprà citato; quæ cum quatuor ſint, ponuntur ab Adverſario quaſi tantum eſſent duo, *quorum primum de notabili differentia inter Ordinem Canonicorum Reg. & Monachorum, ſecundum verò, quod Canonici Regulares laxiori Ordini ſerviant quam Monachi.* Quaſi his duobus nota-

Utor editione Coloniensi 1616

bilibus præmissis, Navarrus incipeat, proponere suas rationes, quibus probet Canonicos Reg. debere præponi Monachis, cum is hoc tantum faciat notabili 4. Itaque Canonicos Regulares Ordini servire laxiori quam Monachos juxta cap. *Quod Dei timorem*, apud Navarrum non est notabile, sed secundum argumentum, ex quinque à Navarro productis, ad probandum primum notabile, quod est de notabili differentiâ inter Ordinem Canonicorum Reg. & Monachorum, quam probat I. ex *cap. Mandamus*. II. *ex cap. citato quod Dei timorem*. III. *ex D. Thoma* 2.2. *q.* 189. *art.* 8. quarto ex eodem S. Thomâ ibidem. V. *ex cap. nullam*. Secundum autem notabile est, quòd Canonicus Reg. non potest transire ad Ordinem Monachorum. 3. Quòd quis potest, de unâ Religione, ad aliam transire. 4. Quòd Ordo Canonicorum Reg. est dignior Ordine Monachorum, ac proinde debeat honorabiliorem locum obtinere. 1. *Quidem* inquit Navarrus, probando hoc notabile ultimum per prædicta quibus probatur *quod ratione finis Ordinis dignitas est consideranda: & quod finis in quem instituti sunt Canonici est dignior fine in quem instituti sunt Monachi.*

Et

Et quod Canonici per se sunt Clerici, non autem Monachi, & Clerici digniores sunt Laicis, & quod Canonici non possunt transire ad Monachos quatenus sunt Monachi, Monachi autem quatenus tales possent transire ad Canonicos. 2. per multa quæ habentur in allegationibus typis excusis multorum eruditissimorum jurisconsultorum factis in favorem Canonicorum coram tribus Cardinalibus &c. Hactenus Navarrus, cujus rationes & argumenta in dictis allegationibus quas sæpè citavimus, ex quibus ea petita sunt, solertèr, & copiosè tractantur, objectionesque nervosè enodantur, adeò ut præfati tres Cardinales rationibus hujusmodi, maturè ponderatis; & Adversariorum sæpiùs ad plenùm solutis objectionibus palmam Canonicis Regularibus adjudicandam censuerint, ut patet ex eorumdem relationibus à Pontifice per se examinatis & veritati ac juri consonis repertis, & sententiâ decretoriâ, nec non brevi executorio Pontificio, quæ quidem expressè mentionem tantum faciunt Canonicorum Reg. Ordinis S. Aug. Congregationis Lateranensis, quia illi nimirum soli cogniti erant in processu; verùm à paritate & identitate rationis, extendenda etiam veniunt ad reliquos omnes Canonicos Reg.

 ejusdem

ejuſdem Ordinis, & inſtituti, idque ex mente, plurium doctorum virorum, & præſertim Navarri Canonici itidem Reg. ejuſdem Ordinis, in jure Canonico, præ cæteris juriſperitis, verſatiſſimi, Romæ diu morati, ibique vitâ functi (mors Navarri Romæ ab omnibus Conſiſtorii & toto Cardinalium Collegio fuit deplorata) & ſepulti, à Pontificibus Maximis Pio V. & Gregorio XIII. magno in pretio habiti, cum Lateranenſibus haud dubiè ſæpiùs converſati, atque adeò hâc de re optimè informati; utpotè ad inſtituti ſui ſtatum ſpectante. Cujus proinde in hâc materiá magna auctoritas eſſe debet, qui eo tempore vixit quo ſententia lata eſt, quique allegationes reciprocas, controverſiæ non ignoravit, multò minùs ea quæ, ut dixi, ad inſtituti ſui ſtatum pertinebant, qui denique doctrinæ ſuæ, cum vitæ integritate conjunctæ, tale à Gregorio XIII. accepit teſtimonium & præconium: *Domini Doctoris Navarri inconcuſſam, ſanctamque è juris penetralibus depromptam eſſe doctrinam non addubito, eoque nomine eum veneror & amplector, præſertim cum eâ eruditione, ſanctitate, vitæque integritate ſit D. Navarrus, ut non niſi ſancta & pia eum ſcribere certò in animùm inducam ac non modò*

ſcribere,

scribere, verùm etiam quæ scribit, vita ac moribus exprimere, æqualem verbis vitam agere optareque ut cæteri in sortem domini vocati se imitentur. Apud Iulium Roscium Hortinum in vitâ Navarri.

242. Hujus itaque tanti Doctoris rationes quâ quantâve facilitate difflet Adversarius (sic enim jactat) superest ut videamus. *Secunda* inquit *objectio. Canonicorum Ordo est altior Ordine Monachorum: ergo debet præcedere, quia tametsi ad vitam contemplativam utrique instituti sint, Canonici instituti sunt ad vitam contemplativam circa mysteria publica, Monachi verò ad contemplativam privatam, & ideò quantum bonum publicum differt à privato, tantùm Canonicorum Ordo ab Ordine Monachorum. Ita Navarrus jam citatus ad dialecticum rigorem reductus & citat. D. Thomam 2.2. q. 189. quo argumento utitur etiam Catulle num. 21.* Cui argumento respondet Adversarius. 1. publica non esse altiora privatis sed manifestiora.

243. Verùm quæ manifestiora, ea etiam illustriora. Vnde personæ publicæ dignitatis & auctoritatis illustres appellantur. Hinc & illustres familiæ quæ publici nominis, cum aliàs privatæ, obscuræ dicantur. Itaque publica non tantum manifestiora, sed etiam altiora si bona

 sunt

ſunt. Exemplo etiam nobis eſt ipſa communitas, quæ reſpublica dicitur; & bonum quo communius, eo divinius. Sunt & officia publica, ſtatus publici & dignitates, publicæ perſonæ, quæ omnia privatis præferuntur, non ſolum quia manifeſtiora ſed quia altiora, ac meliora cæteris paribus, & conſequenter honorabiliora. Per publica verò Navarrus communia intelligit, quæ auctore Ambroſio lib. 1. officiorum cap. 28. eadem cum publicis habentur. *Philoſophi*, inquit Ambro. *formam juſtitiæ putaverunt, ut quis communia, id eſt, publica pro publicis habeat, privata pro privatis.*

244. Reſpondet 2. Clericos inſtitutos ad laudem Dei, & orationem privatam, non tamen Monachos, hi enim tenentur communi & publico officio intereſſe &c. Verùm dicere Clericos ad privata & Monachos ad publica myſteria, vel miniſteria inſtitutos eſſe, eſt jus Canonicum invertere, eſt ætimologiam Monachi pervertere, eſt animum, à dictis patrum Sanctorum, avertere. *Monachus enim Græcè Latinè ſingularis dicitur Can.* 16. *q.* 1. *& Canone Monachus eadem q. Monachus non docentis ſed plangentis habet officium & Can. ſi cupis, eadem q. ſi cupis eſſe*

esse quod diceris Monachus id est solus, quid facis in urbibus? & can. alia. d. q. 1. alia est causa Monachi, alia Clerici, Clerici oves pascunt, ego pascor. &. can. sic vive 16. q. 1. sic vive in Monasterio ut Clericus esse merearis. Hæc ferè ex Hieronymo in jus Canonicum relata sunt. Placet etiam hic audire. D. Thomam loco sæpe citato: *Vtraque Religio inquit, Monachorum scilicet & Canonicorum Reg. ordinatur ad opera vitæ contemplativæ. Inter quæ præcipua sunt ea quæ aguntur in divinis mysteriis, ad quæ ordinatur directè Ordo Canonicorum Reg. quibus per se competit ut sint Clerici Religiosi. Sed ad Religionem Monachorum non per se competit ut sint Clerici ut habetur in decreto 16. q. 1.* Ita D. Thomas, intelligens per divina mysteria, sacrosanctum Missæ sacrificium quod est officium publicum, itemque novæ legis Sacramenta quæ etiam pro bono reipublicæ Christianæ, sunt instituta, denique verbum Dei, publicè in Ecclesiâ prædicandum, & tandem preces publicas, in horis Canonicis sitas, quæ etsi privatim, etiam dum non interfuerint Choro, à Clericis sint recitandæ, publicæ nihilominus sunt, cum fiant vice Christianæ communitatis, ad quæ omnia Clericus, ejusque Ordo Clericalis ordinatur

natur, ut ea primò apud ſe contempletur, deinde contemplata ut alibi ait idem S. Thomas tranſfundat ad laicos ſcilicet, etiam Monachos, quorum officium eſt plangere, non docere, paſci non paſcere. Porrò hoc ſublimius, illud humilius. ſed & hoc hîc obſervandum Navarrum hîc loqui de Canonicis Reg. Adverſarium verò ferè de Canonicis ſæcularibus; & ſic unum de cæpis, at alium de alliis loqui.

CAPVT IIII.

245. PErgit Adverſarius: objectio 3. *Arguit iterum Navarrus licet ſtatus Monachorum ſit arctior juxta dictum cap. quod Dei timorem. ſtatus tamen Canonicorum eſt altior aſſerente D. Thoma ubi ſup. & Cardinali Turrecremata in cap. 1. atqui altiores debent præponi inferioribus, ergo Canonici Monachis.* Reſpondet paucis interjectis: *qui probabitur Canonicos eſſe in ſtatu altiore, nempe in tali cujus rationem jus habeat? in aliqua forte circumſtantia excellet; non ſcio, dubito, ſed per me ſtat: at in multis excellitur. Sed neque hæ, neque illæ, ſed antiquitas debet primo loco aut forte unicè conſiderari.* Sic ille. Contra

tra Respondeo ego: omne fortè habet fortè nõ, ut habet vulgare adagium, & in præsenti materiâ præcedentiæ habitam etiam fuisse rationem, non solius antiquitatis (quæ nostris adjudicata est) sed etiam Clericalis dignitatis, quæ ex jure Canonico jam manifestata est: patet ex brevi executorio Pii IV. sæpe citato, in quo patenter hæc verba leguntur: *Eosdem Canonicos tam suæ antiquæ institutionis hujusmodi, quam etiam Clericalis dignitatis* &c. Ecce Pontifex juxta allegata & probata, pronuntiat Canonicos Reg. S. Aug. esse in statu altiore ratione dignitatis Clericalis quam sint Monachi ut sic: quibus illa dignitas, tantùm competit per accidens, & propter hanc, his illos præponendos judicat. Et interea quærit Adversarius quî probari possit Canonicos esse in statu altiore, nempe in tali, cujus rationem jus habet? sed huic quæstioni satisfacit responsio Pontificia jam data.

246. Tandem Adversarius ad 4. rationem Navarri responsurus, sic eam proponit in suam majorem commoditatem: *Regularium Canonicorum Ordo est dignior Ordine Monachorum, ergo debet præcedere. Probat Antecedens; Canonicorum finis est dignior; ergò & Ordo. Probat hoc antecedens. Canonici*

nici habent Chorum publicum ut finem, Monachi privatum &c.

Hîc subsiste paulisper lector & lege, relege, perlege, si placet, Navarrum; sed solerter, sed fideliter & nullibi invenies, hoc toto summario commentarii 4. de Reg. docere Doctorem illum, Canonicos habere Chorum publicum ut finem, Monachos privatum: sed notabili 2. eum asserere sublimiorem finem Canonicorum Reg. esse actionem ministeriorum Ecclesiæ publicorum; quæ juxta jura citata ostendimus esse pascere & docere, quod per se competit Clericis, Canonicis, Monachis verò quà *talibus* pasci & doceri, quorum unum spectat, ad administrationem sacramentorum, alterum ad verbi Dei prædicationem, ut jam explicatum est. Sed bonus vir, sub specie reductionis probationum Navarri (adde & Andreæ Catulle) ad regorem dialecticum, ita eas sibi accomodat, ut commodius eas in suum commodum solvat, quod sophostarum potius, quam bonorum dialecticorum est. Sed *mentita est iniquitas sibi.* Quare cum hæc non sit probatio Navarri, nec etiam subjuncta solutio ab Adversario, solutio est,

247. Interim vera ratio à Navarro adducta, & pe-

& petita à ſublimiore fine, ad longum deducta & producta eſt à Scipione Lancelloto, in ſuis allegationibus pro Canonicis Reg. cum ſolutionibus replicarum à num. 163. uſque ad num. 172. incluſivè, quæ conſuli poterunt à ſtudioſo lectore apud Aſcanium Tumburinium, Congregationis Vallis-umbroſæ Benedictinum loco ſæpius citato: repeti etiam poterunt, relationes trium Cardinalium deputatorum, coram quibus hæc controverſia ſæpiſſimè, & diligentiſſimè ventilata fuit, quæque Collectæ ſunt ex prædictis allegationibus, ex quibus has ſuas rationes Navarrus ſumpſiſſe videtur, & comperietur, eoſdem Cardinales, eas non difflaviſſe, ſed tanti feciſſe ut propter eas, Canonicis Reg. præferentiæ palmam deberi cenſuerint: quinimo (quod & hîc repetendum eſt) Pius IV. Pontifex maximus in Bullâ teſtatur, has rationesper ſe examinatas, in omnibus ſuis partibus veritati, & juri conſonas ſe comperiſſe. Vel ergo fallitur Pontifex, vel libripens; prius nec ejus pietas, nec urbanitas admittit, quid reſtet ipſe judicet, & gloriari deſinat ſe *Navarrum & alium Auctorem forti urbanitate compeſcuiſſe & vel in ſuam partem adtraxiſſe vel adtrahi debere rationibus claris oſtendiſſe.*

CAPVT V.

248. QUemadmodum cum Navarro, ita etiam cum Catulle (qui alter Auctor est, quem forti urbanitate compescuit Caramuel scilicet) actum est. Dabo aliqua exempla, quia ille, cum adhuc agat in vivis, & mordere possit, & ætatem habeat scientiamque Juridicam, & praxim haud vulgarem, pro se loqui suo tempore poterit, operâ non indigens alienâ, ut supra insinuavi. Itaque quæ eruditus D. Catulle tradit v. g. de statu Canonicorum Reg. & Monachorum antiquo, secundum se, & jura antiqua, Caramuel ut ea facilius eludat, trahit ad eorundem statum modernum, ut observare est in responsione ad objectionem septimam num. 299. & seq. quæ est de transitu Regularium. Similiter quando ille de re disputat, hic differit de solo nomine, ut videre est in responsione ad objectionem 8. num. 305. & sequen. ubi de antiquiore instituto Clericorum Canonicorum, à tempore Apostolorum, juxta pronuntiata Pontificia, quo quidem Canonici Reg. secundum rem instituti

sunt,

ſunt, quamquam non ſub eo nomine (ſicuti Monachi à S. Benedicto inſtituti, non ſtatim; ſed ſucceſſu temporis, dici cœperunt Benedictini, ad diſtinctionem, aliorum exurgentium, in Occidente Monachorum) quod poſtmodum certâ ex occaſione, ſolummodò ſunt conſecuti: neque enim ſicuti à tempore Apoſtolorum inſtitutionem habent, ita ab eodem tempore, ſub nomine Canonicorum Reg. noti fuerunt ſed poſteà, ad diſtinctionem eorum, qui eis recentiores, in Eccleſiâ ſuborti ſunt ut Eugenius IV. in Bullâ notavit, & ſuperius 1. & 2. parte hujus noſtri tractatus tradita docuerunt. Pariformiter quando ille de Ordine Religioſo agit, hic reſpondendo currit ad Ordinem Cardinalitium num. 300. ſic quando, ille loquitur, de habitu Regulari hic cavillatur, de habitu ſæculari, togâ & induſio. num. 345. Item quando ille philoſophatur, de curâ animarum ſæcularium Eccleſiaſticâ, hic reſpondet per Curam animarum paternam ſeu naturalem, atque ita, ſicuti alias dixi, ſic & iterum dico, dum ille loquitur de Cæpis, hic reſpondet de alliis.

249. Inſuper quæ Catulle conjuncta proponit, & ut ſic vim probandi habent, juxta

Regulam vulgatam *quæ non probant singula, multa juvant*. Cap. causam de probat. gloss. in l. 2. verb. legittimus. ff. de excusat. tutor. Caramuel sciens per Philosophiam, *quod vis unita, fit fortior seipsâ dispersâ*, conjuncta disjungit, ut nullam vim probandi habere, simplicioribus persuadeat. Quod advertere est circa probationē secundā minoris octavæ ejusdem objectionis num. 330. & aliquot sequentibus. Dixerat enim Catulle: *Pro certo habetur apud Logicos, quod ea quæ conveniunt in nomine, definitione, & qualitatibus, conveniunt etiam in essentiâ, sed Canonici dictarum Congregationum conveniunt cum antiquis à D. Aug. reformatis in nomine, definitione & qualitatibus ergo* &c. Sic ille. Hic vero num. 332. hæc sic conjuncta, sic distinguit: quasi Catulle dixerit quod ea quæ conveniunt in nomine sint eadem inter se, ut illum pueris & musteis dialecticis risui exponat, non ignorantibus canem domesticum & Cælestem, itemq; hominem vivum & pictum, quamquam convenientes in nomine, non tamen convenire in essentiâ, ac proindeu on esse eosdem inter se. Eodem modo *num.* 337. eadem conjuncta ita distinguit, quasi Catulle voluerit argumentari hoc Modo, quæ conve-

conveniunt in qualitatibus, etiam in essentiâ conveniunt, atqui hi & illi Canonici conveniunt in qualitatibus, ergo etiam in essentiâ, quod si verum est, jam Cygnus, Nix, Cartha, homo, essentiâ & specie conveniunt, cum conveniant in qualitatibus, albedine, frigore &c. Inquit Adversarius. Sed quâ fide hæc agantur judicet fidus Lector, & videat utrum hoc non sit Sophistam agere, & Sophismata in patrocinium advocare, ut fortes & validæ rationes in frusta secentur, ne integræ permanentes, prævaleant.

CAPVT VI.

250. POtueram his digito ostensis, operi supersedere, & Consultissimo juxta ac eruditissimo Domino Andreæ Catulle, suam Apologiam relinquere, tanquam ad hanc plusquam sufficienter idoneo, sed quia eàdem operà facilè ostendi potest, solutiones Caramuelias ad PONDUS SANCTUARII libratas, parum momenti habere, præcedentibus nonnulla, circa easdem solutiones animadvertenda, attexere non gravabor.

251. Itaque circa objectionem quintam & ejus

ejus solutionem; advertendum, eam desumptam esse ex motivo Juris Andreæ Catulle num. 9. nec propositam fuisse tanquam rationem primariam, sed tanquam aliquid ex abundanti. Quod ut intelligatur sciendum est, litem fuisse de præcedentiâ inter Abbatem S. Joannis oppidi Valencenensis, Ordinis Canonicorum Reg. S. Aug. ex unâ, & Abbatem S. Salvii, Ordinis Monachorum S. Benedicti ex alterâ partibus.

252. Circà quam de jure Consultus Dominus Catulle Respondit: sibi videri quod dictus Abbas S. Joannis, in suis finibus, & conclusionibus, obtinere deberet, ex rationibus in eâdem lite sufficienter deductis. Quarum prima erat quod Prior in dignitate, præferendus esset ei, qui eandem dignitatem esset posterius consecutus, quod est certissimi & notissimi juris, essetque in confesso, quod Abbatia S. Joannis quingentis & amplius annis, esset antiquior Abbatiâ S. Salvii. quæ demum erecta fuisset ab Urbano VIII. cum antea Monasterium solum esset sub titulo & nomine Prioratus. Hinc exceptionem fecerat Abbas S. Salvii allegans, quod quamvis, posterius dignitatem Abbatialem suscepisset, nihilominus præcedere deberet, titulo

titulo Ordinis Benedictini antiquioris & nobilioris. Ad quod respondit Catulle num. 6. istum titulum nil operari in hoc casu in quo non controverteretur, quis Ordo Collegialiter præcederet, sed tantùm quis Abbatum illorum, præcedere deberet, quando singulariter ambo concurrunt: adeò ut tota ratio præcedentiæ petenda videretur ex intrinsecâ Abbatiali dignitate, quæ non esset major in uno, quam in alio. Unde etiam num. 7. impertinentem esse asseruit, exceptionem aliam, Abbatis Salviani fundatam in eo, quod esset membrum Orbinis S. Benedicti, & ideo non possit, ab aliis Abbatibus ejusdem Ordinis segregari, sed ratione Communionis, & Connexitatis deberet eorum privilegium sortiri; eamque rejecit respondendo. Ejusmodi privilegium nullibi reperiri, neque in jure communi, neque in particularibus constitutionibus summorum Pontificum, quòd Abbates Sancti Benedicti, factâ comparatione Ordinis ad Ordinem, præcedere debeant, Abbates Canonicorum Reg. imo contra, Canonicos Reg. jure merito de ejusmodi privilegio præcedendi Monachos Benedictinos sese jactare & tueri posse, eo magis quod certum est Benedi-

ctinos non facere in Belgio unum corpus nec habere communionem, aut connexitatem inter se invicem, utpote qui non habent Generalem, aut Superiorem qui sit Caput illius corporis, sed singula eorum Monasteria, singulariter subsunt Episcopis ex vi ipsius Regulæ, & institutione Divi Benedicti, vel Papæ immediatè ex privilegio, per quod ultimum dictum tantùm intendit Catulle evertere secundam illam exceptionem prædictam, & nullatenus concludere inde hoc modo: illa Religio perdit prærogativam præcedendi, quæ non constituit unum corpus, talis est Benedictina in Belgio ergo &c. Item illa Religio perdit præeminentiam quæ caret Superiore generali, talis est Benedictina ergo &c. tertiò Monasteria quæ singulariter debent subesse Episcopis, non debent præcedentiam prætendere, atquì talia sunt ex vi Regulæ omnia Benedictina, quia in Regulâ expressè agitur de obedientiâ Episcopis debitâ ergo &c. ut ipsi affingit Adversarius, ferè dixerim, *arte pelasgâ.* Quia si quis vel à limine, velit salutare, ipsum motivum juris Domini Catulle, nullo negotio intelliget, nil remotius esse ab ejus mente quam ineptos hujusmodi & Chymericos

ricos ſylogiſmos adeo graviter in materiâ peccantes. Igitur quid miri; ſi his facilis adhibeatur ſolutio ab Adverſario qui eoſdem fabricavit, quamvis eos imperitis venditet, quaſi ex Catullæâ officinâ prodeuntes?

CAPVT VII.

253. RAtionem deſumptam à Lateranenſibus & Crutzelingentibus & contentam in objectione ſextâ apud Adverſarium num. 294. pro præcedentiâ noſtrorum Aroaſienſium, ſatis ſuperque ſupra explicavimus, Corroboravimuſque & oſtendimus ſolutiones Caramuelias ad PONDUS SANCTUARII libratas parum habere momenti. Itaque tranſitum facio, cum Catulle, ad tranſitum ex uno Ordine ad alium circa quem verſatur argumētatio Catullæa, comprehenſa objectione ſeptimâ, apud Adverſarium num. 299. hoc tenore; *Canonici Regulares non poſſunt tranſire ad Monachos, Monachi autem quatenus tales poſſunt tranſire ad Canonicos Reg. & probatur ex cap. 1. & cap. Mandamus de ſtatu Monach. atqui ab altiore & digniore Ordine non deſcenditur ad inferiorem, ſed e-*

contra, ergo &c. Et infra. *Certum est Monachos ut tales non posse occupare Ecclesias Cathedrales quarum officium est pascere & regere animas estque incompatibile cum officio Monachorum prout tradit Innocentius parte 1. epist. 2. cap. 10. ad Victorem Episcopum cap. nemo. 16. q. 1.* Ad hanc rationem sub formâ objectionis positam, ubi quædam impertinentia de transitu ad Ordinem Cardinalitium, & de transitu Franciscanorum ad Ordinem Canonicorum Reg. quorum primus non est Ordo Religiosus, secundus vero (ut infra ex Lessio docebo) Franciscanus scilicet, propriè non est Ordo Monachorum, Adversarius respondisset, tandem adducit exempla Monachorum, præsertim Cisterciensium, qui non possunt sine consensu suorum superiorum ad Ordinem Canonicorum Reg. transire; è contrario vero, Canonicorum Aroasiensium qui ad Ordinem Benedictinum & Cisterciensem transierunt, quibus adductis hæc subnectit: *Videat sincerus Lector quam audacter positiones adferuntur ab omni veritate alienæ. Duæ objectæ nimirum 1. Monachos posse fieri liberè Regulares Canonicos 2. hos non posse fieri Monachos: & utramque esse apertè falsam clarissime persuasum est. Sed quia in objectione*

objectione Monachos non posse habere curam animarum subsumitur, hoc etiam esse falsum ostendam. Ita ille. Tum demum pergit hoc ultimum ostendere ex lib. 2. de just. c. 4. dub. 12. Lessy quem probatissimum Auctorem, typi fatigati testantur.

254. Verumenimverò ut ostendam, quantâ temeritate, hæ positiones judicentur, ab omni veritate alienæ; præmittendum quiddam ex eodem Lessio eodem lib. & cap. dubit. 1. n. 2. ubi sic lego. *Nomen Monachi propriè non convenit omnibus Religiosis, sed solis vitæ contemplativæ deditis. Non enim mendicantes propriè sunt Monachi, cum assidue inter homines versentur, & multo minus qui ex instituto sunt Clerici seu Sacerdotes, ut sunt Canonici Reg. & Religiosi Societatis Iesu. Alia enim est Religio Clericorum, alia Monachorum ut constat ex cap. licet 18. de Regularibus. Cap. nullus 1. & cap. Mandamus. 19. q. 3. & aliis multis juribus, in favoribus tamen, nomine Monachorum veniunt omnes Religiosi ut docet Panormitanus in cap. ex parte 2. de postulat. Prælat. & alii Doctores.* Sic Lessius. Ex quo duo habemus: aliud esse Religiosum institutum Clericorum, aliud verò Monachorum, porrò illud primum altioris Or-

dinis esse quam hoc secundum, extra controversiam est: alterum Canonicos Reg. ex instituto esse Clericos non minus quàm sint Religiosi Societatis.

256. His addendum ex D. Thomâ & Navarro, locis infra citandis Monachos posse dupliciter considerari, primò nudè secundum solum suum institutum non Clericale. Secundò juxta Clericatum ipsis accidentaliter & præter suum institutum, adjunctum. Si 1. modo considerentur, Canonici Reg. non possunt transire ad monachos, & tamen hi possunt transire ad illos, & hoc est quod vult Catulle. Si vero 2. modo considerentur sic Canonici Reg. possunt transire ad Monachos, & hoc ostendunt exempla Caramuelis, nec militat contra Catulle, ut qui tantum loquatur de Monachis 1. modo consideratis quod satis indicat dicendo: *Monachos quatenus tales, posse transire ad Canonicos Reg*. quæ doctrina tradita est à duobus, unoquoque in suâ facultate præstantissimis Coriphæis S. Thomâ Principe Theologorum & Navarro Monarchâ juris, quorum prior sic scribit 2.2. q. 189. art. 8. ad 2. *Vtraq; Religio, scilicet Monachorum & Canonicorum Reg. ordinatur ad opera vitæ contemplativæ. Inter quæ præcipua sunt*

ea

ea quæ aguntur in divinis ministeriis, ad quæ ordinatur directè ordo Canonicorum Reg. quibus per se competit ut sint Clerici Religiosi, sed ad Religionem Monachorum non per se competit ut sint Clerici, ut habetur in Decreto 16. q. 1. & ideo quamvis ordo Monachorum sit arctioris observantiæ si Monachi essent Laici, liceret transire ab ordine Monachorum ad ordinem Canonicorum Reg. secundum illud Hieronymi ad Rusticum Monachum. Sic vive in Monasterio ut Clericus esse merearis. Non autem è converso ut habetur in Decreto 16. q. 1. in dicto [Mandamus & universaliter interdicimus, ne quis Canonicus regulariter professus, nisi quod absit publice lapsus fuerit, Monachus efficiatur. 19. q. 3.] Sed si monachi sint Clerici sacris mysteriis obsequentes, habent id quod est Canonicorum Reg. cum majori arctitudine. Et ideo transire licitum erit de ordine Canonicorum Reg. ad ordinem Monachorum, petitâ tamen Superioris licentiâ ut dicitur 19. q. 3. cap. statuimus. Ita S. Doctor, cui subscribit Navarrus Comm. 4. de Reg. in idem cap. statuimus, hoc modo commentans: *Canonicus Reg. non potest transire ad ordinem Monachorum, quod ipsum probat cap. 1. & cap. mandamus. Cujus fundamentum præcipuum est, quod licet status Monachorum sit arctior juxta D. cap. quod Dei*

timorem.

timorem. Status tamen Canonicorum est altior, quatenus finis institutionis eorum, qui est actio ministeriorum Ecclesiæ publicorum est sublimior, ut idem Thomas receptus, ubi supra dixit, & Cardinalis turrecremata tetigit, & ut uterque ait principalius consideratur finis, & id, ad quod instituitur ordo, quam ejus arctitudo ad judicandum, quis ordo est altior, & ab altiore non descenditur ad inferiorem, etiamsi sit arctior. Ex quo sequitur quod ab ordine Monachorum Laicorum, vel Clericorum qui divinis ministeriis non servirent, posset quis transire ad ordinem Canonicorum, ut illi dicunt, & satis probatur in cap. Sic vive. Sequitur item quod Canonicus Regularis potest transire ad ordinem Monachorum qui ministeriis Ecclesiæ publicis ita inseruit, ac Canonici Regulares, &c. Ita ille. Quæ eadem ratio allata fuit coram Cardinalibus in processu contra Cassinenses, ut patet ex allegationibus Scipionis Lancelotti num. 92.

257. Videat igitur sincerus Lector, quantâ audaciâ hæ positiones pronuntientur, ab omni veritate alienæ, quas tanti Doctores hactenus sine ullâ, quod sciam contradictione alicujus viri docti ac gravis tradiderunt. Et hæc quidem de transitu. Restat nonnihil dicendum circa curam anima-

animarum. Circa quam eodem fere modo philoſophandum, nimirum Monachos, quatenus tales, utpote quibus ut ſic competat non paſcere (habere enim curam animarum, Paſtorum eſt, quorum munus eſt paſcere) ſed paſci, juxta Canones & ſanctos Patres, de quibus ſupra ſæpius, beneficiorum Eccleſiaſticorum, tam curatorum, quam ſimplicium eſſe incapaces, ſi verò capaces ſint, non eſſe capaces quatenus Monachos, ſed quatenus Clericos, quibus tales eſſe per accidens contingit; cùm interea Canonici Regulares per ſe tales ſint, ut jam ex S. Thoma audivimus, quâ fit ut capacitas, de quâ loquimur Canonicis, ut ita loquamur, quaſi eſſentialis ſit, Monachis verò tantùm accidentalis, ut quæ in Clericatu fundata ſit: qui, ut dixi, his eſt accidentalis. Notabilis itaque elucet differentia inter Canonicos Regulares, & Monachos, quantum ad capacitatem beneficiorum Eccleſiaſticorum, quâ de re fusè & eruditè Pennottus noſter lib. 2. Generalis Hiſt. cap. 72. ubi & adfert Deciſiones Rotæ pro capacitate Canonicorum Regul. ad beneficia ſæcularia, & exempla aliquorum qui hoc titulo in Eccleſiis Cathedralibus ſæculares Canonicatus adepti ſunt. Notavit hanc diverſitatem inter Ca-

nonicos Reg. & Monachos antiquissimus Scriptor Vitriacus, qui agens de Canonicis Reg. signanter ait: *Animarum curam licitum est eis suscipere, & Ecclesias Parochiales regere.* Sed de his hactenus.

CAPVT VIII.

257. PErgit adversarius num. 304. *Displicet,* inquiens, *in objectione illa ordinis altioris & arctioris intempesta distinctio; videtur enim argumentator supponere præcedentiam non ab antiquitate, sed ab altitudine sumendam.* Ita ille. Verùm hoc tantopere displicere non debet, si placere debeant Pontificia Decreta, in quibus, ut jam superius sæpius vidimus, causa præferentiæ partim antiquitati, partim altiori ordini Clericali tributa est. Displicet vicissim hîc quod Catulle fingatur supponere præcedentiam ab antiquitate, non esse sumendam, quandoquidem statim in initio motivi sui ante omnia hoc præponat, ut jam paulò ante insinuavimus, & deinceps nil magis satagat quam ostendere Canonicum ordinem Monastico antiquiorem, & consequenter huic illum præferendum, quod omissis cæte-

cæteris, ad oculum absque morâ patebit, vel ex sequenti ratione Catullæâ, quæ sub formâ objectionis ab adversario opposita est, num. 305. & est talis:

259. *Status veræ Religionis à Christo Domino institutus in Christiana republica cœpit vigere cum Apostolis, qui fuerunt veri Religiosi, & plantarunt ordinem Clericorum, seu Canonicorum sub certa regula communiter viventium, atqui Canonici Regul. qui modo vigent, sunt vere de illis Clericis Reg. qui fuerunt tempore Apostolorum, postea secundum regulam sub iisdem Apostolis constitutam à B. Augustino reformati. Ergo Canonicorum Reg. ordo est antiquior ordine Monachorum S. Benedicti, qui demum incœpit circa annum quingentesimum vigesimum quartum.* Ita habet syllogismus Catullæus. Sed quid respondet ad hunc Adversarius? *Quis non videat,* inquit, *totum syllogismum laborare, consequentiam legitimam esse confiteor.*

259. Hîc ego; si consequentia sit legitima, sana ergo est, quomodo ergo totus syllogismus laborat? ubi jam est dialectica Caramuelia? sed pergit: *Vtraque*, inquit, *præmissa est evidenter falsa, imo in singulis præmissis multa sunt à veritate remota.* Dictum audax & temerarium, & nisi esset

 ex

ex ignorantiâ profectum, nec veniá dignum. Profectum autem esse ex ignorantiâ, facilè ostendunt hæc ejusdem subjecta verba num. 306. *Temerè controversias molitur, qui nec potest bullas Pontificum, nec Auctorum testimonia allegare, ut Apostolos ordinem Canonicorum Regular. instituisse persuadeat.* Ita ille, qui paulò ante dixerat nec malè: *Summorum Pontificum diplomata certitudinem moralem inferre.* Audiat ergò attentè. Ecce repeto Bullas Pontificias, repeto Auctorum testimonia, quibus persuadeam Apostolos, ordinem Canonicorum Regul. quales sunt Canonici S. Augustini, qui ut hactenus hîc & modo vigent, instituisse, quod habet utraque præmissa, quam ille evidenter dicit esse falsam.

CAPVT IX.

260. PRimus Pontifex summus qui id in bullis asserit, est Paschalis II. in litteris directis Priori S. Frigdiani, quæ in illius Monasterii cartophilaciis servantur, ut testatur Cæsar Franciottus ex cõgregatione Clericorum Regul. Lucensi, Beatæ Dei Genitricis nuncupatâ sacerdos, in historia de miraculosis

Imagi-

Imaginibus, & Reliquiis in urbe LUCA servatis, ubi tractat de Ecclesiâ & Conventu S. Frigdiani, quique illius Monasterii Archivum lustravit, in quibus litteris sic ait præfatus Pontifex: *Vitæ regularis propositum in primitiva Ecclesia cognoscitur ab Apostolis institutus, quam B. Augustinus tam gratanter amplexus est, ut eam suis regulis informaret.*

Secundus est Benedictus XII. in bullâ generalis Reformationis, suo motu proprio emanatâ quæ sic incipit: *Benedictus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam, ad decorem sponsæ Ecclesiæ Dei & sanctarum Religionum fundatarum in ea, &c.* Et infra: *Ideoque inter Religiones alias in agro ejusdem plantatas Ecclesiæ ad religionem Canonicorum Reg. ordinis S. August. ab Christi gloriosis Discipulis in primitiva Ecclesia sacris institutionibus stabilitam gerentes præcipuæ charitatis affectum, &c.*

Tertius est Martinus V. in bullâ Windesemensibus datâ, in quâ sic legitur: *Ad hanc sane mirabilem pulchritudinem quâ splendet & splenduit quasi circumdata mater* [*Ecclesia*] *retroactis temporibus adjecit plurimum ordo vester, qui sicut à suis primordiis post beatos Apostolos Christi, per regularia S. P. Augustini instituta luculenter per orbem effloruisse*

fuisse dignoscitur, &c.

Quartus est Eugenius, hujus nominis IV. in bullà (quæ fuit in actis producta contra Cassinenses pro parte Canonicorum Regular.) directâ ad ipsos Canonicos Reg. qui tunc temporis erant in monasterio sanctæ Mariæ de Frisionariâ, prout habetur in relatione illustrissimorum Cardinalium Ioan. Michaëlis, & Bernardi Scotti superiùs exscriptâ, ex quâ corrigendus est error Adversarii num. 340. sic scribentis: *Respondeo Eugenium agere de Canonicis Cathedralibus ab Aug. reformatis, & de Canonicis Regular. nil agere. Semel saltem intelligar ne sit opus toties eandem positionem negare.* In quâ ratione tripliciter errat, 1. quia dicit Eugenium agere de Canonicis Cathedralibus, cùm agat is de monasterialibus, degentibus in monasterio S. Mariæ de Frisionariâ, testibus duobus Cardinalibus jam productis. 2. quia putat solos Cathedrales fuisse reformatos ab Augustino, cujus contrarium suprà probavimus, itemque Cathedrales olim non fuisse regulares, quod est contra Benedictum XII. qui edidit bullam generalis Reformationis Canonicorum Regul. S. Aug. tam in Cathedralibus Ecclesiis, quam in monasteriis residentium. Semel saltem

ſaltem intelligat, ne ſit opus toties eandem rem repetere. De his, inquam, Canonicis Regul. S. Aug. in Monaſterio Frigdionario reſidentibus ſic proloquitur Eugenius in bullâ quæ incipit: *Cum ad ſanctiſſimam,* &c. *divinam in terris familiam Clericorum qui vitam religioſam ducerent, & ad exemplum naſcentis Eccleſiæ ſanctam inſtitutionem ſervarent quos Canonicos Reg. appellamus.* Ita Pontifex. Ubi attende, Pontificem his verbis inſinuare inſtituti Clericalis antiquitatem: & quamvis appellatio nominis Canonici Reg. ſit recentior, rem tamen eſſe eandem & antiquiore & recentiore nomine indigitatam. Quod hîc obiter notandum eſt, quia Adverſarius fere quoties hîc premitur argumentis Catullæis, toties eò confugit, ut dicat apud antiquos quidem tractari de Clericis Religioſis, non tamen de Canonicis Regular. quaſi verò, Clerici antiqui Religioſi, de quibus in his bullis & in antiquorum ſcriptis agitur, ideo non fuerint Canonici Regul. quia in primitivâ Eccleſiâ, hoc vocabulo non fuerunt nuncupati, quod vanum eſt, quia ut notat S. Thomas, ſup. *Canonicis Regul. competit per ſe quod ſint Clerici Religioſi.* Nec puto Monachos S. Benedicti ſtatim etiam tempore ejuſdem S. Patris Benedictinos,

ctinos, vel tempore Sancti Bernardi Cisterſienſes fuiſſe Bernardinos vocitatos; ſed hoc obiter. Nunc ad bullam Eugenianam, in quâ ſic pergit Pontifex: *Vt hi primæ in terris Eccleſiæ & matris Sanctorum Apoſtolica providentia curam gererent, qui primorum Clericorum normam, traditiones & inſtituta ſectantur. Hujus profecto ſacri ordinis & ſancti propoſiti poſt ſanctos Apoſtolos primum in Alexandrina Eccleſia Marcus Petri Diſcipulus fuit inſtitutor & conditor, & glorioſus Doctor Auguſtinus divinis regulis illud decoravit, &c.* Extat hæc bulla in ſacroſanctâ baſilicâ Lateranenſi, emanatâ à Pontifice, motu proprio, & ex certâ ſcientiâ viſis & perluſtratis omnibus Archivis, monumentis & cartophilaciis antiquis ordinis Canonici, & Eccleſiæ Patriarchalis Lateranenſis.

Quintus eſt Sixtus IV. in bullâ quæ incipit: *Dudum ad univerſos Reg. ordines, &c.* In quâ inter alia ſic ait: *Ad illum præcipuè Canonicorum Reg. Congregationis Lateranenſis, ordinem S. Auguſt. eò libentius noſtræ mentis oculos convertimus, quo ordo ipſe in naſcentis Eccleſiæ ſancta inſtitutione, ac primorum Christianæ religionis Clericorum norma traditionibuſque fundatus, & ſacris inſtitutis ac divinis regulis, eloquiiſque præmunitus exiſtit, &c.*

Sextus

Sextus est Pius IV. in bullâ executoriâ sententiæ à se latæ in favorem Canonicorum Regularium contra Monachos Benedictinos, quæ est inter Constitutiones hujus Pontificis 95. in ordine, in quâ inter alia sic habet: *Qui quidem Cardinales, dictis partibus earumque Procuratoribus & Advocatis, pluries auditis, dubiisque emergentibus ad plenum discußis & resolutis, comperto satis per eos ex compluribus litteris Apostolicis, diversisque aliis documentis, rationibus, & probationibus, quod ipsi Canonici fuerunt & sunt de illis Clericis à S. Augustino, quinimo ab Apostolis institutis eosdem Canonicos, tam suæ institutionis hujusmodi, quam etiam Clericalis dignitatis, quâ eos statim quod profeßionem Regularem emittant insignitos esse oportet, aliarumque qualitatum in eis existentium ratione, dictamque eorum congregationem Lateranensem, præfatos Monachos & eorum congregationem Caßinensem præcedere debere censuerunt, & concluserunt. Vnde nos illorum relatione intellecta, eaque diligenter per nos examinata, quoniam eam in omnibus suis partibus veritati & juri consonam comperimus, per nostram definitivam sententiam pronunciamus, &c.* Quæ verba, dici non potest, quod sint narrativa, & non dispositiva: quoniam, ut patet, sunt dispositiva, post longam contro-

 trover-

troverſiam; hinc inde diſcuſſam & ventilatam: & quamvis eſſent narrativa, tamen ſummus Pontifex, ipsâ narratione intellectâ & diligenter examinatâ, eam in omnibus ſuis partibus veritati, & juri conſonam inveniſſe fatetur, & in eâ fundat ſuam diſpoſitionem. Unde non poſſunt amplius in dubium revocari, nec poteſt aliquis circa illa tergiverſari. Ubi obſervandum pleraſq; probationes Catullæas, in relationibus Cardinalitiis haberi, ut cuilibet conferenti, & ad eas ſuprà exſcriptas, recurrenti conſtare poteſt; & conſequenter circà eas clauſulam hanc Pontificiam etiam habere locum, quâ dicit *eas à ſe examinatas juri & veritati conſonas fuiſſe compertas*: Quarè reſponſiones Caramueliæ, utpotè his contrariæ, nullo modo ſunt admittendæ, quantumvis primâ fronte appareant plauſibiles & ſpecioſæ.

Septimus eſt Pius V. in motu proprio, per quem eoſdem Canonicos Reg. Cong. Lateran. decernit omnes alios Regulares, non mendicantes, & mendicantes, jure præcedere poſſe & debere; jure inquam antiquitatis, & prioris inſtitutionis, in quo inter alia hæc habet. *Cum itaque ſicut accepimus dilecti filii, univerſi Canonici*

Reg.

Reg. Cong. Lateranen. qui ab Apostolis originem traxerunt, quique ab eodem Aug. eorum reformatore iterum per reformationis viam mundo geniti merito prætendere possint se omnes alias personas Ecclesiasticas tam seculares quam Regulares in processionibus & aliis actibus præcedere debere &c. Quæ verba licet narrativa sint, tamen cum inducta sint per modum causæ, & in illis fundetur dispositio Pontificis, evidenter intentum concludunt. Nec respondeatur hîc mihi iterum, Pontifices loqui de Lateranensibus, qui sunt Cathedrales, ne alias compellar hîc iterum repetere Lateranenses de quibus loquuntur Pontifices tres posteriores, Cathedrales non esse modò, nec tunc fuisse quando hæ Bullæ ad eos directæ fuerunt, & quamvis de solis Lateranensibus loquantur, non tamen loquuntur cum exclusione cæterorum Canonicorum Reg. ejusdem Ordinis, non Lateranensium, imo quamvis hos excluderent, nihilominus satis exprimunt Canonicos Reg. S. Aug. ab Apostolis fuisse institutos, quod sufficit ad probandum seu ostendendum præmissas syllogismi Catullæi non esse evidenter falsas, ut falsò prætendit Adversarius. Cæterùm quatuor priores Pontifices, non de

ſolis Lateranenſibus Canonicis Reg. Ordinis S. Aug. loqui in probatulo eſt. Quare Vincentius Parentius J. V. D. in ſuo Conſilio quod integrum exſtat apud *Tumburinum tom. 3. de jure Abb. diſp. 9. q. 8. n. 15.* ſcribere non dubitavit, grave nefas, imo ſacrilegium eſſe contrarium aſſerere, ſic enim habet: *Plures ſummorum Pontificum Conſtitutiones extant hac de re diſponentes, quæ Ravennæ, Venetiis, Arimini & aliis in locis cuſtodiuntur, ex quibus optime ſupra dicta probantur, hos nempe Religioſos à primæva ſui inſtitutione Clericos eſſe, originemque ab Apoſtolis traxiſſe. Quamobrem grave nefas, imo ſacrilegium eſſet contrarium aſſerere cum in hujuſmodi dubitationibus ad ſupremum Romanæ Eccleſiæ Pontificem eſt recurrendum, cujus declarationi omnino ſtandum eſt: L. litteris. Vbi not. de reſt. ſpoliat. & Pontificum decretis non eſſe contradicendum notat. Ioannes Andr. in cap. dilecto de præbend. & cap. tibi de roſer. lib. 6. &c.* Eat nunc Adverſarius & in poſterum dicat, ſi audiat, evidenter falſum eſſe & ab omni veritate remotum, quod ſeptem Pontifices (quorum Diplomata juxta eum faciunt, ſeu inferunt certitudinem moralem) tam conſtanter & unanimiter aſſeverant. Imo contra, pro ſua pietate & urbanitate

nitate his convictus utramque præmissam syllogismi Catullæi concedat esse veram, sicuti confessus est consequentiam esse legitimam; & tandem veritati victrici, colla subjiciens, vel serò agnoscat Ordinem Canonico-Augustinianum, Monastico-Benedictino antiquiorem.

261. Verum quia pro defendendâ hâc veritate, putavit non solùm nos destitutos, Bullis Pontificum, sed etiam testimoniis Auctorum, operæ pretium erit hoc loco quædam repetendo in medium proferre quæ melioris notæ ac fidei Historici cum Pontificibus in hoc puncto evidentèr consentientes tradiderunt.

Horum primum sit Sigiberti Gemblacensis in Chronico sub Anno Domini 1078. ubi sic lego: *Ab hoc tempore cœpit re[fl]orere in Ecclesia B. Quintini Beluacensi Canonicus ordo, primum ab Apostolis, postea à S. Augustino Episcopo regulariter institutus, sub magistro Ivone venerabili ejusdem Ecclesiæ Præposito, postea Carnotensium Episcopo.*

Secundum est Vincentii Beluacensis in speculo historiali lib. 26. cap. 51. & post illum, B. Anthonini Archiepiscopi Florentini in summâ Historiali titulo 15. cap. 16. in fine, qui referens verba Vincentii, sic scribit: *Circa annum*

num Domini 1080. ut refert Vincentius in ſpeculo lib. 26. cap. 51. poſt Sigibertum, tempore Gregorii VII. Papæ, & Henrici Imperatoris cœpit reſlorere in Eccleſia B. Quintini Beluacenſi ordo Canonicorum Reg. primùm ab Apoſtolis, poſtea à S. Auguſtino Epiſcopo & Doctore eximio regulariter inſtitutus, ſub magiſtro Ivone, venerabili ejuſdem Eccleſiæ Præpoſito, poſtea Carnotenſi Epiſcopo, qui poſt Iſidorum fecit compilationem antiquam Decretorum, &c.

Idem S. Antoninus 3. parte Hiſt. ſuæ tit. 42. cap. 14. expreſsè habet quod ſequitur: *Quod autem B. Benedictus, & ejus Religio, ſecundùm regulam ejus, fuerit poſt Auguſtinum, certum eſt. Vnde & Canonici Regul. qui profitentur regulam Auguſtini, utique fuerunt ante Monachos Benedictinos.* Ita ibi. Quod plane coincidit cum cõcluſione ſyllogyſmi Catullæi. Ex quo habes Hiſtoricos non tantùm illius ſyllogiſmi præmiſſas tanquam veras tradere, ſed etiam concluſionem. Porrò Adverſarius nil ſe habere fatetur contra conſequentiam, quomodo ergò, vel quâ ratione quærere potuit? *Quis*, inquiẽs, *non videat totum hunc ſyllogiſmum laborare?*

Quartum eſt Lucidi Hiſtorici lib. 10. de rebus geſtis poſt Chriſti adventum, in quo ſic: *Rubrica de ordine Religioſorum teſtatur, communem Cleri-*

Clericorum ordinem à B. Petro & aliis Apoſtolis inſtitutum fuiſſe, qui deinde ab Auguſtino inſignem & ſingularem regulam accepit.

Quintum eſt Werneri Carthuſiani Auctoris faſciculi temporum, ubi ſic: *Ordo Canonicus cœpit florere in Eccleſia Beluacenſi, qui 1. ab Apoſtolis, poſtea ab Auguſtino eſt regulariter inſtitutus ſub magno Ivone Præpoſito, poſt Carnotenſi Epiſcopo.*

Sextum eſt Raphaelis Volaterrani lib. 21. Antropologiæ, in quo ita legitur: *Ordo autem Canonicus non tam inſtitutus, quam renovatus; ab Apoſtolis enim in monte Sion exordium accepit, qui poſt aſcenſionem, ut ait D. Thomas 2. 2. q. 88. de vitæ genere deliberantes communia inter ſe, ac tria vota coram Deo ſtatuêre, qui ritus à ſucceſſoribus Clericiſque omnibus diu diligentiſſime ſervatus, fideque poſtea deferveſcente deſitus, nunc quoque in Eccleſiis amplius quadraginta perſeverat.* Ita Volaterranus, quem contra Ciſtercienſes objici non debere contendit Adverſarius num. 262. quia putat eum agere de ordine Lateranenſi ſolo, ſed & hîc aliquid humani patitur. Nam Volaterranus ex hoc ordine Canonico prodiiſſe dicit S. Dominicum, & S. Antonium Paduanum, quos quidem prius fuiſſe Canonicos Regul. S. Auguſtini certum eſt,

nullo

nullo tamen modo pertinuiſſe ad congregationem Lateranenſem. Denique ejuſdem Canonici ordinis fuiſſe notat Hugonem & Richardum Victorinos, qui ad congregationem S. Victoris ſpectant. Itemque Iacobum Vitriacum, qui Canonicus Regularis Oigniacenſis, in Belgio fuit, & nullatenus Lateranenſis. Quod etiam confirmatur teſtimonio Iacobi Philippi Bergomenſis in ſuo ſupplemento poſtremæ editionis lib. 14. ubi generaliter loquitur de omnibus Canonicis Regul. S. Auguſtini, & non de ſolis Lateranenſibus. Sit ergo

Septimum. *Sunt omnes iſti Canonici, de quibus paulò ſuperius diximus, unius ejuſdem ordinis cum illis qui habitu lineo regulam Auguſt. profitentes, primùm ab Apoſtolis in primitivâ Eccleſiâ ſunt inſtituti, & per B. Auguſtinum regularibus inſtitutionibus ad communem regularem vitam reſtituti, ut etiam ex præfatis ſermonibus colligitur de communi vita Clericorum & conſtitutionibus & decretis Romanorum Pontificum.* Ita Bergomenſis qui teſtis oculatus eſt multorum antiquorum monumentorum, diplomatum, & Archivorum, in quibus id quod hîc notavit, ſcriptum & teſtatum ſe ſcribit inveniſſe. Vide quæ ſupra ex eodem ad longum

anno-

annotavimus parte post. 2. partis c. 4. num. 139. & seq.

Octavum est Onuphrii, qui etiam testis oculatus est, similium cartophilaciorum, libello de 7. urbis Ecclesiis, ubi in Ecclesiâ Lateranensi sic scribit: *Auctâ fidelis populi multitudine, cum Presbyteri per singulos urbis Romæ titulos distributi essent, iique in suis Parochiis non ita assistere Romano Pontifici possent, Clericorumq; disciplina laberetur, Gelasius Papa circa annum Domini D. Clericos, qui ab arctiori vitæ institut Canonici, id est, Regulares, vocati sunt. Hi Apostolorum & primitivæ Ecclesiæ more secundùm B. Augustini regulam in communi vivebant, Laterani collocavit, qui Presbyterorum veterum, tàm Cardinalium, quàm non Cardinalium loco, basilicæ Lateranensi speciatim addicti, quotidie deservirent.*

Nonum Ioannis Gersonis Cancellarii Parisiensis, viri piissimi ac doctissimi, qui alphabeto 22. littera N. ait: *Regularis vita originem ab Apostolis traxit.* Et alphabeto 42. in sermone de cœnâ Domini dicit: *quod Apostoli fuerunt Canonici Regul. sub Abbate Christo.* Scio Adversarium similia deridere, sed & hoc scio, Gersonem majoris auctoritatis esse quàm Caramuelem. Et hæc

dicta Gersonis sanè non in sensu nominali patet interpretanda esse.

Decimum est Roberti Arboricensis, qui & apud Adversarium non parvæ est auctoritatis. Hic in opusculo de tuendo cœlibatu, sic commentatur: *Canonicos dicimus qui ex communi placito ac voto orationi ac mutuæ bonorum distributioni obnoxii erant. Erat autem hoc veluti elementum quoddam atque exemplar futuræ communionis in ordine Canonicorum, qui triplici voto adstricti, se regulares appellant, quem Augustinus longo post tempore instituens, se ab Apostolico fonte hausisse profitetur.*

Undecimum est Hieron. Plati de bono status Religiosi, lib. 2. cap. 23. quem XII. sequitur Roderiguez tom. 1. qq. Reg. q. 3. art. 1. ubi propositâ quæstione à quo habeat originem ordo Canonicorum Regular. *Respondeo,* inquit, *dicendo, quòd Canonici Reg. ordinis S. August. dicti Lateranenses, ab Apostolis primùm, ut narrant historiæ, traxerunt originem, prout tradit Hieronymus Plati, sed postea à B. Augustino fuit talis congregatio regulariter ordinata.* Vbi nota Hieronymum Platum id docere absque restrictione ad Lateranenses: siquidem verba ejus loco citato sunt: *Itaque Augustinus quoque non tam inventor quàm restitutor fuit,*

atque

atque restaurator hujus Religionis Clericalis, de quâ quidem neminem dubitare video, quin eadem sit, quam modò nominavi, Canonicorum Regularium.

Duodecimum est Auberti Miræi in *Originibus Canonic. Regul. ordinis S. August. Canonicorum Reg. atque in communi viventium institutum ab ipsis haud dubie Apostolis sumpsit exordium; cujus quidem primus Reformator S. Augustin. Hipponensis ex Africâ Episcopus extitit scriptâ regulâ, &c.*

Omitto alios Auctores, quos suprà ex occasione allegavi, & hos omnes oppono iis Auctoribus, quos Adversarius dicit num. 262. militare pro Cistersiensibus, inter quos tamen nullos Duces video summos Pontifices, qui exercitum ducant, prout in exercitu nostro septem ostendimus, qui insuperabiliter dimicant militantque pro Canonicis Reg. S. August. quorum præsidio fratus, Andreas Catulle hostium cuneos penetrabit securus, cujus argumentationes Pontificum oraculis, Cardinalitiis relationibus à Pontifice canonizatis, Historicorum scriptis omninò conformes sunt, Caramuelis autem responsiones planè contrariantur, sed quod contrariatur vero, verum esse non potest: & quia eas subinde superiùs nunc illîc, nunc istîc; nunc ex

illâ, nunc ex istâ occasione rejecimus, ut temporis & laboris compendium faciamus, hinc ad alias ejusdem responsiones residuas examinandas transeamus.

CAPVT X.

263. IN responsione ad objectionem 9. num. 348. quâ ostenditur quòd Abbates S. Auberti & S. Eligii ordinis Canonicorum Reg. S. August. præcedant in Cameracensi & Atrebatensi Diœcesibus ex antiquâ consuetudine, quoslibet Abbates Benedictinos & Cistercienses; non inveniens Adversarius quid diceret contra præcedentiam Abbatis S. Eligii, fingit, nescio quod privilegium in Abbate S. Auberti, asseritque ejus præcedentiam, tantùm locum habere intra mœnia urbis Cameracensis, datque opinionis suæ rationem, hanc nimirum: *Quia in pompâ funereâ Alberti fœlicis memoriæ, Abbas Parcensis ordinis Norbertini fuerit Diaconus & Abbas S. Auberti Subdiaconus.* Sed quàm sit hæc ratio debilis, facilè advertit ille qui non ignorat quòd ea quæ contigerunt in illâ pompâ funereâ circa hujusmodi præcedentias, facta fuerint sine ullo alte-

alterius, cui illa ex jure competeret, præjudicio.

Deinde quòd Parcensis fuerit Diaconus, hoc non factum fuit titulo dignioris ordinis Norbertini, supra ordinem Canonico-augustinianum, sed eo titulo quòd ille esset Archisacellanus Principis. Sed pergit Adversarius: *Accedit*, inquit, *quòd Abbas S. Auberti sit alius ordinis distincti ab Aroasiensi, ut constat ex ipsomet habitu violaceo*. Ita ille.

Sed hæc responsio contra ipsum respondentem adfert insignem antilogiam; jam enim ante paucas lineas dixerat num. 347. *Malè ad vestes recurri, ut Religionum aut unitas, aut distinctio probetur*. Et ecce statim hîc num. 349. recurrit ad vestem, ut Abbatem S. Auberti probet distincti ordinis esse ab Aroasiensi. *Qui sibi nequam, cui bonus?* Certè Abbates Aubertinus & Eligianus in suis respectivè attestationibus à nobis exhibitis in Concilio Gand. nuncupant se ordinis esse S. Augustini.

Porrò ad probandum Abbatem S. Auberti non esse distincti ordinis ab ordine Canonicorum Reg. S. August. ac proinde, nec ab Aroasiensi abundè sufficit testimonium Cardinalis Iacobi

cobi de Vitriaco lib. 2. qui est titulo Historiæ Occidentalis inscriptus: Auctoris antiquissimi, qui *cap. 21. tit. de Regularibus Canonicis sub S. Augustini regulâ viventibus.* In fine hæc habet: *Conventus siquidem Canonicor. Reg. S. Ioannis in vineis Suessionensis, & S. Oberti Cameracensis, & S. Mariæ Blesensis, & S. Nicolai de Oegnies cum quibusdam aliis, quasi pauci racemi, consumpta vindemia, in virtute Religionis, & fervore charitatis, & decore honestatis permanserunt. Ascendentes de virtute in virtutem, & odore bonæ vitæ, & sanctæ conversationis, multos allicientes de mundi naufragio ad congregationem suam tanquam ad securum tranquillitatis portum traxerunt.* Hæc Vitriacus ejusdem ordinis Professor, qui juxta Tritenheimium anno Domini 1220. clarebat, & quinam sui ordinis essent optimè callebat.

264. In responsione ad objectionem 10. num. 351. quâ asseritur quòd Præpositus Cauwenbergensis Canonicus Regul. præcedat Præpositum capellæ Benedictinum, reponit illum esse perpetuum & absolutum, hunc verò amovibilem, & dependentem ab Abbate sancti Sepulchri. De veritate istius facti non inquiro; sed scire debet quòd Abbas Eechoutanus Canonico-Augustinianus

nus præcesserit Abbatem S. Sepulchi Benedictinum Brugis in solemni supplicatione Sacrosancti Cruoris Dominici, quod cautè suppressit silentio Adversarius, quando de eâ egit num. 255. ubi magna confidentia ponitur in nescio quo catalogo Stationum hactenus habitarum Brugis in supplicatione Sacrosancti Cruoris 3. Maji quantùm ad ordinem Abbatum ibidem comparêre solitorum, qui quantæ fidei sit, vel ex eo apparet, quòd discordet ab originali, & signanter, (ut antiquiora non requiramus) circa ea quæ recenti memoriâ contigerunt. Nam exempli gratiâ, hoc in libripendis catalogo ponitur Abbas Eechoutanus dictæ supplicationi interfuisse anno 1620. Item 1628. quod certum est esse falsum, & vel ex ipso autographo ad oculum patet, in quo reperiuntur anno 1620. solummodo tres Abbates interfuisse, Aldenburgensem scilicet, Sanct-Andreanum, & Laudensem; at verò anno 1628. non plures quàm duos, Aldenburgensem nimirum, & Dunensem. Item Abbas Waestenensis ponitur præcessisse Eechoutanum, quod ex autographo constat esse falsum, nã Waestinensis semper cessit Eechoutano. Quibus addendum in Concilio Gandensi ab adm. R. Domino Eechoutano probatum

batum fuiſſe ſe & ſuos deceſſores non quidem ex neceſſitate, ſed ex urbanitate exteris Abbatibus; ut tantò cum majori alacritate & numero ad illam ſolemnitatem plures confluerent cedere conſueviſſe, quæ urbanitas à multis acceptata, ab aliquibus Abbatibus & ſignanter Aquicinctino & S. Sepulchri Benedictinis recuſata fuit, ab illo, Chriſti anno 1494. ab hoc, Chriſti anno 1517. & aliis, quæ urbanitas ſine ratione exhibita fuiſſet Abbati Dulcis-vallis, cùm ea Abbatia filia eſſet Abbatiæ Eechoutanæ, & conſequenter indecens ſi filius præcederet patrem, unde Dulcis-vallenſis ordinariè Eechoutanum eſt ſubſecutus. Vt omittam ex illo ſtationum indice conſtare, in eâ ſupplicatione nō omnino exactam habitam fuiſſe rationem Eccleſiaſticarum dignitatum, ſiquidem Præpoſiti præceſſerunt Abbates, & quidem ordinariè Præpoſitus S. Donatiani Abbates omnes, imò Abbas Bertinicus præceſſit Epiſcopum Sareptanum, quæ urbanitas inde apparet & confirmari poteſt, quòd aliis locis & temporibus Abbas Eechoutanus Ciſtercienſes præceſſerit, ut ex authenticis Documentis in dicto Concilio probatum fuit, nempe anno 1179. in congregatione Cleri Tornaci Arnuldus Abbas de Eechout præ-

ceſſit

cessit Danielem Abbatem de Sonnebeck, ordinis Canonicorum Reg. S. August. Samuelem Abbatem del Los, Danielem Abbatem de Cambron, & Ioannem Abbatem de Thosan, qui tres posteriores fuerunt ordinis Cisterciensis. Denique Brugis in mutatione sigilli Brugensis factâ in phalis anno Domini 1305. Walterus Abbas S. Bartholomæi de Eechout præcessit Guilielmum Abbatem Capellæ, aliàs Thousanum ordinis Cisterciensis, instrumenta utriusque rei dabimus V. parte, ex quibus deducitur, quòd si Abbas Eechoutanus Abbatibus Cisterciensibus cesserit in dictâ supplicatione, id factum ex merâ humanitate ob rationem suprà relatam.

265. In Responsione ad objectionem 11. quæ est de lite, causâ præcedentiæ inter Abbates in civitate Tornacensi S. Nicolai ordinis Canonicorum Reg. S. Aug. & S. Martini ordinis Monachorum S. Benedicti, dicit: *Rationem adeò frivolam esse, ut deberet omninò omitti, nî fuisset à Domino Eechoutano num. 15. & 16. suæ litis proposita.* Verùm dum mentionem facere voluit litis præteritæ inter Abbatem Brugensem Eechoutanum ordinis Canonicorum Reg. S. August. & Abbatem Dunensem ordinis Monachorum Cisterciensium,

recordari debuit Abbatem Brugensem lite vicisse. Habuit ergò prægnantes rationes ob quas victoria à Concilio Provinciali Gandensi illi fuit decreta, quare ergò illas omisit Adversarius? nunquid videntur illi nimis fortes fuisse, seque illis imparem fuisse, parem autem uni debiliori, sicut fieri solet in exercitu, ubi debiles fortibus miscentur, & cum hac debili, pari pede congredi voluisse? ubi nota Caramuelem ad calcem suæ responsionis sic argumentari pro Abbate Martinensi: *Abbas S. Martini causâ non cecidit, ergò ipse jus habebat.* Quæ argumentatio si valida sit, quantò validior erit hæc: Abbas Eechoutanus in causâ triumphavit, ergò habebat jus. Siquidem qui causâ nondum cecidit, ea fortè suo tempore cadet defectu juris; qui autem lite jam vicit, sine jure eam victoriam, nisi provinciale Concilium etiam post evocationem accusare velis, non potuit obtinere.

266. In responsione ad objectionem 12. aliàs 11. sed per errorem, quâ refertur quòd sententiâ supremi Consilii Mechliniensis, Abbas S. Ioannis Valencenensis ordinis Canonicorum Reg. S. Aug. fuerit prælatus Abbati S. Salvii Benedictino. Refert causam hujus prælationis in solam

lam possessionem; sed malè, 1. quia Abbas S. Ioannis non erat in possessione præcedendi Abbatem Sancti Salvii, quatenus talem qui hactenus Abbas non fuerat, quia recenter illud S. Salvii monasterium ex prioratu ad Abbatiam ab Vrbano VIII. elevatum fuit, ut notum est. 2. quia totus processus typis excusus & mihi & Adversario fuit ad manum, & in eo nusquam legitur titulus possessionis allegatus, non ergò eo solo titulo fuit Abbas S. Ioannis prælatus, sed propter rationes in motivo juris ab Andreâ Catulle positas, quas quidem Caramuel reprobavit, sed supremum illud Concilium approbavit; unde etiam statim postea communi amplissimorum Consiliariorum calculo, præfatus Catulle in Senatorem Ecclesiasticum ejusdem supremi Concilii fuit electus seu nominatus, cognitâ nimirum ejus doctrinæ profunditate, quam etiam num. 4. Caramuel est confessus his verbis: *anno 1631. Andreas Catulle motivum juris edidit tantâ eruditione plenum, ut mireris virum sæcularem tot ad hanc Reg. materiam rationum momenta congerere potuisse*, quamvis mirâ inconstantiâ eodem numero ejus speculationes subtiles atque adeò fragiles vocet.

267. In responsione ad objectionem 12. aliàs 13. in quâ allegatur, quòd quando Abbatiæ confugiunt ad civitatem, debeant servare gradum antiquitatis in eâ; atque adeò Dunense monasterium Cisterciense debeat sequi Eechoutanum, utpote in Brugensi urbe antiquius: concedit id nonnunquam inter mendicantes habere locum, quia Leo X. omnes eorundem mendicantium religiones voluit esse æquales, quod an verum sit, non examino, quia contrà scio Pium V. & Clementem VIII. decrevisse Patres Prædicatores ubique debere præcedere reliquos mendicantes, eo quòd in urbe, id est, Romæ, eos præcedant, interea generaliter Monachos illos debere in processionibus præcedere qui prius fuerunt recepti in civitatem, scribit Peckius ad cap. qui prior n. 2. de reg. juris in 6. Dicit præterea Abbatiam S. Ioannis ordinis S. Benedicti Ipras translatam, reliquas præcedere, & non advertit hoc exemplum esse impertinens, quia in civitate Iprensi non sunt aliæ Abbatiæ viriles, ut notum est. Quod autem adfert exemplum Abbatiarum Gertrudanæ Canonicæ, & Vlierbeeckanæ Benedictinæ magis est ad rem. Sed discriminis est ratio in extrinsecâ qualitate consistens, quia nimirum

mirum Vlierbeeana Abbatia habet gradum quendam ſublimiorem in Comitiis Brabantiæ, & titulo Capellani Ducalis honoratur & multis annis fuit Abbatia ante Gertrudanam, ut conſtat ex Miræo de originibus Benedictinorum & Canonic. Reg.

CAPVT XI.

268. IN reſponſione ad objectionem 13. aliàs 14. num. 395. in quâ urgetur quòd in materiâ præcedentiæ nil certi poſſit reperiri, quia dantur mores & conſuetudines contradicentes. Nam in ſupplicatione Iprenſi Præpoſitus de Vormeſelis ſolebat præcedere Abbatem de Zonnebeck, & Abbatem Loenſem, & Prioratus Beatæ Mariæ Valencenis Abbatiam S. Ioannis, ſic reſolvit Adverſarius: *Caſus*, inquit, *particulares fundatos in præſcriptâ aliquâ conſuetudine aut privilegio Pontificio firmare regulas contrarias, adeoq; hunc vel ſimilem caſum eſſe exceptiones Regulæ generalis; nulla enim tam communis, quæ limitationem non patiatur.* Huc uſque reſolutio Doctoris eximii Caramuelis, à quo aveo diſcere quænam in hâc materiâ præcedentiæ, ſit illa regula

generalis? fortè respondebit eam esse secundùm quam primum locum obtinent Benedictini, secundum Cistercienses, tertium Præmonstratenses, ultimum Canonici Reg. S. Aug. sed iterum discere cupio quonam loco juris communis, vel in quibus particularibus constitutionibus summorum Pontificum hæc regula habeatur, timeo autem ne illud quod discere cupio facilè ab eo possim edoceri. Causa timoris est 1. quòd in constitutionibus Pontificiis, quæ disponunt de jure & ordine præcedendi in processionibus, Canonici Reg. cæteris Religiosis præponantur, exstantque de hoc litteræ Alexandri IV. ad Archipresbyterum, & capitulum basilicæ Principis Apostolorum, quæ in Archivo ejusdem basilicæ solent custodiri per Eugenium IV. & Nicolaum V. confirmatæ, quas Canonici Regul. Lateranenses produxerunt in causâ præcedentiæ adversus Monachos Cassinenses, in quibus ita decernitur: *Providâ igitur deliberatione decernimus, & irrefragabili constitutione sancimus, ut Canonici tam sæculares quàm Regulares, & Monachi omnium Patriarchalium Ecclesiarum cum crucibus, & aliis insigniis consuetis, Ecclesiarum verò Presbyterorum, & Diaconorum Cardinalium, & Monasteriorum cum crucibus*

crucibus propriis & vexillis; Archipresbyterialium autem Ecclesiarum, prioratuum & Capellarum, &c. Alii autem Monachi Fratres Prædicatores, minores Eremitæ ac Religiosi alii cujuscumque ordinis cum crucibus in eodem festo processionaliter veniant ad basilicam memoratam. Ita ibi, ubi video primo loco poni Canonicos sæculares, 2. Canonicos Regul. 3. Monachos, 4. Religiosos mendicantes.

269. Altera causa timoris est, quòd Emanuel Rodericus (quem Doctor Caramuel Lobkowitzius in regularibus controversiis versatissimum recolere se dicit, & suspicere num. 22. libræ) tom. 3. qq. RR. q. 37. art. 1. in ordine præcedentiæ, eosdem Canonicos Reg. Monachis præponendos doceat, ex jure Canonico, & Auctoribus probatis; quærit enim loco citato, quis locus cuique Ecclesiasticorum & Regularium in processionibus sit assignandus? & respondet dicendo, quòd Clerici sæculares Religiosos omnes & Regulares debent præcedere, *deinde Canonici Regulares Sancti Augustini*; expressa ejus verba sunt: *Debent præcedere Fratres Divi Benedicti congregationis Cassinensis, aliàs S. Iustinæ de Paula nuncupatæ, prout fuit tempore Pii IV. ventilatum, & tandem obtinuerunt ut refert Navarrus, ubi allegat quandam*

quandam ſententiam Cardinalium deputatorum ad litem hanc definiendam. Refert etiam bullam Pii IV. ſuper hoc editam, quæ incipit. Sedis Apoſtolicæ providentia, ut habetur in bullis hujus Pontificis. Deinde veniunt Monachi S. Benedicti & poſteà alii Monachi juxta antiquiorem inſtitutionem. Poſt alios verò veniunt fratres mendicantes, & Religioſi Ordinis Prædicatorum debent præcedere, prout declaravit Pius V. in quadam bulla quæ incipit. Divina diſponente clementia, quæ habetur inter conſtitutiones Pontificales ejuſdemmet Pontificis. Ita Rodericus in terminis & ſequitur Auguſtinus Barboſa de poteſtate Epiſcopi 3. parte alleg. 78. num. 29. ubi multos citat, qui aſſerunt Canonicos Reg. præcedere Monachos nigros, &c. quibus adjungendus Zypæus in jure pontificio ſuo novo lib. 1. tit. de major. & obed. §. 6. cujus hæc ſunt verba: *Canonici Reg. præcedunt Monachos, & Clerus ſæcularis Regularem.* Et Zerola per Zypæum citatus ait in praxi Epiſcopali par. 1. verſ. proceſſ. §. 4. *Canonici Reg. ut digniores præcedunt Monachos.* Quibus ſine ſcrupulo adſtipulor quia hâc in causâ, meliorem doctrinam à Doctore Caramuele me accepturum planè deſpero; licet alias ingenium ejus & eruditionẽ venerer & ſuſpiciam.

CAP-

CAPVT XII.

270. IN Responsione ad ultimam objectionem miserè vapulat Pater quidam Societatis Anonymus, adeo ut posset doctam ipsam Societatem ad commiserationem & liberationem permovere, eo vel maximè, quod non suâ causâ luat, sed causâ Dominorum Cysoniensium, quos Anonymus Auctor ille à primævâ fundatione factâ ab Everardo Comite circa Annum Domini 838. Canonicos Regulares fuisse contendit nec improbabiliter, quod Domino Caramueli non parum displicere, videtur. Verùm ut Domini Cysonienses prærogativis gaudeant Ordinis Canonicorum Reg. S. Aug. parùm refert, fuerintne hujusmodi Canonici à primævâ fundatione, cum extra controuersiam sit eos à tempore Cælestini Tertii huc-usque Canonicos Reg. Ordinis S. Aug. semper fuisse ut patet ex diplomate ab eodem Pontifice ad eos directo & subnotato.

271. Sicuti enim Alnenses. v. g. ut fruantur prærogativâ Cistercìensium, etiam juxta Adversarium nil obstare videtur, quod à primævâ

fundatione à Sancto Landelino ut aliquibus videtur peractâ, prius fuerint Clerici communis vitæ usque ad Annum 1144. quo quidem anno, Alberone II. Episcopo Leodiensi auxiliante & Radulpho Abbate procurante, prædicti Clerici habitum Canonicorum Ordinis S. Aug. susceperunt, in quo Ordine annos tantùm quatuor permanserunt ut hic refert Adversarius num. 358. nec etiam Dunensibus obesse creditur ut eádem prætensâ gaudeant prærogativa, quod antequam Cisterciense susciperent institutum, Cistercienses per aliquot annos à fundatione non fuerint. Sic enim lego apud Miræum in Chronico Belgico ad annum 1107.

Ligerius Anachorita in Flandrico oceani littore haud procul à furnis, loco Arenoso vitam ducit solitariam. Convenerunt in eadem solitudine viri aliquot Religiosi quibus piè annis 20. præfuit constructo Monasteriolo, quod Ioannes Bonus Morinorum Episcopus dicavit. Id Celeberrimi apud Flandros Cœnobii Dunensis exordium fuit: quod Anno 1138. Cisterciensem disciplinam admisit, & nunc in Vrbe Brugensi floret. Ita Miræus ex quo etiam notavi in viginti facile & amplius Monasteriis partim in Belgio, partim in locis circumvicinis sitis in

quibus

quibus modo viget inſtitutum Ordinis Monachorum S. Benedicti, olim floruiſſe inſtitutum Canonicorum Reg. inter quæ Cellenſe, Criſpinienſe, Tornacenſe S. Martini, Maricolenſe, Trudonenſe, Audaginenſe, Epternacenſe, Staurienſe, Bronienſe ex quo facile colligas etiam in Belgio reſidentiâ Priores fuiſſe Canonicos Reg. Monachis Benedictinis; ita nec Cyſonienſibus obeſſe debet, ut verâ prærogativâ Ordinis Canonicorum Reg. S. Aug. gaudeant, quod tales Canonici à primævâ fundatione fortè non fuerint, modo ab antiquis temporibus ut diximus, ſaltem à tempore Cæleſtini III. qui obiit anno 1198. juxta Onuphrium tales, quales moderno tempore ſunt, fuerint Canonici Auguſtiniani, de quo neminem dubitare video, niſi quem non tam dubitandi neceſſitas tenere videtur, quam voluptas.

Cæterum Anonymus ille Scriptor Societatis de quo ſuprà Cyſonienſes à primævâ ſuâ fundatione, Canonicos fuiſſe Reg. multis indiciis in unum conglobatis, juxta Regulam juris cap. cauſam. De probat. &c. *Quæ non probant ſingula, multa juuant*, probabiliſſimum fecerat. Quia Cyſonium fundatum ab Everardo Principe S.

Auguſtino (cujus inſtitutum Reg. ille in Italia edoctus erat) & nobili Uxore Giſlâ, & S. Monicæ devotis, ſemper fuit nuncupatum Monaſterium, ſicut Marchianenſe, Amandinum, Mervillenſe, inhabitatum à Canonicis in communi viventibus; ſub regimine primùm Præpoſiti, deinde Abbatis, ſimpliciter & conſtanter profeſſis Regulam Auguſtinianam, & regentibus ejuſdem Regulæ Religioſas Matronas: quæ omnia ſimul ſumpta, ſi fidem non faciant, neſcio qualiter DD. Benedictini exempli gratiâ, probare poterunt, æqualis antiquitatis Monaſteria à ſuâ fundatione Ordinis Benedictini fuiſſe: cum multa ſciam iſtiùs Ordinis hoc tempore exiſtere, quorum fundationes ſi legas in Originibus Bened. apud Miræum, non facilè jnvenies æqualia argumenta. Et quidem omnia illa indicia, quæ Anonymus ille protulit admittere videtur Caramuel, ſed more ſuo, multa conglobata, quæ juxta prætactam Regulam juridicam de probati. juvant ad probandum, ita reſoluit in ſingula, ut oſtendat ex illis ſic ſigillatim acceptis, non probari intentum, quod nullus miratur. Mirum tamen, ſi omnia illa indicia, in unum conglobata, rem controverſam,

quæ

quæ facti est & quidem tam antiqui, in favorem Canonicorum Reg. non resolvant: mirum si prædictus Auctor adeo obstupuerit, ut tam stupidè fuerit argumentatus, hoc modo scilicet: omnes qui communem vitam agunt sub aliquo Superiore sunt Canonici Reg. tales erant Cysonienses, ergo &c. Ut prætendit Caramuel primo notabili num. 359. addo falsum esse, ex mente ejusdem Anonymi Cysonienses illos fuisse Clericos vel fratres de vita communi quos Gerardinos vocant, illi enim fundati sunt sæculo nono; hi vero seculo xiiii. nondum nati. Superaddo tabulam Alnensem, quæ tantæ fidei est apud Caramuelem, apud me non esse magnæ. Ratio est, quia in illâ tabulâ Abbatia Alnensis ponitur inchoata à S. Laudelino, cum tamen antiquus Chonographus Fulcuinus Abbas Laubiensis id adscribat S. Ursmaro apud Miræum in Orig. Bened. cap. 10. pag. 44. nam de S. Ursmaro verba faciens in M. S. Chronico Laubiensi *Monasterium*, inquit, *quoque in Alna ipse construxit & Laubiæ subjecit*. In margine vero hæc notata à Miræo: *Alna est hodie Cœnobium Ord. Cisterciensis ad Sabim milliari uno à Laubiis situm.*

Quid si Clerici illi communis vitæ Alnenses

fuerint Can. Reg. relaxati? communis siquidem vita in similibus locis relictum vestigium priscæ vitæ Reg. ut pulchrè declarat Stephanus Tornanensis Epistola 160. quæ est ad Mag. R. Decanum Remensem lectu dignissima ab iis qui exactius informari desiderant circa materiam defectionis illustrium Ecclesiarum à regularitate ad sæcularitatem: posuimus eam integram in vitâ ejusdem Stephani Tornac. Episcopi ex Abbate Genovævæo Ordinis Can. Reg. S. Augustinini, maximi Abbatiæ nostræ Eeck-houtanæ Benefactoris in Agiologio nostro Chronico-Canonico sæculo xiii. & quia à *primævo* statu deformati, ideo ab Alberone II. Episcopo Leodiensi facti Canonici Reg. S. Augustini ad eundem primævum suum statum meritò sunt reformati. Quidni simili modo Prisci illi Canonici Cysonienses primò fundati Canonici Reg. & temporis successu per relaxationem facti sæculares, postliminiò per reformationis viam ad primitivum suum statum sunt reducti? maximè cum Prisci Canonici illi, desertis bonis in particulari communem vitam instituerint, & animam submiserint obedientiæ, curpusque immolaverint castitati, & habuerint conversationem

Tom. 12. part. 2. Bibliothecæ SS. PP.

onem benè regularam sive Regularem, quinimò simpliciter, & constanter sese Augustinianæ devoverint Regulæ, prout D. Lobkowitzius concedere videtur. Quæ quidem omnia illis facta sunt temporibus, quibus juxta Vitriacum Hist. Occid. cap. 13. *in partibus Occidentis duæ tantum fuerunt Regularium diversitates, Monachi scilicet nigri S. Bened. Regulam profitentes, & Canonici albi secundum Regulam B. Augustini viventes.* Hinc argumentor ad hominem: concedit num. 364. saltem Cysonienses illos fuisse de communi vitâ quos probabiliter dicit fuisse Religiosos, *nam & Abbates*, ait, *habebant*; si Religiosi, ergo & Regulares, ergo vel Monachi nigri, vel Canonici albi; Monachos nigros fuisse nulla apparentia, quid restat nisi quod fuerint Canonici albi secundem Regulam S. Augustini viventes. Nam illo sæculo illæ tantùm duæ Reg. diversitates fuere, ut paulò ante Vitriacus declarabat.

Sed & quam bellula est glossula illa, quâ simpliciter & constanter vovere, idem est Caramueli, quod vota simplicia vovere, quasi verò quis non posset dici vota sollemnia simpliciter & constanter vovere, cum simpliciter dictum

ctum opponatur dicto secundum aliquem modum, juxta Philosophum lib. 1. Elenc. 4. quare simpliciter vovere non est vota simplicia vovere, sed absolutè vovere.

Eodem numero 364. *ante Iesuitas*, inquit, *vota simplicia non constituebant veros Religiosos.* Circa quam positionem, peto an illud *ante* extendatur ad prisca illa tempora v. g. sæculum nonum quo Cysonium fundatum, vel ulterius ad tempora S. Benedicti? & si sic: peto de S. Benedicto, S. Placido, S. Mauro, utrum fuerint veri Religiosi? si fuerint; peto utrum per vota simplicia, an per sollemnia? per sollemnia non videtur, nam ad sollemnitatem voti requiritur ut fiat in Religione approbatâ, qualis non censetur ea, quandiu Regula non est approbata: vide Caramuelem num. 81. & aliquot seqq. ubi antiquitatem Ordinis computandam docet non ab institutione, sed approbatione. Unde & num. 144. *quod* si, inquit, *Benedictini Ordinis antiquitatem non jam ab institutione sed à canonizatione computes, doctè procedes, & me habebis adseclam statuentem Regulam approbatam fuisse à Magno Gregorio anno Pontificatus VI. indic. xiii. mense Iulio, id est Anno Christi 595.* Quod si ita

est.

est, profectò hæc diu facta est post mortem horum Sanctorum. Nam S. Placidus Martyrio coronatur Anno salutis 539. ut habet Breviarium Rom. 5. Octobris. S. Benedictus in Domino obdormiivit circa annum 543. ut habet verior opinio. S. Maurus migravit in cœlum anno salutis 565. ut habet Breviarium Rom. 5. Ianuarii. Ergò per vota simplicia; quod si ita, tùm petendum est, an Benedictini moderni qui emittunt vota solemnia, sint ejusdem ordinis cum illis prænominatis Sanctis Placido & Mauro? & si sint, quomodo? cùm vota solemnia & simplicia differant specie? sic multiplicantur quæstiones, & exspectantur responsiones, ex quibus tandem aliquando dari poterunt resolutiones, quid de antiquis & modernis Canonicis Regul. sit tenendum.

Circa Rodulphum filium Everhardi Marchionis fundatoris Cysonii, ejusdem Abbatiæ primum Abbatem, ut tradit Flodoardus lib. 4. cap. 1. 6. & 8. quærit Caramuel num. 370. qualiter Canonicus Reg. S. Aug. esse potuerit, quem Monasterium, & res tam amplas ceu proprias possedisse, & de his testatum esse constat ex eodem Flodoardo? respondeo hæc omnia facilè

facta non per modum proprietatis, sed administrationis, quam olim Canonici Reg. laxiùs usurparunt quam Monachi, de quo prisco administrationis usu historici, qualis Flodoardus, loquentes, incurii distinctionis inter proprietatis usum & administrationis, unum cum alio confundunt, voculam *proprium* impropriè sumentes. De quo Navarrus comm. 2. de Reg. n. 1. & clarius comm. 3. de Reg. pag. mihi 137. Admodum reverendus & eruditus D. Henricus Zypæus Abbas S. Andreæ prope Brugas 1. parte examinis cap. 11. & 2. parte cap. 9. Molanus lib. 1. de Can. cap. 6. & Barbosa de Can. quâ de re uberiori calamo egimus in apparatu ad nostrum Agiologium Chronico-canonicum, in quo per singula sæcula recitantur vitæ illustriorum Sanctorum, qui in ordine Canonico ante & post Augustinianam Reformationem, suo tempore floruerunt; quod speramus favente numine lucem aliquando visurum. Imò Religiosum, quidni & Abbatem? ex concessione communitatis habentis bona in communi posse similia facere docet ipsemet Caramuel lib. 2. Theolog. Moral. Disp. 18. art. 4. num. 887. Nec miretur D. Antagonista nos Flodoardum amplè interpretari, cùm in

hoc

hoc ejus exemplum imitemur, ut qui eundem Historicum nuncupantem Rodolphum Abbatem etiam amplè explicet, dicens: quòd *Abbatiæ Abbatissæq; nomen* apud veteres laxius fuerit quam nunc. Tandem id quod pro coronide addit de ædibus Canonicorum, quas putat olim dictas Monasteria, & Abbatias, eo quòd constructæ & ordinatæ essent claustris, refectoriis, & capitulis, aliisq; officinis Regularibus instructæ ad similitudinem Monasteriorum, quorum tamen inquilinos certum esse dicit semper fuisse sæculares, non ita certum est ac existimat: nam aliud suprà docuimus ex constitutionibus Benedicti XII. Iacobo Vitriaco, Crantzio, Langecrucio, & aliis. Equidem officinas illas Reg. relicta vestigia esse antiquæ illius Regularitatis, testis est Stephanus Tornacensis insigni illâ epistolâ paulòante citatâ ad Decanum Remensem, & Thomas Cantipratanus lib. 2. apum. cap. 39. ubi narrat memorabile & stupendum exemplum de Disciplinâ capitulari Decani Remensis in suum Canonicum & Archidiaconum electum in Episcopum Cathalonensem, ad quos curiosum Lectorem remitto.

CAPVT XIII.

272. EX quibus omnibus hactenus dictis, per quatuor hujus nostri Apologetici partes, ad pondus Sanctuarii, id est, diplomatum Pontificiorum libratis, vera deprehenditur quam initio posui, & Caramueliæ libræ opposui, quamque jam repono.

CONCLVSIO.

273. INter cæteros Religiosos ordines datur in Ecclesiâ ordo quidam Clericorum, *seu* Canonicorum Reg. S. Aug. in Conciliis antiquis, *litteris* Pontificiis, jure Canonico, Breviario Romano, itemque Provinciali Romano, libro taxarum Cameræ Apostolicæ, & in praxi Cancellariæ Apostolicæ, nec non ab antiquis, recentioribusque Historicis, aliisque bonis Authoribus, ac in vetustis Archivis simpliciter dictus (de quo in bullis Pontificiis veteribus ordinariè pronuntiari solet hæc clausula: *In primis statuentes ut ordo Canonicus, qui ibidem secundùm B. August. Regulam dignoscitur institutus, perpetuis temporibus inviolabiliter observetur.* Quæ formula mutari consuevit

ſuevit quando bullæ ad Monachos diriguntur, in quibus ſic ſcribitur: *Vt ordo Monaſticus qui ibidem ſecundùm S. Benedicti regulam inſtitutus eſſe dignoſcitur, &c.* Vbi manifeſta ponitur diſtinctio inter ordinem Canonicum & Monaſticum) quem obſervant Lateranenſes Canonici Reg. in Italiâ, olim Aroaſienſes, & nunc Windeſemenſes, & plures ſine congregatione Epiſcopis ſubditi in Belgio & alibi alii, qui ab Apoſtolis inſtitutus, à S. Auguſtino reſtitutus, ac proinde ordine Monaſtico Benedictino antiquior, per orientalem & occidentalem Eccleſiam, quondam longè latèque diffuſus ut olim in Cathedralibus & Collegialibus Eccleſiis, ſic nunc in Monaſteriis florens, ſpecie infimâ diſtinctus ab ordine Canonicorum Regularium S. Norberti, vulgò Præmonſtratenſium, & ſi qui ſint aliorum, qui à primævâ ſuâ inſtitutione nec ſunt, nec appellantur Canonici Regulares S. Auguſtini.

COROLLARIVM.

274. STat itaque omnes Canonicos Regulares ordinis Sancti Auguſtini Lateranenenſes, Aroaſienſes, Windeſemenſes, &c. eſſe Be-

nedictinis Monachis, & præſertim Ciſterciēſibus ātiquiores,adeoq́; cæteris paribus debere in omni conſeſſu & loco publicè & privatim capitulariter & ſingulariter præcedere, maximè ſi conſuetudinē S. R. Eccleſiæ omnium Matris, & Magiſtræ ſequi velimus, Pontificum decreta, & Cardinalium cenſuras. Stat ſcripta Adverſarii Pontificiis proloquiis adverſa. Stat eundem quod maximè probare opus fuerat ſine probatione ſuppoſuiſſe, & novum ordinem Gervaſianum hactenus ignotum ex antiquis ſcriptis novâ interpretatione procuſis exſculpere, & imaginarium pro vero protrudere fruſtrà voluiſſe, nec non in paucis *non parum* hallucinatum fuiſſe. Stat denique eundem nec ſatis fideliter doctiſſimum Navarrum & D. Andream Catulle tractâſſe, & multò minus eoſdem forti urbanitate compeſcuiſſe, unde neceſſariò convincitur ſententia quæ Dominis Aroaſienſibus favet, utriuſque ſcilicet Concilii, Mechlinienſis & Gandenſis non modò probabilis, ſed vera, ſalvo meliori, &c.

CAPUT ULTIMUM.

275. QUandoquidem D. Libripens in procemio libræ ſuæ glorietur ſe *unum aut alterum Auctorem, cujus magno nomine* nos protegimus, *forti urbanitate* (exaggerat Cenſor in Cenſurâ libræ uſq; ad ſuperlativum gradum *urbaniſſimè*) compeſcuiſſe: operæ-precium erit, quædam ſpecimina fortiſſimæ hujus urbanitatis ſi ſuperis placet, ſub cujus larvâ multi ſarcaſmi & egena ratiocinia, guſtanda propinare, carptim ex libræ relectione & ſuper eam reflexione delibata: nequis exiſtimet nos eundem D. libripendem plus æquo, & ſupra condignum tractâſſe, quaſi prius ipſe nos noſtroſque non provocâſſet, irritâſſet, & ſi dicere liceat, quaſi degradâſſet.

276. Inprimis ſtatum Canonicorum Regul. præſertim Aroaſienſium, per omnes libræ partes ſatis deprimit, & ſuorum Monachorum nimis extollit, & poſt iſtorum victoriam, horum canit triumphum: *Ego* (inquit in procemio) *duarum Religionum, quarum præeminentia diſquiritur, tabulas contuli, examinavi; rationum momenta, quæ ſubminiſtravit æquitas, cum jure & Doctorum opinione*

compa-

composui, & Cistercienses Prælatos reperi. Et infrà: *Audacter enim dicam, vix aliquam ab annis plurimis resolvisse quæstionem, cujus mihi decisio visa sit clarior & securior; tam debiles enim oppositæ sunt opinionis rationes, ut ipse probabiles dici non possint.* Quasi vero superioribns annis rationes Caramueliæ tam in Concilio supremo Mechliniensi, quàm Provinciali Gandensi, cum rationibus Catullæis & Navarræis compositæ, comparatæ, & collibratæ, non fuissent inventæ minus habere: Prout & Bruxellis in Concilio privato, imò & olim in Consistorio Romano, ut facilè constare potest ex diversis juridicis sententiis, relationibusque Cardinalitiis, in quibus argumenta Caramuelia reprobata antequam nata, Navarræa verò & Catullæa probata, suis locis suprà assignatis. Interea dicere non veretur, rationes nostrorum *tam debiles ut probabiles dici non possint.* Imo *per terram & maria à longè esse petitas.* num. 3. libræ.

277. Asserit *DD. Aroasienses fractarum machinarum frusta colligere, & ad nauseam usque explosis ratiociniis armari, & existimare se debere audiri; tametsi de tenebris & caligine solem incusent. Pugnaces* eosdem & *contentiosos* esse suggillat; *& per Andreæ Catulle*

tulle (quem miratur *virum sæcularem tot ad hanc materiam Regularem rationum momenta congerere potuisse*) *subtiles adeoq; nimis fragiles speculationes resumptas, mille & pluribus annis præscriptam Benedictinorum præcedentiam invadere* Sed istæ machinæ adeò nullibi fuerunt fractæ, ut per eas olim, Lateranenses, & nuper bis Aroasienses triumpharint; tam clara est millenaria illa, præscripta præcedentia scilicet. num. 4.

278. De hâc præscriptâ millenariâ præcedentiâ à nostris invasâ, hîc obiter juvat inquirere, ubinam locorum ea viguerit? an in Italiâ? profectò si ibi, maximè in primariâ congregatione Cassinensi denominatâ à principe cœnobio Cassinensi: at tantùm abest, ut illa ibi sit, ut contra jam a centum ferè annis juridicè Monachis Cassinensibus Canonici Reg. S. August. sint prælati, juxta antiquissimam consuetudinem Urbis, ut constat ex relationibus Cardinalitiis suprà; non igitur in Italiâ. Sed fortè in Hispaniâ? Per omnia Hispaniarum regna nolo vagari; dicam quod notorium est, Canonicis Regul. S. August. in Arragoniâ præcedentiam fuisse adjudicatam non solùm præ Monachis, verùm etiam præ omnibus Canonicis secularibus etiam Cathedralibus,

exceptis duntaxat Metropolitanis. Constat ex sententiâ supremæ Curiæ Arragonensis latâ anno Domini 1605. typis editâ Madriti apud Ludovicum Sanchez anno sequenti, quæ sententia continet justum volumen cum rationibus hinc inde allegatis. Sed nunquid in Germaniâ? certè tempore Concilii Constantiensis, hâc de re mota est lis inter Canonicos Reg. S. August. Crutzelingenses prope muros Constantiæ ex unâ, & Monachos in Petri-domo ultra pontem Constantiæ ord. S. Bened. ex alterâ partibus: quam litem in in favorem prædictorum Canonicorum Ioannes XXIII. Papa in dicto Concilio, & *postmodum* Innocentius VIII. terminavit per bullam datam Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1489. V. Kal. Maji, Pontificatus sui anno 5. In Galliâ fortè? Regnum etiam illud vastum est, nec longiùs excurrere placet. De Abbate Genovevæo ordinis Can. Regul. S. August. in urbe Parisiensi legere poterunt Benedictini apud suum Ascanium Tumburinium, qualiter inter cæteras præeminentias, etiam hâc fulgeat, quâ suo in districtu, vel ipsum Archiepiscopum præcedere soleat Parisiensem. In civitate Bisuntinâ Canonici Regul. S. Aug. Abbatiæ S. Pauli in publicis

blicis processionibus immediatè post Cathedrales incedunt & habent duo suffragia in electione Archiepiscopi Bisuntini. De Gallia-belgicâ, vel Germaniâ inferiore quid dicam? nisi quod Aubertus Miræus observat in originibus Cœnobiorum Benedictinorum in Belgio: *In multis vetustioribas Galliæ-belgicæ, seu Germaniæ inferioris Cœnobiis olim non Monachos, sed Clericos, Regulariter in communi viventes, egisse, idq; ex primâ fortasse institutione, ut suis locis* (inquit) *disceptabitur.* Temporis itaque successu Monachi qui alibi præcedunt, sicut Canonicorum Reg. Cœnobia occupârunt, ita jus etiam præcedentiæ eorum ad se traxisse videntur, sed illa præscriptio particularis tantùm est, nam in Cameracensi Archiepiscopatu Aubertinos, & in Diœcesi Atrebatensi, prout & Valencenis Abbas S. Ioannis ordinis Can. Reg. S. August. ex sententiâ supremi Concilii Mechliniensis pręcedit Abbatem S. Salvii ordinis S. Benedicti. Mont-eligianos Canonicos ordinis S. Aug. Benedictinos pręcedere nimis est manifestum. Addo nec millenariam esse, siquidem Regula S. Benedicti in Belgio tempore Synodi Lyptinensis, in quâ constitutum est ut Gallię Germanięque utriusque superioris & infe-

rioris *Abbates & Monachi reciperent Regulam S. Patris Benedicti, ad restaurandam normam Regularis disciplinæ*; Verba sunt prædictæ Synodi quæ habita est anno 743. quâ de re Miræus suprà ex Baronio tom. 9. videtur usitari cœpisse; quære apud præfatum Miræum fundationes vetustissimorum Cœnobiorum, vel ab ipso S. Amando, vel S. Trudone, vel aliis Sanctis factas, & invenies priùs vel Clericos Reg. in eis positos fuisse, vel si Monachos non facilè invenies sub regulâ S. Benedicti. Ubi ergò plusquam millenaria præscriptâ Benedictinorum præcedentia? plura dicerem, si Tisiphonem Megeræ opponere vellem, protestamur interim nos neminem de suâ legitimá possessione detrudere velle.

279. Religiosos ordines num. 8. recensens sub Augustinianâ regulâ merentes post Præmonstratenses, Dominicanos, Hieronymianos, & Eremitanos, ponit Canonicos Reg.

280. Notat num. 49. antiquissima ordinis Cisterciensis Cœnobia, Aurea-vallense scilicet, ac Alnense priùs fuisse Canonicorum Reg. quorum prius cessit anno 1131. posterius verò anno 1148. ordini Cisterciensi missis eo Religiosis ex Clara-valle, ut vel ex hac ordinis mutatione colligere

gere liceat ordinem Canonicum non esse recentiorem congregatione Cisterciensi, quæ num. 63. orta ponitur anno 1098. & longè post approbata, cùm credibile non sit, tam recenter institutos Canonicos Reg. S. August. principium enim fervet, ab antiquissimis illis Monasteriis, Cisterciensibus substitutis, amotos fuisse; saltem vel hinc liquet falsum esse quod infra num. 245. tradit Canonicos Regul. non Cathedrales à paucis annis esse institutos.

281. Ordo Guillelmitanus ponitur num. 64. à Cisterciensi solis statutis diversus. Quidni ergò & Atoasiensis eodem modo poni posset solis statutis à Lateranensi diversus, & quidem majori ratione?

282. In jure præcedentiæ ordinum Religiosorum inter se num. 80. & seq. contendit, solam urgendam esse antiquitatem Ecclesiasticæ approbationis; non verò alias qualitates à jure non consideratas: & interea per totam ferè libram ubi se occasio offert agendi de præcedentiâ Canonicorum Regul. Lateranensium, respectu Monachorum Casinensium: non tam urget Lateranensium antiquitatem, quàm Cathedralitatem, quæ à jure considerata non fuit, ut evidens est

ex relationibus Cardinalitiis, & sententiis sæpiùs commemoratis.

283. Porrò num. 86. laudat doctrinam à D. Catulle traditam in motivo juris num. 10. hanc nimirum: *Indubitatum esse apud Iurisconsultos, quòd licèt duæ qualitates concurrant in uno subjecto, tamen si una ex dictis qualitatibus non consideratur à jure, nil illa operabitur.* Verùm observandum est hoc ideò insinuatum à D. Catulle, quia nimirum Abbas S. Salvii ordinis S. Benedicti, exceptionem fecerat n. 5. contra Abbatem S. Ioannis Valencenis ordinis Canonicorum Reg. S. Aug. antiquiorem, quòd licèt ipse posteriùs assumpsisset Abbatialem dignitatem, tamen in ipso concurreret alia qualitas, ob quam deberet præcedere, eo quòd esset ordinis S. Benedicti, quem ordinem dicebat reliquis omnibus esse nobiliorem. Contra quam exceptionem reponebat D. Catulle dictam jurisconsultorum doctrinam. Poststea verò num. 19. ejusdem motivi: *Concedamus,* inquit, *hîc aliquid nobilitati ordinis esse tribuendum, & præferentiam hanc terminari debere, considerando dignitatem Abbatialem respectivè ad hunc vel illum ordinem, adhuc prævalebit Abbas S. Ioannis, quia nobilior, &c.* Quod usque ad num. 44. multis

tis probat, & tandem concludit: *Quod appellatione nominis, & dignitate muneris, & nobilitate ordinis, Canonici Reg. Benedictinos longè antecellant, & Ecclesia S. Ioannis Ecclesiam S. Salvii.* Quis rem tantillam non facilè capiat? Interea hoc tantum ingenium: *Quid*, inquit, *significent illa verba non capio.* Videlicet jam recitata: *Quod appellatione nominis, & dignitate muneris, & nobilitate ordinis, &c.* Quid enim hîc latet mysterii? nullum prorsus. Dixerat siquidem D. Catulle 1. notissimi esse juris, quòd qui priùs esset in dignitate, præferendus esset ei, qui eandem dignitatem esset posteriùs consequutus. 2. Exceperat Abbas S. Salvii Benedictinus; habendam esse rationem sui ordinis nobilioris. 3. Reposuerat D. Catulle, qualitatem illam non considerari à jure. 4. Concedamus, inquit, idem Catulle illam considerari; adhuc tamen prævalebit Abbas S. Ioannis Canonici ordinis, idque per multos numeros probat. 5. Concludit, & appellatione nominis, & dignitate muneris, & nobilitate ordinis Canonicos Reg. longè antecellere DD. Benedictinos. Quis quæso vel homo de trivio hæc non capiat? Addit nihilominus Caramuel vir adeò ingeniosus: *Sed ad quid hæc omnia, si supponit, omnes qualitates*

quæ non conſiderantur à jure eſſe nullas? Quaſi verò hoc abſolutè ſuppoſuiſſet Catulle, & non potiùs ex abundanti quaſi conceſſione quodammodo tranſire permiſiſſet. Pergit D. Libripens: *Dicam, ad hoc ſolum, ut ſe oblivioni mandâſſe, quæ doctè tradiderat, oſtendat*. O abuſum! quis non videat, quàm conſectaneè ſcripſerit D. Catulle? profectò vel D. Libripens totum motivum juris Catullæum legit vel non: ſi non legerit totum, temerariè judicavit; ſi legerit, certè ipſemet memoriâ lapſus, illius: *Concedamus hîc aliquid ordinis nobilitati tribuendum eſſe*, Quod num. 19. D. Catulle ſcribebat, non eſt recordatus, non ergò Catulle ſuggillandus, nec Caramuel excuſandus.

284. Innuit num. 89. nullam totius orbis Chriſtiani Religionem tot Eccleſiæ Pontifices & Epiſcopos; tot Sanctos Empyreo dediſſe ac Ciſtercienſem; quod ſi verum eſt, prodierunt ex Religione Ciſtercienſi plus quàm ſexdecim millia ſanctorum, quot prodierunt ex ordine Canonico juxta Ticinenſem, vel certè plus quam quindecim millia & quinquaginta novem, quot ex ordine Benedictino juxta Proſperum Stellartium, in fundaminibus omnium ordinum. Sit fides penes Caramuelem.

285. Suſti-

285. Sustinet num. 93. & seq. Lateranenses ex integro per sententiam Pontificiam non fuisse prælatos Cassinensibus, imò parum ipsis Lateranensibus per eam fuisse tributum; nec aliam esse rationem præcedentiæ inter Abbates, quàm congregationum vel ordinum, ut Catulle statuit num. 6. sui motivi conformiter juri Canonico & sententiæ præfatæ: hîc totus fallitur, ut patet ex relationibus Cardinalitiis, & sententiis sæpiùs redditis suo loco, & ex eis contrarium clarè explicatum, nimirum totam congregationem Lateranensem, toti congregationi Cassinensi, communitatem communitati; Abbatem verò promotionis antiquioris Abbati juniori, sine respectu ordinis, fuisse prælatum, ita tamen, ut junior Cassinensis nunquam præcedat.

Quod autem dicit has duas communitates rarò, aut nunquam concurrere, facilè refutatur; nam in relationibus Cardinalitiis expresse habetur, quòd juxta antiquissimam Urbis consuetudinem Lateranenses semper præcesserint Cassinenses, haud dubiè in supplicationibus & similibus actibus publicis, ex quibus frequenter iteratis resultârat antiquissima & manifestissima consuetudo. Nec hinc sequeretur, ut contendit num. 96.

ſententiam Pontificiam aliàs fore erroneam, falſam, & iniquam. Quia revera in tribus juridicè probatis, eſt fundata, nempe majore antiquitate, Clericali dignitate, & conſuetudine, ad quod probandum non opus eſt magnâ ruminatione, ſed ſolâ oculari inſpectione relationum Cardinalitiarum, & ſententiæ ſæpè memoratarum.

286. Tradit nonnullas differentias Abbatum num. 120. inter quos Abbates ſæculares: *Tales dicti quòd Eccleſia cui præſunt, ex Regulari facta ſit ſæcularis*, Ex quo collige Abbates illos ſæculares Regularibus eſſe recentiores. At inter Abbates Regulares ponit diſcrimen, quòd Benedictini tales ſint ex vi regulæ; Auguſtiniani autem Præſules ex vi conceſſi privilegii. Verùm ſi Abbatia ſumatur pro dignitate Abbatiali, Benedictini tales non ſunt Abbates ex vi regulæ S. Benedicti, eo enim tempore quo ſcripta eſt, Abbatia non erat dignitas, idque tradunt ſæpè dictæ Cardinalitiæ relationes.

287. Supra modum vapulat num. 136. & ſeq. B. M. Thomas Cantipratanus, genere nobilis, profeſſione priùs Canonicus Reg. deinde Dominicanus, gradu S. Theologiæ Doctor, ordine Epiſcopus, teſte Georgio Colvenerio, eruditione & ſcriptione

ſcriptione conſpicuus, imò vitę ſanctimoniâ venerabilis; quo titulo repoſitus eſt in Litaniis Sanctor. & Beator. Brabantiæ à R. P. Ioanne à Zichenis Priore Lovanienſi, & Prædicatore Generali; itemque ab Hiachynto Choquetio S. T. D. inter ſanctos Belgii ordinis Prædicatorum. Illuſtrium Auctorum præclara teſtimonia & elogia de Cantipratano videri poſſunt poſt vitam ejus præfixam duobus libris Apum, ceu boni univerſalis, à Colvenerio editis & notis illuſtratis. Hic talis ac tantus Auctor: *Quaſi paſſione nimiâ excæcatus, & affectu ſequiore perturbatus, negligens & ignorans, invidus Cenſor, qui fortè vix prima ſpiritualis regulæ elementa cognoverit, & virus evomuerit in ſummum Pontificem* Suggillâtur, Deus bone quale hoc ſpecimen urbanitatis! non ita Ferreolus Locrius, ſalvo, inquit, Thomæ Cantipratani, qui aliter ſentit honore: non ita Colvenerius notatione in locum lib. 1. cap. 6. à Caramuele adeò inurbanè cenſuratum, ubi & Cantipratanum explicat, & Abbatem Aquicinctinum ac multò magis Pontificem à Simoniâ purgat, ac tandem Cantipratanum à S. Bernardo epiſtolâ 42. non abludere demonſtrat.

288. Ordinem Benedictinum approbatum po-

nit anno DXCVI. ita num. 141. & paulò poſt num. 144. approbationem factam ſcribit anno Chriſti DXCV. idque ſupponit potiùs quàm probet, quod tamen maximè probandum erat; nam in eo vertitur cardo controverſiæ de præcedentiâ, committit ergò ipſemet quod in noſtris carpit. Prodit ignorantiam ſuam num. 159. circa Canonicos Lateranenſes, hodie in Eccleſiâ S. Ioannis reſidentes, quos putat eſſe Regulares, cùm nil certius ſit quàm eos modò eſſe ſeculares; niſi fortè jam à tribus hebdomadibus mutatio facta ſit, de quâ hîc nondum quidquam auditum.

289. Aſſeverat ordinem Benedictinum omnium eſſe antiquiſſimum num. 164. ſuprà tamen num. 95. adſtruxerat; Caſſinenſes Benedictinos in celebri lite centum annorum, nunquam probâſſe ſe antiquiores eſſe Lateranenſibus; & quia Caſſinenſes intentum non convicerant, non potuiſſe illis adjudicari præcedentiam. Quomodo autem hæc cohæreant viderit ipſe.

290. Contendit perſuadere num. 169. celebrem illam litem inter Lateranenſes & Caſſinenſes, non tam ſecundùm allegata & probata, quàm motu proprio, & ad nullius inſtantiam fuiſſe terminatam.

minatam; quod quàm frivolum ſit, claret ex hiſce ipſius juridicæ ſententiæ verbis: *Cauſa hujuſmodi ad plenum ventilata, ac ſæpius auditis partibus, & dubiis in eâ plenè diſcuſſis & reſolutis, ac viſis de jure videndis, & demum per dictos Cardinales nobis maturâ deſuper factâ relatione pronuntiamus, &c.* Itemque ex verbis executorii Pontificii, quę ſic ſonant: *Qui quidem Cardinales dictis partibus, earumq; procuratoribus, & Advocatis pluries auditis, dubiiſq; emergentibus ad plenum diſcuſſis & reſolutis, comperto ſatis per eos ex compluribus litteris Apoſtolicis, diverſiſq; aliis documentis, rationibus, & probationibus, quod ipſi Canonici, &c.* Certum igitur eſt litem terminatam eſſe ſecundùm allegata & probata. Cur ergò ibidem mentio motus proprii plùs quàm ſemel? Reſpondeo, Pontificem motu proprio controverſiam ab aliis judicibus ad ſe avocâſſe. Vide notam 8. itemque ſimili motu proprio rei maturè diſcuſſæ, & judicatæ providiſſe ne ampliùs in controverſiam retraheretur, providiſſe. Vide notam 12. num. 163. talem motum proprium urgens non eſt hallucinatus Catulle, ut ei Caramuel affingit; quare nec Ironicè tractandus fuit ſequentibus verbis: *Sanctus eſt & pius, & quia ſincerè loquitur, tam quæ ſibi favent,*

quàm quæ nobis, adducit. Et hæc eſt, ſi ſuperis placet, urbanitas Caramuelis.

291. Carolus Magnus num 172. aſſeritur obiiſſe anno 814. infra verò num. 181. poſt annum 900. ponitur adhuc floruiſſe. Malus ictus. Intelligenti pauca.

292. Concludit num. 172. Regulares Canonicos quadringenteſimo quinquageſimo ab Auguſtini morte anno nundum fuiſſe inſtitutos, reclamantibus tot Pontificum & Hiſtoricorum teſtimoniis, quibus conſonat continua à tempore Gelaſii I. uſque ad Bonifacium VIII. per octingentos annos Canonicorum Reg. reſid*entia in* Eccleſiâ Lateranenſi, & aliis Eccleſiis, quæ quo tempore ad ſæcularem ſtatum ex Regulari deſcenderint, ſuo loco ex profeſſo notabamus.

293. Profertur teſtimonium Petri Abailardi in quo S. Norbertus vocatur Reformator, ſeu Reſuſcitator Canonicorum Reg. ſicuti Bernardus Monachorum, quo probetur Præmonſtratenſes eſſe ſeniores Canonicis Reg. S. Auguſt. miſera probatio. Quaſi verò Bernardini eſſent ſeniores Benedictinis Monàchis, eo quòd S. Bernardus ab Abailardo dictus ſit Reformator Monachorum. Sic nec Præmonſtratenſes antiqniores

ſunt

ſunt Canonicis Reg. S. Auguſt. quantumvis S. Norbertus ab Hæretico illo dictus ſit Canonicorum reſuſcitator. Quis demùm non videat Reformandos Reformatis eſſe antiquiores? Sanè noſtri temporis Sectarii vocant prætenſam ſuam Eccleſiam Reformatam, & Catholico-Romanam putant à ſuis fuiſſe reformandam, ex quo noſtri concludunt prætenſam ſuam eſſe recentem, & nuperam, noſtram verò priſcam illam & antiquam. An non poſſet hîc retorqueri in Caramuelem, quod is in Catulle num. 169. jecerat: *Sanctus & pius eſt, & quia ſincerè loquitur, tam quæ ſibi favent, quàm quæ nobis, adducit?* Nihilominus confidenter hoc num. 178. in fine quærit: *Cur audiendi eſſent, qui hucuſque Præmonſtratenſes debuerunt ſubſequi, & hodie novâ animoſitate conceptâ, contendunt audacter, vel Caßinenſibus ipſis præponi?*

294. Infert num. 183. ex eo quod Aroaſienſes nec Cathedrales, nec Collegiales ſint, eſſe ordine diverſos à Lateranenſibus, quos ſolos ferè putat eſſe de Reformatis à S. Aug. quod abundè refutatum eſt 1. & 2. parte.

295. Tandem num. 184. Gervaſium quendam hactenus obſcurum, illuſtris ordinis Aroaſienſis Inſtitu-

Inſtitutorem protrudit, & quod magis mireris, deducit num. 185. *Aroaſienſes eſſe Ciſtercio-canonicos, aut ſi malis Canonico-ciſtercienſes.* Quæ hactenus ſunt inaudita, de novo inventa, & non niſi prophanæ vocum novitates.

296. Suggillat num. 187. juniores irreverentes deficere ab antiquioribus Scriptoribus, præſertim Vitriaco, qui Aroaſienſes non minùs diſtinguit ab aliis Canonicis Regul. quàm Præmonſtratenſes: *Vt novas*, ait, *ambitiones alant.* At non advertit eundem Vitriacum diſtinguere eodem libro ordinem, ſic vocat, Ciſtercienſem ab aliis Benedictinis, à quibus tamen D. Libripens *ſuſtinet Ciſtercienſes non eſſe ordine diſtinctos.*

297. Carpitur D. Catulle num. 189. quaſi convictus erroris, circa differentiam Canonici Reg. & Monachi ſtrictè ſumpti; verùm erraritne Catulle, an Caramuel, colligi poterit ex iis quæ diximus primâ parte num. 38. ubi oſtendimus D. Catulle conſonare D. Thomæ, Navarro, Roderico, & aliis.

298. *Canoniſtæ*, inquit num. 190. *Chronologiam objeci. Malus ictus; Iuriſprudentia enim ſine Chronologiâ nil valet.* Verùm Theologiam nil valere ſine Chronologiâ Eccleſiaſticâ, dicebat Guillel-

mus

mus Eſtius eximius Theologus: quàm magnus autem Chronologus fuerit D. Caramuel oſtendi part. 3. cap. 6. num. 210. & ſeq. & perſuademus nobis non parvum eſſe errorem contra tot Pontificum & Hiſtoricorum, inſtitutionem Canonicorum Reg. S. Auguſt. referentium ad Apoſtolorum tempora teſtimonia ſuprà paſſim citata, exiſtimare eoſdem Canonicos Ciſterciēſibus eſſe poſteriores.

299. *Conſequens eſt*, inquit num. 196. *ut ſe non eſſe omninò & verè Canonicos credant, ſed potius Canonicis & Monachis medios, utrimque aliquid participantes, nimirum mores & vitæ auſteritatem à Monachis, à Canonicis nomen, & præter id nil.* Quæ quamquam ſæpiùs à me ſuprà ſint refutata, ex abundanti tamen placet huic opinioni opponere doctrinam noſtri temporis eruditiſſimi Canoniſtæ Auguſtini Barboſæ, qui tractatu de Canonicis, edito Lugduni anno 1634. hæc habet cap. 1. num. 7. probat Canonicum Regul. eſſe propriè Canonicum, num. 8. Canonicatus appellatione venire etiam Canonicatum Reg. num. 9. ait Canonicos Regul. ſubdividi in duas claſſes, quarum una eſt illorum qui in Eccleſiâ Cathedrali Reg. altera eorum qui in non Cathedrali reſident,

num. 40. Canonicos Regul. Cathedrales & non Cathedrales, & ſignanter Aroaſienſes eſſe ejuſdem ordinis & conditionis: ac tandem num. 41. Canonicos Regul. in pœnalibus, & exorbitantibus non comprehendi appellatione Monachorum, pro quo multos citat Auctores, quibus ſubſcribit D. Catulle, quem Adverſarius in hoc puncto vult erràſſe, cùm tamen D. Catulle ſuæ doctrinæ tot Iuriſperitos habeat adſtipulatores.

300. Iterum D. Catulle per ironiam num. 203. vocatur *Integerrimus Iudex & aſſertor veritatis ſincerus, quaſi qui non ſolum ea quæ DD. Canonicis proſint, ſed & illa quæ obſint, ſummâ animi ſinceritate publicet.*

301. Denique num. 205. contendit ſententiam Catulle de anno originis congregationis Aroaſienſis eſſe certum errorem; quod ut probet, ita delirat, ut dicat Catulle ſecutum continuatorem Sigiberti, Molanum, Miræum, uſos tabulis Aroaſianis Mendoſis, in quibus, ut conſtare vult ex notis Andreæ Quercetani Turonenſis, editis Pariſiis cum aliis operibus anno 1616. Cono obiiſſe dicitur anno 1617. quis non Davus, ſed OEdipus capiet quod antiquiſſimæ illæ tabulæ, quas antiqui Scriptores, Continuator Sigiberti, & Molanus

nus sequuti sunt, adeò Mendosæ fuerint, ut Cono qui tot sæculis ante illos obiit, nempe juxta Ioannem Picardum, notâ in epistolam 186. S. Bernardi anno 1117. 5. Idus Augusti in illis ponatur obiisse anno 1617. tanto tempore post obitum Continuatoris Sigiberti & Molani, imò ponatur adhuc vixisse, quando editæ sunt notæ Quercetani anno 1616. *Quis sapiens & intelliget hæc?* ut quis notetur mortuus tempore non præterito sed futuro? In catalogo cœnobiorum Aroasiensium num. 229. ponitur secundo loco cœnobium S. Mariæ Symiacensis, quod mendum est, emendandum ergò, & pro *Symiacensis* reponendum *Henniacensis*.

302. Mirâ hallucinatione num. 230. congregationes Aroasienses Victorina, Windemensis creduntur ordines diversi, & a Lateranensi distincti, quæ explosa per ea quæ diximus 1. & 2. parte.

303. Fatetur tandem num. 242. Lateranenses obtinuisse præcedentiam respectu Benedictinorum, non privilegii prætextu, sed ratione veræ antiquitatis; *post magnas difficultates & probationes*, inquit.

304. Ex eo quòd Dionysiano-Cysonienses non

ſint Cathedrales, infert num. 245. non poſſe eos contendere cum Benedictino-Ciſtercienſibus, de loco & antiquitate, quàm autem hæc ſit invalida illatio, qui *Pondus Sanctuarii* vel à limine ſalutaverit videt, ubi ſæpiùs probatum eſt Canonicos Regul. Cathedrales & non Cathedrales, eſſe ejuſdem ordinis, & in ſententiâ Pontificiâ in favorem Canonicorum Regul. ordinis S. Aug. latâ, nullam habitam fuiſſe rationem Cathedralitatis.

305. Sic argumentatur Caramuel num. 254. Parcenſis Abbas Gertrudanum & alios Canonicorum Abbates præcedit, ergò Canonici Regul. ſunt multò juniores Norbertinis: quæ argumentatio ſi valida ſit, non erit etiam hæc invalida, Abbates ordinis Canonicorum Regul. S. Aug. v. gr. Aubertinus, Mont-eligianus, Valencenenſis, præcedunt Abbates Monachorum Benedictinorum; Ergò Monachi Benedictini ſunt multò juniores Canonicis Regul. S. Auguſt. poſſumus & nos etiam datâ occaſione dialecticari.

306. Navarrus ſi præcedentiæ Canonicorum Regul. Non-Lateranenſium faveret, foret peſſimus Dialecticus, juxta Caramuelem num. 262. Reſp. non foret, nam optimè argumentatur à paritate

ritate rationis : & ubi eadem eſt ratio, eadem lex ſervari debet, ut habet trita regula juris.

307. Producitur Volaterranus num. 263. quaſi affirmet lib. 21. Lateranenſem ordinem olim habuiſſe 4000. Monaſteria, ſed ſuo tempore vix 60. quod quàm ſit delirum, ſi intelligatur de Congregatione Lateranenſi, patet vel perfunctoriè ipſum Volateranum inſpicienti, qui 1. agit de ordine ipſo Canonico : Deinde aliqua interſerit de congregatione Frigionariâ, quam poſteà appellatam ſcribit Lateranenſem ab Eugenio IV. hinc regrediens ad ordinem Canonicum, cujus ortum & progreſſum priùs delineaverat : *Nulla*, inquit, *magis Religio propagavit, cujus cœnobia olim in Europâ ad* 4555. quod non poteſt intelligi de congregatione Lateranenſi quæ Italiam vix excedit, ſed de ordine ipſo Canonico, prout eum ſpectavit Benedictus XII. diſperſum per totum orbem Chriſtianum, ut conſtare poteſt ex §. 19. Conſtitutionum ejus, de quo vide ſuprà 1. part. cap. 6. num. 18. pag. 21. deinde pergit Volaterranus: *In Italia* 700. *hodie autem vix* 60. quæ etiam non poſſunt intelligi de congregationis Lateranenſis cœnobiis, quorum catalogum habet Pennottus Gener. Hiſt. lib. 3. cap. 48. in cujus fine ſcribit:

Sunt igitur omnes Abbatiæ, quæ post reformationem Frigdionariam ad nostram congregationem spectaverunt num. 45. *Prioratus* 56. *Præposituræ* 21. *Archipresbyteratus duo.* Porrò eundem Volaterranum agere de ordine Canonico quatenus in se continet varias congregationes, præter eas quas ipse recensuit, evidens est ex viris illustribus quos ibi profert, qui Canonici fuerunt ordinis, sed non Lateranensis congregationis, de quibus part. 1. cap. 18. num. 47.

308. Non minus delirum est quod Pennottus jam commemoratus protrudatur num. 268. quasi subscribens sententiæ Auctorum in specie faventium præcedentiæ Benedictino-Cisterciensium, quod tantùm abest, ut contrarinm Pennottus ex professo doceat. Nam lib. 2. cap. 68. per totum, propugnat Canonicos Regul. congregationum quas antè enumeraverat (inter quas & Aroasiensem suo loco collocat) essentialiter esse unius & ejusdem ordinis inter se, & cum antiquis Canonicis ab Augustino & Apostolis institutis. Et infra eod. lib. cap. 71. num. 3. concludit his verbis: *Hinc deducitur omnes Canonicos Regulares qui sunt verè de illis à D. Augustino & Apostolis institutis, ratione prioris illorum institutionis, & etiam Clericalis*

calis dignitatis, quæ illis per essentiam & non ex accidenti inest, omnes Monachos præcedere debere; licèt in dictâ sententiâ de solis Lateranensibus mentio habeatur, &c. Eodem verò libro cap. 70. de Præmonstratensibus sic determinat: *Præter Canonicos Regulares*, ait, *quos hactenus recensuimus, sunt alii ordines Canonicorum sub D. Augustini regulâ militantium, licet non sint de illis per D. Augustinum, vel Apostolos institutis, sed per nonnullos pios & sanctos viros postmodùm fundati, &c. Horum primus est ordo Canonicorum Regul. Præmonstratensium.* Ita Gabriel Pennottns congregationis Lateranensis non semel Rector generalis.

309. Navarrus notatur num. 273. suas rationes rudi modo proponere, ut moris illis est qui non sint professi Dialecticam. Verùm Navarrus magis intendit oculum in Dominam, quàm in ancillam.

310. Rationem Navarri & Catulle num. 273. petitam ex Clericatu, per se Canonicis Regul. competente extenuans: *Quis*, inquit, *non videat argumenti istius debilitatem.* Cùm tamen ea fortissima fuerit ad operandum præcedentiam in Canonicis Lateran. respectu Cassinensium Monachorum, ut videre est in relationibus Cardinaliis,

tiis, quas in juredicundo Pontifex est sequutus. Eas recitatas habes part. 2. num. 157. & seq.

311. Asseritur num. 273. in materiâ præcedentiæ non considerari clericatum, sed num. 277. Palinodia canitur, & Clericatum secundariò ad præcedentiam conducere statuitur, propter rationes Cardinalitias, & Pontificias bullas.

312. De Aroasiensibus num. 279. *Quid Erasmus, quid alii qui neminem indoctiorem Monacho ausi sunt dicere, effutirent si legerent istam periodum?* Sed non absimilem periodum lego in regulâ S. Benedicti cap. 58. de Novitio Benedictino professionem facturo, ubi sic ad verbum: *Quam petitionem manu suâ scribat; aut certè si non scit litteras, alter ab eo rogatus scribat, Et ille Novitius signum faciat, &c.* Quinimò de Clericis & Canonicis quibus prçscripta est institutio Aquisgrañ. an. 816. hęc habes in epilogo: *Vt qui hæc aut legere, aut fortè ab aliis lecta plenè intelligere nequiverunt, utantur hâc defloratione.* Pergit Caramuel: *Cœcus es, si adhuc contendis Aroasienses esse Clericos per se & quidditativè*, sed cœcus interdum, videntem cœcum vocat.

313. *Vides*, inquit, num. 286. *quantâ facilitate omnes rationes ex Navarro desumptas deflaverim.* Verùm Caramuelias solutiones eâdem facilitate

diffiatas

difflatas videbis Lector, si dignatus fueris partem quartam revidere.

314. Concedit num. 294. Lateranenses debere præcedere : *Ex bullâ & privilegio* ; nec advertit se sibi contradicere suprà num. 242. expressè asserenti : *Quòd ipsi* (Lateranenses nimirum) *ratione veræ antiquitatis, & non privilegii prætextu præcedentiam obtinuerint.*

315. Tandem admittit num. 297. quòd si Canonici Regulares Crutzelingenses sint ejusdem ordinis cum Lateranensibus, eos ob hanc solam rationem habere jus præcedendi, at non solùm Crutzelingenses, sed & Aroasienses, Victorinos, & Windesemenses esse ejusdem ordinis cum Lateranensibus, sufficienter à nobis probatum est 1. & 2. parte, habent ergò & hi ob hanc solam rationem, etiam inimico nostro judice, jus præcedendi.

316. Satis inurbanè deinceps à num. 305. & ironicè tractatur D. Catulle, quasi non magnus Dialecticus, imò quasi dialectices ignarus, quasi argumentator oberrans, & in vitioso circulo circumvolitans, scripserat enim Catulle num. 47. sui motivi, statum veræ Religionis (utique Christianæ Regularis, secundùm subjectam mate-

riam) à Christo Domino institutum, eratque ea pars præmissæ quam dixerat Lobkowitzius evidenter falsam, sed verso folio concessit esse veram: Pergebat Catulle, dictum statum in Christianâ republicâ cœpisse vigere cum Apostolis qui fuerunt veri Clerici, & plantârunt ordinem Clericorum seu Canonicorum, sub certâ regulâ communiter viventium, conformiter narrationibus Pontificum & probatorum Historicorum: Quod ultimum dicit Lobkowitzius esse falsum; additque, non sine animositate temerariâ id dici, sicque Pontifices & Historicos temerariæ animositatis damnat, num. 306.

317. Pergit num. 308. *Quis*, inquit, *non videat argumentatorem oberrare?* probaturus Christum Dominum statum Regularem instituisse, ad Ecclesiam veterem recurrit, & probat etiam tunc fuisse Religiosos, quod quàm non verum sit, videbit, qui Catullæum motivum revolverit; asseritur enim num. 50. statum Religiosum tunc solummodò fuisse adumbratum. Tandem eodem num. concedit Lobkowitzius Christum Religionem sub perfectione quâ nunc est, instituisse, non tamen Canonicos Regulares; quare? quia primitivi Clerici tunc nondum fuerunt dicti Canonici

nonici Regul. Idem ſæpè refricat num. 311. & num. 314. ubi ſic: *Sed quia argumentator*, inquit, *majorem illam naufragam ſuaſurus progreditur, eum ſequamur multa pulchra congerentem, non pulchrè.* Et infrà num. 317. *Ne verbum quidem*, ait, *de Canonicis Regularibus.* At verò num. 320. *Illorum erit*, inquit, *probare Apoſtolos fuiſſe Canonicos Regulares, noſtrum eorum rationes, ſi per riſum liceat enervare; nam ut rem fatear, riſu præpedior, cùm audio Apoſtolos fuiſſe Canonicos Regulares.* Tandem concedit num. 322. argumenta Catullæa probare in primitivâ Eccleſiâ fuiſſe aliquos Religioſos Clericos, non tamen Canonicos Regulares, atque ita rem concedit, nomen negat, cùm tamen num. 334. nomina ita extenuet, ut dicat, ea à nomenclatoribus idiotis poſita, & ideò dici putat idiotiſmos, habitudines vocabulorum, tantundem facit, ac ſi admitteret S. Benedictum inſtituiſſe ſui ordinis Monachos, non tamen Benedictinos, quia nimirum tempore S. Benedicti illius Monachi nondum dicti ſunt Benedictini, ut alibi inſinuavi.

318. Quantùm ad Terapeutas fuerintne Clerici Canonici, ſeu Regulares, an verò Monachi, dicit num. 323. eam controverſiam, unum & ſo-

lum Andream Catulle ſingulari ſuâ opinione voluiſſe dirimere, nec ipſi favere bullam Eugenianam, eo quòd nõ videat quâ ratione noſtra exemplaria poſſint dici authentica; quaſi verò non tam poſſint eſſe authentica quàm Carmelitana, de quibus egit num. 306. ſed ad eam neceſſitatem eum compulit deſperatio, quia per illam Eugenianam bullam opinionem ſuam ſingularem videbat eſſe proſtratam, in quâ ſignanter exprimitur Apoſtolicos illos, ceu primitivos Clericos, poſtmodum nuncupatos Canonicos Regulares, quod quàm perperàm dictum intelligat de ſolis Lateranenſibus, ſæpiùs oſtenſum eſt. *Porrò* Catulle præcitato num. agit de Eſſenis, quos Carolus a Mansfelt in ſuâ cœnobiticâ cap. 4. ſuſtinet fuiſſe Canonicos, non eſt hîc ergo Catulle ſingularis, nam idem tenet Pennottus & Miræus in præfatione codicis Regularum, ubi ſic: Therapeutas fuiſſe Clericos, non Monachos; idem Philo ſubindicat, & Euſebius, ac Nicephorus diſertè affirmant.

319. Exprobat num. 326. Domino Catulle quòd non ſit magnus Dialecticus, idque probare contendit, ex vitioſo circulo quaſi ab eo commiſſo; ſed hoc adeò vitiosè probat, ut falſum

aſſu-

assumat. *Suasurus* (Catulle scilicet) *in primitivâ Ecclesiâ Romanâ*, inquit, *fuisse Canonicos Regulares num. 66. assumit mores Alexandrinos*. Quod totum falsum esse constare poterit, vel ipsum motivum juris Catullæum obiter inspicienti; nam notato illo numero 66. non intendit D. Catulle probare in Ecclesiâ Romanâ fuisse Canonicos Regulares, sed Clericos primitivæ Ecclesiæ ab Apostolis institutos Regulares exstitisse, cum verâ trium votorum emissione num. 60. quod coincidit cum secundâ parte majoris propositionis num. 47. idque ostendere incipit num. 64. inductione factâ per Clericos antiquarum Ecclesiarum Ierosolymitanæ num. 65. Alexandrinæ num. 66. Lateranensis num. 74. tandem verò num. 76. ex eo quod Ecclesia Alexandrina habuerit Clericos Regulares, deducere conatur Ecclesiam Romanam habuisse Clericos Regulares, quia horum institutum ex Romanâ assumptum S. Marcus in Alexandrinâ transplantavit; non malè ergò D. Catulle ex Clericis Regularibus Alexandrinis intulit Clericos Regulares Romanos, cùm S. Marcus credatur instituisse Clericos Alexandrinos ad normam Clericorum Romanorum. Breviter itaque, isto num. 76. hoc

quaſi modo diſcurrit: Eccleſia Alexandrina habuit Canonicos Regul. ergò & Romana. Contra Caramuel falsò ponit quaſi Catulle diſcurriſſet hoc eod. num. Romana habuit Canonicos Reg. ergò & Alexandrina: ſicut & falsò præmiſerat, quaſi Catulle num. 66. hoc modo diſcurriſſet: Alexandrina habuit Canonicos Regulares, ergò & Romana, quod re verâ ita non eſt; nam illo num. 66. non intendit Catulle probare Eccleſiam Romanam habuiſſe Clericos Regulares; ſed Eccleſiam primitivam, quæ erat, ut dictum eſt, ſecunda pars majoris propoſitionis: idque probat inductione, primò Eccleſiæ Ieroſolymitanæ, ſecundò Alexandrinæ, & tandem Romanæ; malè itaque ſupponitur Catulle ab Eccleſiâ Romanâ ad Alexandrinam declinâſſe, cùm ad hanc non devenerit niſi à Ieroſolymitanâ, ut patet ex num. 65. Ubi quæſo hic vitioſus circulus? profectò citiùs inveniet D. Lobkowitzius quadraturam circuli quàm in hoc Catullæo diſcurſu vel umbram vitioſi circuli.

320. Eâdem operâ vindicandus eſt idem D. Catulle ab alio vitioſo circulo, in quo circumvolitare ſuggillatur num. 340. dum citat bullam Eugenianam, quaſi ſupponens Lateranenſes eſſe ejuſdem

ejuſdem ſpeciei cum Canonicis Regularibus, probaret Canonicos Regulares eſſe ejuſdem ſpeciei cum Lateranenſibus; verùm quàm temerariè hoc ei imponatur Lector adverte. D. Catulle num. 105. recenſuerat varias congregationes Canonicorum Regularium Lateranenſem, Frigdionariam, Victorinam, Aroaſianam, &c. numero verò 109. ſubſumpſerat dictarum congregationum Canonicos Regulares convenire cum antiquis ab Auguſtino reformatis, ac proinde ab Apoſtolis inſtitutis, quod probare conatur num. 110. & ſeqq. uſque ad num. 115. quo probationem ſuam confirmat his verbis: *Deinde Canonici Reg. dictarum congregationum ſectantur normam, traditiones & inſtituta primorum Chriſtianæ religionis Clericorum, ut inquit Eugenius in bulla per quam Canonicos Regul. reduxit ad Eccleſiam Lateranenſem.* Hæc, inquam, præſtat D. Catulle; infert D. Lobkowitzius, ergò committit circulum, & ego confidenter illationem nego. Imò D. Lobkowitzium hallucinari affirmo, dum putat Eugenium agere de Canonicis Cathedralibus à S. Auguſtino reformatis, & non de Canonicis Regularibus. Quid? Canonici etiam Cathedrales à S. Auguſtino reformati, non ſunt Canonici Regulares?

gulares? Quid ſonant ergò verba illa Eugeniana: *Divinam in terris familiam Clericorum*, &c. *quos Canonicos Regulares appellamus?* Item dum putat Eccleſiam Lateranenſem ab Eugenio IV. reformatam per Canonicos Reg. Cathedrales. Profectò vel bullam Eugenianam non vidit, vel ſi viderit diſſimulavit paragraphum: *Quia verò*, &c. ubi ſignanter decernitur reformanda per Canonicos Reg. S. Auguſt. congregationis Friſionariæ, qui non Cathedrales, ſed Conventuales erant, quales modò Aroaſienſes, Windeſemenſes, &c. quos tamen ejuſdem ordinis Canonico-Auguſtiniani eſſe ſupponebat Pontifex Eugenius Benedicto XII. deceſſori ſuo ſubſcribens.

321. Tandem convictus argumentis Catullæis, videtur concedere Canonicos Cathedrales fuiſſe ab Apoſtolis inſtitutos, & ab Auguſtino reformatos, quales Lateranenſes num. 323. num. 336. num. 340. de quibus peti poteſt, an Canonici illi Cathedrales ab Apoſtolis plantati, ab Auguſtino reparati fuerint ſæculares, an Regulares? non fuiſſe ſæculares reſolvit Caramuel, ſed Religioſos num. 321. num. 322. num. 326. num. 329. quid igitur reſtat niſi fuiſſe Regulares? Porrò Canonicos Regulares Cathedrales, & non Cathedra-

thedrales ejuſdem ordinis eſſe primâ & ſecundâ parte ſatis ſuperque probatum eſt.

Addo Canonicos Regulares congregationis Lateranenſis Cathedrales, id eſt, in Eccleſiis Cathedralibus reſidentes non eſſe, ſed in Abbatialibus, Præpoſitalibus, Prioralibus, Archipresbyteralibus degere Eccleſiis, ut paulò antè ex Pennotto, Scriptore ejuſdem congregationis Lateranenſis docebamus: Canonicos autèm Aroaſienſes circa ortum ſuæ congregationis, per totam ferè Hyberniam Cathedrales fuiſſe, ipſemet Caramuel docet in ſibrâ num. 184. ex *Origine fundationis Aroaſienſis*, procurante id S. Malachiâ Archiepiſcopo Armacano, Hyberniæ Primate, Legato Sedis Apoſtolicæ, quem Clarevallenſem Religioſum fuiſſe hîc tradit; at in Scholio ſuo num. 386. *Malachiam noſtrum*, inquit, *Benedictinum habitum ſuſcepiſſe ſolus, quem viderim, Chryſoſtomus Henrique in faſc. Ciſtert. lib. 2. diſt. 3. cap.* 14. *aſſerit, alii negant.* Ita ibi. Porrò inter negantes ſunt Canonici Lateranenſes, qui eundem Malachiam inter ſanctos ſui ordinis colunt officio duplici 3. Novembris ex conceſſione Pii V.

322. Vt autem ſemel intelligat D. Adverſarius

rius Canonicos Regul. congregationis Lateranensis non esse Cathedrales, imò recusâsse tales esse; audiat Matthæum Bossum Canonicum Regularem ejusdem congregationis Lateranensis nitidum & elegantem Scriptorem epistolâ 50. ad illustrissimum Federicum Feltrium Vrbini Ducem, offerentem Ecclesiam Cathedralem Eugubinam dictis Canonicis ad Regularem statum reducendam, sic contestantem: *Ferrariæ in generali Synodo nostrâ cum pulcherrimè consedissemus recitatæ fuêre litteræ tuæ illustrissime Princeps, & tuus Orator coram auditus, cui quantam significâsti, fides est habita. Et quidem omnium Patrum tanta erga te pietas & reverentia, animadversa est, ut communem fidem atque eloquium ipsa res superet; nam quibus sermo in concessu debetur, cùm verba de te facere cœpissent, vidisses cæteros omnes pendere in eos intentione mirabili, & effusâ lætitiâ, junctisque manibus gratias Deo gestire, qui tam nos caros dignationi & amplitudini effecerit tuæ, ut de nobis præficiendis Pontificali Eugubiensi Ecclesiæ tuæ cui adjacentem curiam habitas, cogitaveris, rem nulli Principum, nullique Rerumpubl. hoc tempore procuratam perspectámve, ut planè solus exstes, qui præcipuâ religione ac bonitate remissam Cathedralium Ecclesiarum veterem sanctitatem,*

tatem, & in communi vitam, subque Præposito uno Patre sinceram obedientiam extinctam, cogitaveris in lucem revocare, & ad pristinum Apostolorum, & sanctißimorum Sacerdotum statum excitare, qui primitùs hâc lege vixerunt; Deoque posthabitis curis omnibus sæcularibus militarunt. Atque ut commodiùs ociusque quod animo concepisti effici queat, & Episcopi tui & Pontificis Maximi assensum te quæsîsse & exorâsse nobis aperuisti, & tuis istis cum Canonicis & Sacerdotibus convenisse, nobis ut cedant, alias per te Ecclesias, aliosque proventus ad vitam haud dispares habituri. Nulla res est (mihi crede) Federice devotißime atque magnanime, nulla profectò quæ tui causâ suscipienda, gloriosa atque magnifica nobis non videatur, nedum grata jucundaque factu.... Quoniam verò quod modò exigit excellentia tua, conditionem habet atque naturam ut fieri minimè poßit, aut etiamsi fiat, minus quidem sit permansurum, hæbescimus animo, cruciatuque disrumpimur obtemperare non posse voto sanctißimo tuo, & ego quoque vel erubesco, qui tibi notior & carior esse videor, & ad quem spe potiore Oratorem direxisti tuum. Ecclesiarum etiam Pontificalium atque matricum sic hodie est comperta condicio, sic consuetudo firmata, ut ad regularem & arctam illam, quam nos sequimur vitam, jam coaptari

minimè poßint. Nos claustrales nostris institutis, communibusq; decretis, solitudine, cellulâq; gaudemus, intenti præclaro legendi, meditandi, orandiq; otio. Illa verò majores Ecclesiæ consuetudines, familiaritates, deambulationesq; non respuunt, sed ultrò præveniunt. Nos certis horis silentium non violamus. Illæ taciturnitatem nullam didicêre. Cùm decernuntur supplicationes populares, aut rogationes annuæ concelebrantur, nos urbes non collustramus. Sed Cathedralis omnis Ecclesia prima est semper in acie, quin & cæteros ducat. Nos curatas Ecclesias inviti suscipimus; aut ex neceßitate si susceperimus, Sacramenta intra vicinas domos per sæculares Sacerdotes ministrari sanè facimus. Cathedralis verò non unius modò viciniæ, sed totius populi atque Diœcesis curatrix una atque præcipua est. Nos cæremoniis admodum castis, collo oculoq; demisso, rem nostram gerimus. In incessu illa, habitu, motu, rituq; omni dispar est nobis. Adde nuptias quas benedicit, puerperia quæ purificat, chrisma quo admotos omnes in frontibus signat, & hujusmodi cætera, à quibus propter frequentiam puellarum, & mulierum tanquam à pestifero, mortaliq; periculo sic abhorremus. At verò cùm proficiscetur, aut deambulabit Episcopus, cùm subjectas visitabit Ecclesias, Monialiumq; cœnobia, quæ omitti non convenit, an illi

non

non oportebit nos & Ministros & Comites fieri? quando nulli præter nos Episcopo, vel Clerici, vel Concanonici relicti utique erunt? Quæ singula ita adversantur professioni & sanctionibus nostris, ut adversari magis nil poßit omninò. Eugenius IV. *beati nominis & sempiternæ gloriæ Pontifex in Lateranensi nos æde reposuit, quippe qui sponsæ suæ rationem sibi habendam putabat (est enim Constantiniana illa basilicarum omnium prima, & magni Patris Episcopalis sedes, sponsaq́ legitima) voluit & illam esse nostri ordinis caput, & ab eâ nos Canonicos Lateranenses nominari perpetuò, & illius dignitatibus privilegiisq́ potiri. Dum vixit beatißimus ille, nihil Romæ venerabilius ordine nostro fuit. Sed illo emortuo, à Romanis qui eum nobis locum invidebant, vix Nicolaus successor tutatus est, quo humanis exempto, à furente immaniùs populo, nos Calixtus servare non potuit. Profligatos indignè Paulus* II. *iterum in propriam sedem restituit, quo emigrante iterum pulsi. Persuaderéne etiam tibi potes summâ prudentiâ, summoq́ ingenio Princeps, vel Romanum Patrem, vel tuum istum Episcopum hac in re ultrè assentiri tibi? nihil sanè minus credito. Sed tanta est auctoritas tua, tanta apud omnes gratia, & reverentia nominis, ut negare nesciant, quod præstant inviti. Eâdem mente cives esse & Clericos omnes exi-*

stima. Sed cùm te desiderabit posteritas (neque enim diei unius præsens negotium est) quid in nos tum animi homines putas habituros? quis clamor? quis furor Deus! excitabitur? quis concursus conclamantium undique: facescite colla obliqua, Pannosiq; homines. Abite nostræ Ecclesiæ, nostrarumq; dignitatum occupatores. Avitum bonis, nostri filii, nepotesq; communicent, quæ nostra sunt, alieni non absumant, foras tandem, foras externi. Nihil exploratius, nil certius (mihi crede) illustris Federice, potest præcaveri. Tu tamen sapientissime hominum ex tuâ prudentiâ de rei totius exitu cogita, atque delibera, qui nostrûm omnium accepisti sententiam. Ego ad paucos apud te fore spero dies, per Picenum in Apuliam iter facturus; tùm de totâ re pleniùs. Æternum interim in Christo Iesu vale, fœlixq; esto Principum decus. Ferrariæ Kalend. Iuliis.

323. Circa censuram Doctorum Parisiensium, in quâ ad instantiam Canonicorum Regularium S. Victoris in suburbano Parisiaco; resolutum fuit contra Erasmum Roterodamum Religiosos S. Augustini & Monachos tempore ejusdem Sancti vovisse: iterum suo more num. 329. quia ibi nominatim non Canonici, sed Religiosi S. Augustini distincti contra Monachos exprimuntur, putat eam non intelligendam de Canonicis Regul.

gul. cùm tamen Canonici Regulares S. Victoris id de ſuis deceſſoribus inquiri & examinari à dictis Doctoribus procurârint.

324. Ulteriùs pergens num. 330. *Ego*, inquit, *video ignaros dialectices ſuam prodere ignorantiam, cùm audent intrepidè dialecticari*. Sed unde tam rigida cenſura? quia nimirum D. Catulle num. 109. ſui motivi juridici ſcripſerat aſſertionem ſuam probari ratione, ſive demonſtratione ſyllogyſticâ, ubi per demonſtrationem ſyllogiſticam, more Iuriſperitorum non intelligit eam in rigore Logico, ſed in uſu juridico; Iuriſperiti enim id quod Logici vocant genus, appellant ſpeciem, & quod hi ſpeciem, illi genus vocant, atque ita rationem ſyllogiſticam vocant demonſtrationem lato modo ſumptam, neque enim adeò pingui Minervâ ſunt, ut in iis quæ ſunt facti, demonſtrationem Logicam propriè ſumptam, dari exiſtiment.

325. Nimis igitur inurbanè D. Catulle traducitur à Caramuele num. 332. his verbis ironicis: *Sed antequam demonſtrator noſter progrediatur, admonendi ſunt univerſi philoſophiæ Profeſſores, ut præter duas illas demonſtrationum ſpecies, quas docti ab Ariſtotele docent, etiam ſuis hanc tertiam dictatis interſerant,*

ſerant, quæ traditur ab Andreâ Catulle.

Nec minùs inurbanè eundem perſtringit num. 342. ubi ſic: *Vidiſti*, inquit, *Apellem*, *& tamen peßimè pingentem; at quia de ingenio artificis dubitare non potes, culpam rejicis in materiam, non potuit ille illam meliùs tractare, quia unde meliùs poſſet tractari caruit illâ*; quod quantâ cum materiæ injuriâ dictum ſit, judicet Lector, qui eandem materiam hoc opuſculo noſtro tractatam legit.

326. Demùm de ſimilibus cauſæ Canonicorum Regularium patronis, ſimili inurbanitate tandem prætenſam ſuam octavam ſolutionem finiens num. 347. ſic proloquitur: *Ni fortè dicamus Argumentatores, ſæpiùs jam victos, eſſe tandem ſimiles periclitantibus in aquâ, qui quaſcunque radices aut tabulas indeliberatè evadendi deſiderio abripiunt, ſi fortè alicubi remedium quæſitum inveniant, licèt fruſtrà.* Hæc eſt, ſi ſuperis placet, fortis urbanitas, quâ unum atque alterum, putà Navarrum & Andr. Catulle, Caramuel compeſcuit Auctorem.

327. Non abſimili modo de Dominorum Cyſonienſium Patronis verba faciens: *Videntur*, inquit, num. 370. *In cœlum explodere, omnes enim Auctorum columnæ quæ contra nos jaculantur in altum,*

tum, ut lapſu majore ruant, & opprimant ipſos jaculantes. Mira hyperbole, & comparatio inurbana! Columnas Herculeas in mari Gaditano, nî fallor, fixas legi, & depictas vidi, columnas autem inſtar ſagittarum in altum explodi, mirum ſi quis legit, ſi quis vidit: ſcribit tamen, qui entia rationis expungit, & eorum loco entia linguæ, aut ſi mavis pennæ ſupponit.

328. Ex his ſpeciminibus facilè judicare poterit prudens Lector num D. Libripens in conſcribendâ librâ uſus fuerit, ut prætendit, urbanitate; & ſi ita, num ea fuerit fortis, & tandem num eâ forti urbanitate DD. Navarrum & Catulle compeſcuerit, equidem, ut mihi quidem videtur, urbanitas aut nulla fuit, aut ſiqua fuerit, exigua fuit, ac proinde debilis nimis ad tantos Auctores quorum magno nomine nos protegimus, compeſcendos.

329. Quod reliquum eſt quàm modeſto, pacato, libero animo nos eſſe conveniat in tractandis hujuſmodi controverſiis, diſcamus aliquando exemplo noſtri Matth. Boſſi, cujus elegantiſſimæ Epiſtolæ cum aliis opuſculis in lucem prodierunt año ſalutis 1493. harum aliquas pro rei opportunitate dedimus, unam atque alteram jam damus occa-

 ſione

ſione ſimilis controverſiæ exaratam.

Ad *Celſum Veronenſem* epiſt. 108.

330. *Tuæ litteræ ſemper magnâ cum voluptate à me leguntur venerande mi Celſe; ſed quas ad me dediſti hodie, non voluptate modò, ſed exultatione equidem maximâ legi: quòd eum cum Patribus Monachis modum ſervas ſanctum quidem, & tuâ prudentiâ atque virtute digniſſimum, quem ad te perſcripſi; obteſtans per Deum tuus ut ita faceret optimus animus. In quâ ſententiâ non ſum ipſe ſolus; fuit Archangelus cum primatum gereret, eſt hodie Severinus, & ipſe Generalis qui mecum hoc ſancto deſiderio ardet. Eſt Eſaias Generalis Procurator, vir in re ſuâ omni prudentiſſimus; ſunt & innumeri penè præſtantiſſimi & modeſtiſſimi Patres, qui non in carnis paſſionibus, ſed in cœleſtibus deſideriis ſuam gloriam collocârunt; qui & didicerunt virtute ſingulari ſuâ non bellare, ſed pace bella ſopire, ubi qui vincitur, victor evadit eâ glorioſâ maximâq; victoriâ, quâ vincitur malum in bono, quâ & coronati ſunt olim Martyres Chriſti ab eo qui diſſipat gentes, ut ſcriptum eſt, quæ bella volunt, à quâ immanitate plùs quàm à morte viro bono, & Dei ſervo eſt abhorrendum. Vale.*

Ad eundem epiſt. 113.

331. *Æternùm ſalve optime Celſe. Scribit Eſaias ad*

me

me novißimè Monachos Patres nullo quidem modo flecti poſſe ut à lite cœptâ deſiſtant, & eos tamen neque pervicaci, neque amaro animo illud contendere; ſed prudenti modeſtißimoq́ judicio parvipendentes ſuperentúrne, an ſuperent ipſi, neque provocaturos unquam ab eâ ſententiâ quæ prima manaverit; ſed illos duntaxat hoc quærere quo res hujuſmodi iſta ſemel ad jura diſcuſſa, per omne poſterum tempus utriſque pariat quietem & pacem. Quæ res ſi bonâ mente, bonoq́ animo (ut reor) proferatur, nil me ſanè conturbat. In rebus ſiquidem dubiis, neque ſatis rectè diſpoſitis ordinationem quærere, veritatemq́ finire animorum integrâ pace, omniq́ reliquâ ſalvâ virtute, ſecundùm Deum atque homines eſt, homines (inquam) qui zelo æquitatis & rectis moribus ſint inſtituti: qualem iſtâ quidem in re planè eſſe me ſentio. Quippe qui quantùm operæ, & ſemper conſilii omninò potui hanc in rem pacificè ac benevolo animo contuli: & quo die definita res fuerit, hâc meâ ſanctâ cum pace victoribus (utri fuerint) congratilabor oleâ redimitus & palmâ, &c.

332. His non abſimilia habet aliis in epiſtolis & ſignanter in epiſt. 127. quæ eſt ad Evangeliſtam Vincentinum, hæc inter cætera: *Velim qui facilè abſentes dijudicant, & qui rentur noſtram ſa-*

lutem contineri totam antecessione potiore, & qui Machabæorum exemplo dimicandum persuadent: velim dico, ad usque possent Curiam aures distendere: audirent de nobis fabulas à quibus Religiosus & verecundus animus debet non minùs quidem quàm à turpi scelere sic abhorrere. Decus Religiosum non est positum in præcedentiâ hujusmodi vanâ; sed in eâ virtute & gradu qui maximè illustratur humilitate, patientiâ honorumque contemptu. Addo & tibi hoc tamen mi Evangelista carissime, neminem esse qui determinandâ controversiâ istâ judicio magis ardeat, quàm ipse ardeo, pax modò & exitus quietus inde sit secuturus, &c. Hæc & similia simili Romæ negotio occupatus, olim scriptitabat Bossus, cujus optimum cõsilium & exemplum utinam vel aliquando resipiscentes imitemur, & carismata meliora æmulemur, erit hoc cùm illi dare placuerit à quo omne datum optimum & omne donum perfectum, qui est ante omnia & super omnia, cui soli honor & gloria in sæcula.

PARS

PARS QVINTA

In quâ præcipua Diplomata Pontificia, & autentica instrumenta integrè exhibentur, quorum mentio in partibus præcedentibus facta.

DOMINUS Adversarius in procemio Libræ suæ inter cætera sic præfatur: *Erit eis summæ laudi libros & instrumenta communicâsse, quibus veritas cognosceretur, aliis multis dissimiles, qui diplomata celant, ne iniquitas æquitati subjaceat*. Ut igitur tam ejus desiderio satisfiat, quàm ut nil quod ad hanc causam spectat, desideretur, subnectimus ultimâ hâc parte præcipua diplomata integrè, quorum fragmenta in præcedentibus partibus nobis usui fuerunt, & Autentica quædam instrumenta, nec non Iuridicas sententias ne æquitas iniquitati subjaceat; sed nugacitate convictâ, invicta veritas triumphet. Quorum primum sit

Diploma Eugenii IV. quo Canonicos Regulares S. Augustini ad Ecclesiam Lateranensem reduxit, quod summâ cum veneratione custoditur in Ecclesiâ Lateranensi, confirmatum à Nicolao V. & Sixto IV. nec non egregiè propositum, expositum, & defensum comperitur in allegationibus Scipionis Lancelotti à num. 44. usque ad 69. extat integrè apud Gabrielem Pennottum Generalis Historiæ lib. 3. cap. 21.

„ 333. EUgenius Episcopus servus servorum Dei
„ ad perpetuam rei memoriam. Cùm ad
„ sacratissimam venerandam Lateranensem basili-
„ cam dirigimus oculos mentis nostræ, & inter in-
„ numeras curas pro commissi nobis Christiani
„ populi salute desuper imminentes, nos ad con-
„ templandam divinæ, & admirabilis Ecclesiæ
„ sanctitatem, celebritatem, & eminentiam reli-
„ giosâ meditatione convertimus, tantâ profectò
„ sacri loci veneratione & devotione movemur,
„ ac deducimur, tantâ in Deum exultatione per-
„ fundimur, & ad ineffabilia Sacramenta, & tan-
„ tarum virtutum admirationem divinorum my-
„ steriorum stupore afficimur, ut nullum Deo no-
„ stro acceptabilius holocaustum, & sanctis Pon-

„ tificibus

„tificibus ministerium dignius Salvatori mundi
„credamus afferri, quàm cœleste in terris habi-
„taculum, locum sanctuarii, Ecclesiarum om-
„nium clarissimum lumen, & speculum singulare,
„quod totus orbis miratur, & prædicat, studio-
„sius exornare, colere, omni curâ & pietate de-
„corare, honoris titulis singulariter sublimare,
„ac ut in eâ majestas Altissimi diebus ac nocti-
„bus puris mentibus & devotis obsequiis col-
„laudetur, ac spirituali & temporali ornatu præ-
„clarè refulgeat, indefessam diligentiam adhi-
„bere: & quicquid virtutum Domino largiente
„donatur, in illius venerationem consumere.
„Recolimus namque gloriosam hujus sanctæ Ba-
„silicæ constructionem, quando à Christianissi-
„mo inclytæ recordationis Constantino Augu-
„sto in honorem Salvatoris nostri miræ pulchri-
„tudinis exstructam ac fundatam, & suis opi-
„bus ac privilegiis ditatam legimus, postquam
„per beatæ memoriæ Sylvestrum Papam (sicut
„per sanctos Apostolos Domino revelante cog-
„novit) renatus fuerat fonte baptismatis, ex quo
„Constantiniana exstitit appellata, in mentem
„venit sacrati temporis grande privilegium ante
„omnes Christianæ fidei & Orthodoxæ Religio-
„nis

„ nis Ecclesias; & postquam brachio Domini ex-
„ercituum ex alto, & de persecutoribus par-
„tâ victoriâ, eo loco primùm in sublime se e-
„rexit vocabulum Christianum, & in sanctis al-
„taribus lætantibus populis splendens vexillum
„Crucis effulsit. Et profectò non immeritò ex
„illius temporis memoriâ, & salutari infusione læ-
„titiæ in Ecclesiis victoriis, & tranquillitate glo-
„riantibus devotis, lachrymæ nobis per ora distil-
„lant, & corporis, & spiritûs lętitiâ in suavi gaudio
„cor nostrum & caro nostra exsultant in Deum
„vivum. Ponimus ante oculos Salvatoris nostri
„nomen in eo loco primum publicè veneratum,
„cujus gloria sacra Basilica extitit dedicata, quo-
„niam virtutum Domino divinitùs operante li-
„berè datum est Catholicas Ecclesias construi,
„quod Imperialis jussio inhibuerat. Inspicimus
„divinum locum apud sacrum Patriarchium no-
„strum, & celeberrimum Laterani palatium ubi
„& orbis Princeps, & jugis sanctorum Pontifi-
„cum columnarum Christi successio habitavit,
„quo ex loco fidei Orthodoxæ & Christianæ di-
„gnitatis veritas à sanctis Pontificibus veris Spi-
„ritûs sancti organis toto orbe personuit; quæ
„in hoc extitit fundata principio, ac solidissimo
„& sub-

„ & ſublimi fundamento. Contemplamur mira-
„ bilia opera Dei & ſanctificatum miraculis lo-
„ cum, quem ſanctus Sylveſter Chriſti ſacerdos
„ novo ſanctificationis & chriſmationis oleo ante
„ omnes Eccleſias divino nomini dedicavit, quan-
„ do imago Salvatoris noſtri cunctis cernentibus
„ viſibiliter legitur apparuiſſe, quam deinde ſa-
„ cram Baſilicam beatiſſimum Pontificem Gre-
„ gorium multâ operoſitate & diligentiâ refor-
„ mâſſe, & ſacratis manibus confirmâſſe tradi-
„ tum eſt. In mentem ſubit quot Martyres, quot
„ Pontifices, quot Sancti Dei, quot Chriſtiani
„ Principes ſacrum locum caſtæ mentis intentio-
„ ne calcaverint, quantos locus ipſe genuerit, &
„ non indignè: quantò Eccleſiæ Dei locis aliis præ-
„ ſtantiores exiſtunt, tantò hæc ſacroſancta Ec-
„ cleſia illis omnibus eſt ſublimior, & quicquid
„ eſt in aliis ſanctitatis refertur ad caput, ad cu-
„ jus dignitatem & merita parum putamus omne
„ quod dicitur. Cernimus fidelium populorum
„ ad hunc locum supernâ illuſtratione concur-
„ ſum, & ingentem charitatis & devotionis ar-
„ dorem, quò de toto orbe conveniunt, & lo-
„ cum celebrant innumeræ Chriſtianorum tur-
„ bæ. Sola illis fama cognitum, & venerabilem

„ ſanctitate, & puritate fidei, & Religione Chri-
„ ſtianâ ſe fere minus religionis habere exiſti-
„ mant, niſi Salvatorem mundi in illo adoráſſent
„ loco, ubi primùm glorificatum ejus nomen, &
„ ſacra Catholica religio exiſtit exaltata : & unde
„ cooperante Domino ad eorum pervenit audi-
„ tum, ubi Dei & Chriſti Eccleſia nata eſt &
„ adulta, martyriis coronata. & per religioſiſſi-
„ mos Principes divinâ clementiâ, potentiâ, & di-
„ vitiis major effecta, & ubi Romanum Impe-
„ rium ſub jugo Chriſti ſubactum eſt in eo ſacra-
„ tiſſimo orbis loco Apoſtolorum capita nunc
„ cum Chriſto regnantium venerabiliter requie-
„ ſcunt: ubi ſanctitatis & religionis eſt caput, ubi
„ Salvator in Apoſtolis mirabilis prædicatur, quo-
„ rum alteri cœlorum claves, alteri magiſterium
„ Eccleſiaſticæ eruditionis injunxit: ubi Chri-
„ ſtiani duces exercitus, & populi Dei per Evan-
„ gelium genitores in præſtantiori Sanctorum
„ corporum parte divina myſteria, & habitacu-
„ lum Salvatoris venerantur & ornant. Sanctiſſi-
„ mas & venerandas Baſilicas, & Chriſtiani trium-
„ phi trophæa fulgentia, & præclara monumen-
„ ta in eâdem Vrbe veluti pretioſa Sacraria, quaſi
„ ex lateribus aſſiſtere voluerunt loca glorioſa
„ ubi

„ ubi ſanguinem fudêre pro Chriſto. Quæ reſi-
„ duò ſacrorum corporum decore illuſtrantur
„ ipſos profectò parietes hujus ſacræ Baſilicæ
„ Sanctorum merita, ac hujuſmodi martyrum
„ Chriſti piè credimus ſpiritaliter emanare cruo-
„ rem, & Sanctorum Chriſti ſacris refectam eſſe
„ cineribus, & ad locum ſacrum Dæmones con-
„ tremiſcere. Hîc Angelorum præſidia, Sancto-
„ rum orationes gratiam Salvatoris abundantiùs
„ impartiri, & peculiariùs Spiritûs ſancti adeſſe
„ præſentiam minimè dubitandum eſt, & locum
„ illum eſſe quem de toto orbe Salvator elege-
„ rit (Sanctificavit enim tabernaculum ſuum Al-
„ tiſſimus) ubi munda ſacrificia devotarum men-
„ tium, orationes, ſanctas laudes, ac Sanctorum
„ ſuorum triumphos in odorem ſuavitatis acci-
„ pere. Decet igitur ubi totius ſanctitatis eſt ca-
„ put, ubi hærent terrena cœleſtibus, ubi eſt gra-
„ tiæ magnitudo ſacratiſſima, holocauſta, & im-
„ maculata obſequia divinæ majeſtati cum omni
„ ſanctitate perſolvi, & munda ſacrificia offerri
„ divino conſpectui. Hâc igitur piâ & ſanctâ in-
„ ſpiratione ducti, & domûs Dei zelo ſoliciti ſa-
„ cratiſſimi Pontifices prædeceſſores noſtri, il-
„ lius ſecuti veſtigia cujus perfecta & ordinata

„ ſunt opera, poſtquam venerabilem locum pro
„ populi Dei ſalute, & ſummi Regis gloriâ de-
„ coraverunt, & ex theſauro Chriſti ſacratiſſimo
„ inenarrabilibus & incomprehenſibilibus Indul-
„ gentiis, & divinæ gratiæ largitate, & remiſſio-
„ num exuberantiâ ornaverunt, honorum privile-
„ giis ſublimârunt, & decorârunt titulis dignita-
„ tum: Divinam in terris familiam Clericorum
„ qui religioſam vitam ducerent, & ad exemplum
„ naſcentis Eccleſiæ ſanctam inſtitutionem ſer-
„ varent quos Canonicos Regulares appellamus,
„ & ſacrum inter Clericos & Miniſtros Chriſti
„ vivendi modum in ſacratâ Baſilicâ *inſtituerunt*,
„ firmârunt, erexerunt, & perpetuò deputârunt:
„ ut hi primæ in terris Eccleſiæ, & matris San-
„ ctorum Apoſtolicâ providentia curam gererent,
„ qui primorum Chriſtianæ Religionis Clerico-
„ rum normam, traditiones, & inſtituta ſectan-
„ tur. Hujus profectò ſacri ordinis & ſancti pro-
„ poſiti poſt Sanctos Apoſtolos, primùm in Ale-
„ xandrinâ Eccleſiâ Marcus Petri diſcipulus fuit
„ inſtitutor & conditor: ac glorioſus Doctor Au-
„ guſtinus Epiſcopus divinis regulis & doctrinâ
„ decoravit, & ſanctæ memoriæ Urbanus inſignis
„ martyr & Sanctiſſimus Pontifex, generalis de-
„ creti

„ creti ordine reformavit: & Beatissimus Gregorius
„ Augustino Anglorum Episcopo veluti planta-
„ tionem sacram in commisso sibi populo præce-
„ pit institui, & in Occidentis finibus ampliavit.
„ Hi sunt profectò qui Sanctorum Patrum vitam
„ probabilem imitantur, & Apostolorum instituta
„ instinctu Spiritûs sancti renovant, qui ad ex-
„ emplum illorum credentium convenerunt in
„ unum, quibus erat cor unum & anima una,
„ qui Pastoribus suis juxta Ecclesiasticas tradi-
„ tiones obediunt. Sicque hæc sancta & pla-
„ cens Deo institutio antiquitùs, & ab ipsis ferè
„ primordiis observata extitit, & sacram Basili-
„ cam per dicti ordinis Clericos per longa tem-
„ pora sanctè & salubriter gubernatam fuisse,
„ certissimâ scientiâ & veritate comperimus, &
„ hoc evidentissimè attestantur innumerabilia do-
„ cumenta. Cùm autem hoc pium & salutare
„ institutum mundo in maligno posito, ex anti-
„ quâ hostis invidiâ fuerit perturbatum, & per
„ fælicis recordationis Bonifacium VIII. præde-
„ cessorem nostrum quâdam illius temporis con-
„ sideratione immutatum, & per ipsum Patrum
„ termini contra divina præcepta translati noscan-
„ tur, & amotis Regularibus Canonicis sæcula-

 „ rium

„ rium Clericorum & Canonicorum fuerit dicta
„ Ecclesia curæ & gubernationi commissa, & di-
„ gnitatum, officiorum, Canonicatuum, præben-
„ darum, & beneficiorum erectio, institutio, de-
„ putatio, & fundatio celebratæ: certis etiam
„ tunc expressis caussis quæ divinâ clementiâ cum
„ omnibus in illâ immutatione narratis nostris
„ temporibus omninò nunc cessant, & cessare
„ amplius futuris temporibus Domino largiente
„ sperantur: & ex præfatâ immutatione sancta
„ Basilica plurimùm ab illâ sanctâ institutione in
„ sacro cultu, divinis officiis, ac sacrosanctis my-
„ steriis, ac in spiritualibus & temporalibus de-
„ formata, & passa fuerit detrimenta quampluri-
„ ma: & ubi priùs religio & honestas cum bo-
„ norum temporalium ubertate florebat, vix sal-
„ tem vestigium potuerit bonorum temporalium
„ apparere, & habitaculum Domini quâdam spi-
„ rituali & temporali squalleret solitudine. Ni-
„ hil ampliùs nostræ menti, nostris affectibus,
„ nostræque saluti, & humeris imminere conspi-
„ cimus, quàm ut pristinum, sanctum, & divinum
„ opus, primam scilicet institutionem repetamus,
„ Patrum terminos reponamus, & quasi jacenti
„ manum porrigentes, sanctam Ecclesiam Late-
„ ranensem

„ranensem ad primævum statum & ordinem re-
„ducamus. Non profectò minoris existimamus
„mercedis & meriti vitam hanc, & sanctam con-
„versationem primitivæ Ecclesiæ, quâ decalescēte
„fervore fidelium jam penè defluxit, inspirante &
„prosequente divino Spiritu renovare, quàm alio-
„rum sacrorum ordinum Religiones amplissi-
„mè per divinam misericordiam frequentes, &
„florentes ejusdem Spiritûs perseverantiâ custo-
„dire.

„Nos igitur, qui licèt immeriti, B. Petri resi-
„demus in loco, & prout nobis divina cle-
„mentia posse & scire donaverit, Romanæ Ec-
„clesiæ sanctitati, honori, & gloriæ, & sub reli-
„gione viventium salutari propagationi & am-
„pliationi paternis studiis efficaciter intendimus,
„quique ante Apostolatum nostrum (ut con-
„scientiæ nostræ testis est Deus) dum adhuc esse-
„mus in minori officio constituti, specialem ad
„hanc venerabilem Ecclesiam devotionem gessi-
„mus, & continuè spirituali exultatione cecini-
„mus cum Prophetâ; *Domine dilexi decorem domûs*
„*tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ*: Et: *Quàm*
„*dilecta tabernacula tua Domine virtutum, cōcupivit*
„*& defecit anima mea in atria Domini*. Et post
„hæc

„ hæc ex ſpeciali Apoſtolatûs officio huic Eccle-
„ ſiæ noſtræ exiſtimus debitores, per quam da-
„ tur ut invigilare & præeſſe cæteris omnibus
„ debeamus. Conſiderantes enim meritò ſalu-
„ tem expetere, qui Salvatorem toto corde ve-
„ nerantur: ac non dubitantes quòd ſi religioſos
„ paternâ benignitate proſequamur, noſtris op-
„ portunitatibus clementem Deum reperiemus.
„ Poſt deliberationem providam quam cum fra-
„ tribus noſtris diligenter habuimus, ad laudem
„ omnipotentis Dei Auctoritate Apoſtolicâ, ex
„ certâ ſcientiâ, pro Eccleſiæ Dei, Catholicæ fidei
„ & religionis Chriſtianæ honore, & *Salvatoris*
„ noſtri gloriâ, & pro publicâ utilitate, & *anima-*
„ rum ſalute & dictæ Lateranenſis Eccleſiæ ſtatu,
„ veneratione, commodis, & honore præfatam
„ ſacroſanctam Baſilicam ad primam inſtitutio-
„ nem & primævum ſtatum reducimus & *repo-*
„ nimus.

„ Vt ordo Canonicus qui ſecundùm Deum
„ & B. Auguſtini regulam ibi noſcitur inſtitutus,
„ perpetuis futuris temporibus in dictâ venera-
„ bili Baſilicâ vigeat, & inviolabiliter obſervetur.
„ Ac decernimus & ordinamus, & perpetuâ ſta-
„ bilitate firmamus ut præfata Baſilica per præ-

„ fati

„ fata Basilica per præfati ordinis Clericos in
„ perpetuum gubernetur. Illam quoque dictorum
„ Regularium Clericorum & Canonicorum cu-
„ ræ, gubernationi, administrationi, & plenissi-
„ mæ dispositioni cum omnibus spiritualibus, &
„ temporalibus bonis committimus, concedimus,
„ & largimur. Sit ibi Religiosorum Clericorum
„ sacer conventus, qui angelicam in terris agentes
„ vitam, in divinis laudibus, diebus, ac noctibus
„ perseverent: & nihil aliud cogitent, nisi quod ad
„ Domini pertinet servitutem, & in lege Domini
„ indefessâ meditatione versentur. Pariterque
„ auctoritate omnipotentis Dei & ex Apostolicæ
„ potestatis plenitudine sęculares Clericos & Ca-
„ nonicos, ac eorum regimen, curam, guberna-
„ tionem, & institutionem ex nunc ab eâdem Ba-
„ silicâ amovemus, & ex abundantiori Sedis Apo-
„ stolicæ providentiâ tollimus, extinguimus, re-
„ movemus ac supprimimus, illiusque Ecclesiæ re-
„ giminis sæculares Clericos, Canonicos incapa-
„ ces efficimus, & Bonifacii prædicti institutio-
„ nem, ordinationem, immutationem, & reno-
„ vationem, & cætera præmissa constituta quæ-
„ libet, & decreta cum omnibus inde secutis,
„ ac si præsentibus de verbo ad verbum inserta

„ essent, cassamus, tollimus, revocamus, & annul-
„ lamus: & quascunque Ecclesiasticas dignita-
„ tes, officia, Canonicas præbendas, beneficia,
„ capellas, sive altarium beneficia quomodocun-
„ que & à quibuscunque etiam sæcularibus per-
„ sonis instituta, & per quoscunque etiam S.R.E.
„ Cardinales regi consueta, & quicquid ex im-
„ mutatione prædictâ institutum & subsequutum
„ exstitit, ex nunc supprimimus, abolemus, & ex-
„ tinguimus. Nec non dignitatum, officiorum,
„ præbendarum, beneficiorum, capellarum, sive
„ altarium prædictorum bona, jura, fructus, red-
„ ditus, & proventus ad commune *patrimonium*
„ illius Basilicæ dictis Regularibus Canonicis in
„ perpetuum deservitura reducimus, appropria-
„ mus, & incorporamus. Præsentes quoque Sæcu-
„ lares Canonicos qui decem duntaxat numero
„ superstites existunt, ac Clericos & Beneficiatos
„ prædictos auctoritate, potestate, & scientiâ me-
„ moratis, ex causis prædictis, & aliis multiplici-
„ bus quas ex certâ scientiâ nostrâ firmissimâ ve-
„ ritate comperimus & didicimus, à dictâ Eccle-
„ siâ, officiis, beneficiis, Canoniis, præbendis,
„ juribus, & bonis prædictis amovemus, & ni-
„ hil omninò juris ullis futuris temporibus in
„ in

„ in prædictis habere volumus, auctoritate & po-
„ testatis Apostolicæ plenitudine decernimus &
„ statuimus; largiente Domino circa eorum sta-
„ tum & salubrem provisionem, quantùm à Deo
„ datum fuerit viriliter provisuri.

„ Quia verò divina misericordia sub Regula-
„ rium Canonicorum proposito devotas Deo plu-
„ res familias, cœtus, consortia, congregationes,
„ & ordines habet Christiana Religio, & sanctam
„ conversationem clementia Salvatoris nostris
„ temporibus multiplicare dignata est, nos in hu-
„ jus sancti operis institutione, & ad tantæ rei
„ magnitudinem ad Salvatorem nostrum direxi-
„ mus nostræ meditationis intuitum; & piè con-
„ siderantes, & diutiùs sedulis studiis revolven-
„ tes, ad novellam in vineâ Domini plantatio-
„ nem, religiosam familiam Dei, congregatio-
„ nem de Frigionariâ nuncupatam, quâ sub eâ-
„ dem D. Augustini regulâ Altissimo militantes,
„ & sacram religionem prout certè comperimus,
„ devotâ puritate servantes, in ipsius regulæ vi-
„ gore, & ordinis disciplinâ Salvatori piissimè
„ famulantur, & religioni dediti, in carne, non
„ secundùm carnem viventes, in gratiarum be-
„ nedictionibus quotidie multiplices, & uberes

„ fructus in agro Dominico Spiritu sancto mi-
„ nistrante afferre noscuntur, respeximus, &
„ mentem nostram divinâ inspiratione conver-
„ timus.

„ Auctoritate igitur Apostolicâ, scientiâ, &
„ potestate prędictis ordinem,& congregationem
„ prædictam in dictâ Ecclesiâ constituimus, po-
„ nimus, erigimus, & deputamus: & sacrosan-
„ ctam Basilicam cum omnibus suis temporali-
„ bus ac spiritualibus bonis, membris, juribus,
„ jurisdictionibus, privilegiis, exemptionibus in
„ perpetuum dictæ congregationi concedimus,
„ committimus,& eorum curæ & *administratio*-
„ ni tribuimus, & donamus, & *illi* tenendam,
„ possidendam, regendam, & gubernandam lar-
„ gimur, appropriamus, & incorporamus, dona-
„ mus, & tradimus: ut sub præfatæ congrega-
„ tionis jure cunctis futuris temporibus perma-
„ neat. Ac statuimus & decernimus, ut propria
„ deinceps religio, & dictæ Ecclesiæ originalis or-
„ do, & institutio habeatur, nec non ut omnia
„ ea liberè, & propriâ auctoritate accipere, &
„ apprehendere, & fructus ac proventus in suam
„ utilitatem convertere valeant, ex nostrâ per-
„ missione concedimus. Capitulum quoque &
„ Conven-

„Conventum, prout Regulares Canonici ante „immutationem prædictam, & sæculares post habuisse noscuntur, cum omnibus juribus, & privilegiis habeant.

„Decernimus præterea ac statuimus, ut deinceps omnes dictæ congregationis Conventus, „& loca ab hujusmodi S. Basilicæ titulo, & totius congregationis capite nomen accipiant, & „SALVATORIS CONGREGATIO appelletur, „& singulos dictæ congregationis Canonicos, „ubicunque Domino servientes, hujus Basilicæ „Clericos, Ministros, & Religiosos, ac de ipsius „Capituli gremio in omnibus juribus & privilegiis censeri decernimus, ac ibidem summi „Regis laudes, observationes, gratiarum actiones, & quotidianas preces, ac sacrificia pro „Christiani populi, & Romanæ Ecclesiæ salute „devoto corde & purissimis mentibus offerant.

„Monasterium insuper & Claustrum, quod „apud dictam Ecclesiam pro tantæ rei institutione, & Salvatoris honore, ac nostrâ salute magnis expensis, oneribus, & amplissimis structuris à fundamentis ædificari fecimus, & jam „ferè multâ operositate consummatum est, cum „eorum usibus deputamus, concedimus, & dictæ

„ Basilicæ bona præfata, præsentia, & futura dictæ
„ congregationis Canonicis in perpetuum con-
„ cedimus & donamus, ut eorum usibus in com-
„ muni deserviant. Vivant sub Priore uno in Ca-
„ nonico ordine, salutarem religionem & obser-
„ vantiam regulæ ut sanctos decet, observent,
„ copioso & celebri congregationis conventu, &
„ sacro consortio qualem jam nostris manibus
„ ibidem introduximus, deputavimus, & divinis
„ obsequiis mancipavimus, & secundùm prædi-
„ ctam regulam, & ipsius congregationis sacros
„ mores, & salubria instituta, laudabilem & Deo
„ devotam conversationem & vitam agant.

„ Nec non omnes libertates, immunitates, ex-
„ emptiones, dignitates, privilegia à Romanis
„ Pontificibus prædecessoribus nostris sive per
„ privilegia, vel alias indulgentias Ecclesiæ La-
„ teranensis Capitulo, Conventui, & ipsis Cleri-
„ cis, nec non dictæ congregationi de Frisonarià
„ concessas, sive à Regibus, Principibus, & aliis
„ Christi fidelibus Ecclesiæ præfatæ largitas, di-
„ ctæ Ecclesiæ Lateranensi, & Capitulo, & Con-
„ ventui, & ipsis Regularibus Canonicis confir-
„ mamus, concedimus, donamus, & auctoritate
„ Apostolicâ communimus. Statuentes Aposto-
„ licâ

„ licâ auctoritate, & per Salvatoris mundi mise-
„ ricordiam, & per Apoſtolorum Petri & Pauli
„ merita glorioſa, & ſub divini obteſtatione ju-
„ dicii, ut nullus hominum eos inquietare, tur-
„ bare, vel impedire præſumat, vel prædicta ad
„ Dei laudem & gloriam inſtituta, ſtabilita, perpe-
„ tuâ auctoritate firmata immutare, ſed ut omnes
„ roborare, cuſtodire, & inviolata ſervare ſatagant
„ à miſericordiſſimo Deo & Salvatore noſtro be-
„ nedictionis gratiam conſequantur.

„ Ac volentes & eâdem auctoritate decernen-
„ tes, quòd ſi forſan aliquid contra præmiſſa, vel
„ aliquid præmiſſorum per nos, vel ſedem Apo-
„ ſtolicam in poſterum concedi, ordinari, vel im-
„ mutari contingat, niſi de præſentibus de verbo
„ ad verbum in litteris hujuſmodi mentio fieret
„ ſpecialis, illud, & quicquid ſecùs factum fuerit,
„ etiamſi motu proprio, vel ex certâ ſcientiâ, vel
„ quibuſcunque aliis clauſulis emanaverit, irri-
„ tum ſit, & inane, nullamque obtineat roboris
„ firmitatem. Decernentes inſuper ex nunc nul-
„ lius roboris, vel momenti, ſi ſecùs à quoquam
„ quâvis auctoritate ſcienter vel ignoranter con-
„ tigerit attentari.

„ Cùm autem nos qui ſemper iſtud in votis

„ geſſi-

„ gessimus, & inter plurima quæ pro Christianæ
„ Catholicæ fidei, & Religionis honore, & am-
„ pliatione, & divini cultûs, & Religionis sa-
„ lutari propagatione, & Romanæ Ecclesiæ glo-
„ riâ per nos, licèt immeritos, divina clementia
„ nostris temporibus operari disposuit hoc salu-
„ tare opus, & sanctam reformationem nobis cre-
„ ditam & reservatam fuisse credimus & cognovi-
„ mus, circa præmissa solicitis & efficacibus studiis
„ intendentes, quibus salutaris fervor ex sancto
„ desiderio semper crevit, per alias nostras literas
„ sub Dat. Florentiæ 8. Idus Februarii Pontifi-
„ catûs nostri anno nono, dispositiones alias or-
„ dinavimus, & successivè per alias literas nostras
„ Dat. Romæ apud S. Petrum Calend. Maji Pon-
„ tificatûs nostri anno 14. & per alias litteras sub
„ Dat. Romæ apud sanctum Petrum 4. Idus Ia-
„ nuarii, Pontificatûs nostri anno 15. secundùm
„ quod expedire videbatur, plura circa hæc re-
„ formavimus, quarum vigore Altissimo con-
„ cedente, quamplurima huic præsenti nostræ
„ plenæ & perfectæ ordinationi, & constitutio-
„ ni, & dispositioni accommoda & utilia, tam
„ circa dictorum Canonicorum Regularium pos-
„ sessionem, quam administrationem, & plura
„ alia

„ alia tam per dictos Canonicos, quam per alios
„ de mandato nostro gesta & facta sunt: illas
„ omnes cum omnibus inde sequutis, quatenus
„ huic nostræ præsenti ordinationi conveniunt,
„ approbamus, & illis per hanc nostram plenio-
„ rem & perfectiorem dispositionem adjicimus.
„ In cæteris autem vel contrariis, vel quæ huic
„ minimè convenirent, tollimus, & cassamus, &
„ hanc plenam, & perfectam, & integram, fir-
„ mam, & illibatam ordinationem esse volumus,
„ & decernimus. Non obstantibus dicti Bonifa-
„ cii institutione, & immutatione prædictis qua-
„ cunque firmitate, &c. roboratis, ac privilegiis
„ per Sedem Apostolicam dictis sæcularibus Ca-
„ nonicis beneficiatis, Capitulo, dignitatibus, &
„ officiis prædictis, vel ipsi Ecclesiæ quomodo-
„ cunque concessis, & quocunque robore muni-
„ tis, nec non aliis Apostolicis, & dictæ Eccle-
„ siæ constitutionibus juramento, vel aliâ firmi-
„ tate roboratis, cæterisque contrariis quibus-
„ cunque. Nulli ergò hominum liceat hanc pa-
„ ginam nostræ reductionis, repositionis, consti-
„ tutionis, ordinationis, firmationis, commissio-
„ nis, concessionis, largitionis, amotionis, extin-
„ ctionis, suppressionis, cassationis, revocationis,

„ annullationis, abolitionis, appropriationis, in-
„ corporationis, institutionis, positionis, erectio-
„ nis, deputationis, tributionis, donationis, con-
„ firmationis, cassationis, communitionis, & vo-
„ luntatis infringere, vel ei ausu temerario con-
„ traire. Si quis autem hoc attentare præsumpse-
„ rit, indignationem omnipotentis Dei, & bea-
„ torum Apostolorum Petri & Pauli, ejus se no-
„ verit incursurum. Datum Romæ anno Incar-
„ nationis Dominicæ 1446. decimo octavo Cal.
„ Ianuarii, Pontificatûs nostri anno 16.

Ego Eugenius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus subscripsi.

Ego Georgius tit. S. Anast. Presbyter Cardinalis de Flisco manu propriâ subscripsi.

Ego B. Basilicæ SS. XII. Apostolorum Presbyt. Card. Nicen. manu propriâ.

Ego Antonius tit. S. Chrysogoni Presbyt. Cardin. manu propriâ.

Ego Ioannes tit. S. Laurentii in Lucinâ Presbyt. Cardin. manu propriâ.

Ego Georgius tit. S. Martini in montibus Presbyt. Cardin. subscripsi.

Ego Ioannes tit. S. Mariæ trans Tyberim Presbyt. Cardin. manu propriâ.

Ego

Ego Ludovicus tit. S. Laurentii in Damaso Presbyt. Cardin. Aquileg.

Ego Dominicus tit. S. Crucis in Ierusalem Cardin. Firmanus.

Ego Alphonsus tit. SS. Quatuor Coronatorum Presbyt. Cardin.

Ego Henricus tit. S. Clementis Presbyt. Cardin. Mediolanens.

Ego Thomas tit. S. Susannæ Presbyt. Cardin. manu propriâ.

Ego Ioannes tit. S. Sabinæ Presbyt. Cardin. manu propriâ.

Ego Prosper S. Georgii ad velum aureum S. R. E. Diaconus Cardin.

Ego Petrus S. Mariæ novæ S. R. E. Diaconus Cardin.

Ego Ioannes S. Angeli S. R. E. Diaconus Cardinalis.

Ego Francisc. Episcopus Portuens. manu propriâ.

Ego Ioann. Episcopus Prænestinus manu propriâ.

Diploma Martini V. quo approbat & confirmat Congregationem ceu Capitulum Windesemense; habetur in Compendio privilegiorum ejusdem Capituli impresso Vltrajecti anno 1553.

„334. MArtinus Episcopus servus servorum
„ Dei, dilectis filiis sanctæ Mariæ in
„ Windesem, & Salvatoris mundi in Eemsthein, ac
„ nemorum B. Mariæ prope Noerthoern, nec non
„ sanctæ Mariæ Viridis-vallis, sancti Pauli Ru-
„ beæ-vallis, & Mariæ in Korsendonck, Traje-
„ ctensis, Monasteriensis, ac Cameracensis Diœ-
„ cesium, aliorumque vestro Capitulo generali de
„ Windesem subjectorum, per Priores solitorum
„ gubernari, ordinis sancti Augustini monaste-
„ riorum Prioribus, Rectoribus, & Conventibus
„ salutem & Apostolicam benedictionem. Spon-
„ sa Christi, sancta Mater Ecclesia nullam ma-
„ culam neque rugam habens, sub unitate fidei,
„ religionum diversitate, non mediocri venustate
„ decoratur. Quæ licèt una dici possit & debeat,
„ propter suorum civium unitatem: suis tamen
„ per orbem domibus distributis, supernè reti-
„ net civitatis exemplar, quæ cùm sit unica,
„ multos tamen habet (testante Domino) man-
„ siones.

„ ſiones. Hæc eſt quidem veteris Teſtamenti
„ arca Noë, miro ſtudio fabricata, manſiunculas
„ habens & cameras. Hæc Ioſeph myſtici, tu-
„ nica polymita, hæc ipſius Domini veſtis incon-
„ ſutilis, ſed deſuper contexta per totum: ut ex
„ his pateat, & ipſius Eccleſiæ unitas quæ regu-
„ larium diſtinctionem profeſſionum non abjicit,
„ & eorum diverſitas quæ materni corporis nec
„ tollit, nec lacerat unitatem. Ad hanc ſanè mi-
„ rabilem pulchritudinem quâ ſplendet & ſplen-
„ duit quaſi quâdam varietate circundata, ipſa
„ mater, retroactis temporibus adjecit plurimum
„ ordo veſter: qui ſicut à ſuis primordiis poſt bea-
„ tos Apoſtolos Chriſti per regularia ſancti Pa-
„ tris Auguſtini inſtituta, luculenter per orbem
„ effloruiſſe dinoſcitur: ita etiam nunc divinâ
„ propiciante gratiâ, his noviſſimis temporibus
„ eundem ordinem in monaſteriis veſtris per di-
„ ſciplinæ regularis & fraternæ viſitationis obſer-
„ vantiam, felici pullulatione reflorere, & uber-
„ rimam exinde animarum frugem Deo referri
„ læti gratulamur. Unde nimirum ſedes Apoſto-
„ lica non ſolùm ſe vobis gratioſam reddere ha-
„ bet, verùm etiam largifluas in tantę rei favo-
„ rem, manus (veſtram hactenus cauſam tan-

 „quam

„ quam sibi subservientem promovendo, derigen-
„ do, & confovendo) porrigere deliberat adjutri-
„ ces. Hinc est quòd nos ante omnia vestram
„ capitularem colligationem, tam ab ipsâ Sede
„ Apostolicâ per nostros prædecessores, vel ejus-
„ dem Sedis Legatos, quam etiam à locorum ordi-
„ nariis vobis vestrisque monasteriis, pro regulari
„ disciplinâ stabilienda, datam & cōcessam, ratam
„ habentes & gratam, eam auctoritate Apostolicâ
„ approbamus, & etiam confirmamus. Omnis
„ nihilominus, si qui fortasse in hujusmodi vestræ
„ colligationis primordiis vel processibus com-
„ missi fuerint defectus, utpote si consensus ordi-
„ nariorum, Capitulorum, Metropolitanorum, &
„ Cathedralium Ecclesiarum, vel etiam aliquo-
„ rum fratrum Conventualium non intervenerit,
„ vel si in electionibus seu institutionibus Prio-
„ rum monasteriorum vestrorum, ex juris igno-
„ rantiâ, vel aliàs quomodolibet erratum fuerit,
„ eâdem auctoritate per hæc scripta supplemus.
„ Vosq; & vestra Monasteria, & Conventus unum
„ capitulare corpus efficientes, de novo ad invi-
„ cem inseparabiliter conjungimus, & in perpe-
„ tuum colligamus. Concedentes vobis de uberio-
„ ris gratiæ largitate, præsertim pro divini cultûs
„ & syn-

„ & syncerae religionis augmento, ut quaecunque
„ alia monasteria ordinis vestri jam fundata, vel
„ in posterum fundanda, dummodo duae partes
„ uniuscujusque talis Monasterii in hoc consen-
„ serint, & consensus dioecesani accesserit, possint
„ se liberè vestro generali Capitulo submittere,
„ colligare, & confirmare, ac etiam omnibus &
„ singulis gratiis & privilegiis vobis concessis &
„ concedendis uti & gaudere. Hoc pro bono uni-
„ formitatis adjecto, quòd praesidentes talibus
„ Monasteriis, quocunque nomine censeantur,
„ postquam vobis colligati fuerint, deinceps Pri-
„ oris nomine fungantur, nisi forte exempti fue-
„ rint, vel immediatè Sedi Apostolicae subjecti.
„ Igitur pro regulari disciplinâ stabilienda, &
„ pro decore sanctae religionis in Monasteriis ve-
„ stris perpetuò conservando, statuimus & ordi-
„ namus. In primis ut annis singulis sicut hacte-
„ nus consuevistis, in Monasterio beatae Mariae
„ in Windesem, ejusdem ordinis Trajectensis
„ Dioecesis, cui tu fili Ioannes Prior ad praesens
„ praeesse dignosceris, generale Capitulum ad instar
„ fratrum ordinis Carthusiensis celebrare debea-
„ tis. In quo quidem Capitulo Prior ejusdem Mo-
„ nasterii de Windesem existens pro tempore,
„ tanquam

„ tanquam ſuperior præſidebit niſi propter no-
„ tabilem neceſſitatem & evidentem utilitatem,
„ eorundem Monaſteriorum veſtrorum in duo-
„ bus Capitulis generalibus & continuis, omnes
„ diffinitores concorditer eandem ſuperioritatem
„ & locum ejuſdem Capituli generalis, cum ſuis
„ privilegiis ad aliquod aliud Monaſterium ejuſ-
„ dem veſtri ordinis & Capituli duxerint trans-
„ ferendum. Poteſt tamen idem generale Capi-
„ tulum propter aliquam neceſſitatem occurren-
„ tem in aliquo alio Monaſterio eidem Capitulo
„ ſubjecto, per Priorem ſuperiorem, vel vice ejus
„ gerentem, & per alios Priores Monaſteriorum
„ veſtrorum, qui pro tempore erunt celebrari.
„ Cui quidem Capitulo generali ejuſdemque de-
„ finitionibus univerſis, omnes Priores & Con-
„ ventus, ſingulæque utriuſque ſexûs perſonæ
„ Monaſteriorum, tàm virorum quàm mulierum
„ eidem Capitulo pro tempore ſubditorum, fir-
„ miter obedire teneamini. Nec liceat alicui eo-
„ rundem Monaſteriorum perſonæ quâcunque
„ de causâ ſeu occaſione ad aliquem, præter-
„ quam ad generale Capitulum, vel ad Priorem
„ ſuperiorem pro tempore (quem eandem aucto-
„ ritatem & poteſtatem in ſingulas perſonas ipſo-
„ rum

„ rum Monasteriorum quàm etiam proprii Prio-
„ res in eas habent, habere volumus & decerni-
„ mus) quomodolibet appellare. Et insuper in eo-
„ dem capitulo annis singulis eligantur definitores
„ qui unà cum Priore superiore plenariam (aucto-
„ ritate Apostolicâ) potestatem habeant, defectus
„ quoslibet personarum prædictarum puniendi &
„ corrigendi, & easdem (si opportunum fuerit)
„ ad alia Monasteria ejusdem ordinis transmit-
„ tendi, ac etiam prædictos Priores & Priorissas
„ Monasteriorum mulierum, sic subjectorum, de-
„ stituendi, instituendi, confirmandi, nec non re-
„ formandi, statuendi, interpretandi, ac etiam in
„ melius immutandi, omnia & singula quæ secun-
„ dùm regulam B. Augustini pro pace & utilitate
„ communi, pro regulari disciplinâ dictorum Mo-
„ nasteriorum conservāda visa fuerint expedire. Et
„ quicquid ab eis, vel saltem à majori parte ipso-
„ rum definitum, statutum, seu in melius immu-
„ tatum & per tria Capitula generalia continua
„ approbatum fuerit: plenam habeat in omnibus
„ Monasteriis vestris firmitatē. Hoc proviso, quòd
„ hujusmodi & quæcunque constitutiones vestræ
„ neminem ad culpam obligent, sed ad pœnam,
„ sive in statutis vestris comprehensam, sive à

 „ Capitulo

„ Capitulo generali, vel à visitatoribus, vel à
„ Prioribus infligendam: nisi (quod absit) quis
„ eas transgredi præsumpserit ex contemptu. Et
„ in quo etiam Capitulo omnes & singuli Prio-
„ res hujusmodi subjectorum Monasteriorum qui
„ tunc fuerint, teneantur per se, vel litteras suas
„ singulis annis à suorum officio seu regimine
„ prioratuum petere se absolvi. Verùm quia prio-
„ ratus vestri magis officia quàm dignitates esse
„ videntur propter facilem ab eisdem sine stre-
„ pitu juris absolutionem, cum etiam copia per-
„ sonarum utiliter præsidentium frequenter non
„ habetur, & quia nonnunquam *illegitimi* nati
„ multis virtutibus & magnâ morum probitate
„ decorantur: concedimus vobis de gratiâ spe-
„ ciali, ut Capitulum generale, vel Prior supe-
„ rior cum talibus illegitimis, quemcunque etiam
„ natalium defectum patientibus ut eo *non ob-*
„ *stante*, prioratus & alias dignitates ac officia
„ Monasteriorum vestrorum, nec non curam ani-
„ marum (si ad ea electi & confirmati, seu aliàs
„ ritè deputati fuerint) recipere & tenere possint,
„ auctoritate nostrâ valeant dispensare.

„ Præterea in eodem Capitulo per diffinitores
„ pro singulis Monasteriis visitandis certi depu-

„ tentur

„ tentur visitatores qui plenam generalis Capituli „ in singulis Monasteriis quę visitant auctoritatem „ habeant ordinandi, & disponendi, ac etiam ex- „ cessus tàm in capite quàm in membris secun- „ dùm regulam & statuta ordinis corrigendi, & „ si opportunum fuerit, etiam Priores ex certis „ causis in statutis comprehensis à prioratibus „ absolvendi, & alios canonicè electos confir- „ mandi, eisdemque curam animarum commit- „ tendi.

„ In obitu vel cessione cujuscunque Prioris di- „ ctorum Monasteriorum vestrorum duo Priores „ vel visitatores vocandi sunt ad interessendum „ electioni, sine quibus electio celebrata eo ipso „ nulla sit: qui & ipsum electum auctoritate gene- „ ralis Capituli confirment, eiq; curam animarum „ committant. Et si in electione hujusmodi ex ig- „ norãtiâ juris in personâ electâ, aut ex ratione eli- „ gentium, seu in formâ electionis, aut alias quo- „ modolibet erratum fuerit: generale Capitulum, „ aut Prior superior, poterit hujusmodi supplere „ defectum, vel etiam eandem cassare electionem. „ Nec aliquis postquam in Priorem electus fue- „ rit, electioni de se factæ renuntiare debet: nisi „ de consensu Capituli generalis, vel Prioris su-

„perioris, aut Priorum ad electionem vocato-
„tarum, quibus etiam ad consentiendum ele-
„ctioni hujusmodi obedire omninò teneatur.
„Cùm verò Conventus aliquis quâcunque de
„causâ jure eligendi privatus fuerit, electio &
„confirmatio hujusmodi ad Capitulum generale,
„vel eo dissoluto, ad Priorem superiorem imme-
„diatè devolvatur, quam tamen electionem seu
„confirmationem sic devolutam idem Prior supe-
„rior, visitatoribus sive Prioribus ad electionem
„vocatis, committere potest. Quod si hæc omnia
„in Monasterio superiore, dum ipsum Priore
„caruerit, facienda contigerint, Priores ad ele-
„ctionem vocati, interim in his & in aliis occur-
„rentibus, auctoritatem generalis Capituli con-
„cernentibus, vicem Prioris superioris supple-
„bunt, donec dicto Monasterio more per omnia
„jam dicto, provisum fuerit de Priore. *Qui qui-*
„dem Prior superior plenam habeat semper au-
„ctoritatem generalis Capituli, in causis infra
„annum emergentibus determinandi quæ ad ge-
„rale Capitulum commodè differri nequiverint,
„& in causis arduis similiter infra annum oc-
„currentibus, aliquos de Prioribus per generale
„Capitulum sibi assignatis, cùm sibi visum fue-
„rit

„rit ad privatum Capitulum convocandi; qui „unà cum ipſo & cum conventu Monaſterii ſu- „perioris plenariam æquè generalis Capituli ha- „beat poteſtatem. Poteſt tamen hæc auctoritas „Prioris ſuperioris per generale Capitulum re- „ſtringi, & iterum relaxari, quando eidem Ca- „pitulo viſum fuerit expedire.

„Denique volumus & ordinamus, ut in libris „& ordinariis divini officii (ubi commodè pote- „rit fieri) poſſitis vos invicem ſecundùm ordi- „nationem hujuſmodi Capituli conformare, ita „tamen, ut in ſingulis Monaſteriis ordinis veſtri „eidem Capitulo ſubjectis ad quæ veneritis, ſe- „cundùm morem veſtrum inibi conſuetum, ho- „ras Canonicas perſolvere valeatis. Clerici ſive „Presbyteri ſæculares, undecunque fuerint, apud „vos pro tempore converſantes, ſive religionem „attentantes, ſive etiam apud Monaſteria Monia- „lium generali Capitulo veſtro ſubditarum, pro „earum miniſterio reſidentes: ſimiliter in horis „Canonicis ſecundùm ordinarium veſtrum ſatiſ- „facere poſſint.

„De habitu quoque veſtro, ut in omnibus Mo- „naſteriis veſtris Capituli veſtri uniformitas & „ſimplicitas obſervetur, ſtatuimus & ordinamus,

„ ut cappæ vestræ infra & extra Monasteria de-
„ ferendæ, de nigro sint panno, & nullo alio co-
„ lore admixto, desuper caputium aptum, & ali-
„ quantulum amplum habentes, sæcularium ca-
„ putiis non conforme; ut videlicet, si quando
„ capiti superponatur, posterius non erigatur in
„ cristam, & ut demissum scapulas decenter ope-
„ riat. Tunicæ verò de albo panno, & pellicia, &
„ almucia de pellibus ovinis; pellibus sylvestri-
„ bus ab omni usu vestro sequestratis. Superpelli-
„ cia quoque subtilia sive roqueta, more vestro
„ consueto. Conversorum autem cappæ de panno
„ griseo; tunicæ verò & scapularia de panno al-
„ bo fieri debent. Deinde attendentes quod de-
„ cet & expedit, ut juxta doctrinam Apostoli;
„ unusquisque in eâ quâ vocatus est vocatione
„ permaneat, & ne leves & instabiles, seu corre-
„ ctionis impatientes, evagandi habeant *occasio-*
„ nem, & fratres suos scandalizent: statuimus
„ & firmiter prohibemus, ne vestræ capitularis
„ colligationis aut professionis quisquam, Prior,
„ aut Conventus, seu persona publica vel privata,
„ de obedientiâ vestrâ postquam professus fue-
„ rit, vel eidem Capitulo se submiserit, alicujus
„ vanitatis instinctu, vel districtioris religionis
„ obtentu

„ obtentu, ſe ſuúmve Conventum, ſeu propriam
„ perſonam, aut alterius ab eodem Capitulo di-
„ membrare audeat, vel quomodolibet ſepa-
„ rare, ſive diſcedere ſine Capituli generalis,
„ vel Prioris ſuperioris licentiâ petitâ & obtentâ.
„ Ac etiam omnibus & ſingulis Prælatis, & aliis
„ præſidentibus, nec non Conventibus, & per-
„ ſonis, mendicantium & aliorum ordinum quo-
„ rumcunque, ne illis quoquo modo abſque con-
„ ſenſu Capituli veſtri generalis, vel Prioris ſu-
„ perioris, aut licentiâ Sedis Apoſtolicæ, eis per
„ ſpeciales ejuſdem Sedis litteras plenam & ex-
„ preſſam, ac de verbo ad verbum de prædictis
„ mentionem facientes, conceſſa, recipere præ-
„ ſumant diſtrictiùs inhibemus, niſi fortè aliqua
„ perſona ad ordinem Carthuſienſium ſe tranſ-
„ ferens, in eo profiteri voluerit, decernentes
„ ex tunc, ſi ſecus factum fuerit, tranſitum & re-
„ ceptionem talium, irritos & inanes, fœlicis re-
„ cordationis Innocentii Papæ III. prædeceſſoris
„ noſtri, & aliis conſtitutionibus in contrarium
„ editis, non obſtantibus quibuſcunque.

„ Volumus etiam, & Apoſtolicâ vobis auctoritate
„ concedimus, quòd conſecrationes Eccleſiarum,
„ altarium, cimiteriorum, vaſorum, ornamento-

„ rum,

„ rum, & ordinum miniſtrationes, ſi Epiſcopi
„ Diœceſiani & locorum ſuper hoc rogati aut re-
„ quiſiti, ea vt debent & tenentur, facere recu-
„ ſaverint ſeu noluerint; à quibuſcunque aliis
„ antiſtitibus Catholicis, gratiam & communio-
„ nem Apoſtolicæ ſedis habentibus, petere &
„ recipere valeatis. Nec non ut tempore gene-
„ ralis interdicti januis clauſis (excommunicatis
„ & interdictis excluſis) Miſſas & alia divina
„ officia, in præſentiâ hujuſmodi & aliorum dicti
„ ordinis fratrum & familiarium celebrare, ſeu
„ celebrari facere, & eis quoties expedierit, Ec-
„ cleſiaſtica Sacramenta miniſtrare, ac defunctos
„ veſtros ac alios ibidem ſepulturam eligentes,
„ Eccleſiaſticæ ſepulturæ ſine ſolemnitate tra-
„ dere, dummodo vos vel ipſi cauſam hujuſmodi
„ non dederitis interdicto, nec id vobis vel *illis*
„ contigerit ſpecialiter interdici. Quodque etiam
„ vos altaria habere portatilia ſuper quibus in
„ domibus, & grangiis, ac aliis locis veſtris, in
„ quibus fuerint oratoria, capellæ, ſive loca ad
„ hujuſmodi divina celebrandum congruentia, &
„ honeſta, hujuſmodi Miſſas & divina officia
„ etiam antequam eluceſcat dies, circa tamen
„ diurnam lucem, ſi res exegerit, ſine alieni *juris*

„ præju-

„ præjudicio ſimiliter celebrare, vel ab aliis ritè
„ celebrari facere liberè & licitè valeatis. Nec
„ ſitis aſtricti propter excommunicatos, qui
„ forſan ad loca veſtra pro tempore acceſſerint,
„ poſtquam à locis receſſerint eiſdem, ceſſare à
„ divinis, aut vitare excommunicatos, niſi vobis
„ in ſpecie, vel ſecundùm formam juris fuerint
„ denunciati. Quodque de bonis veſtris infra
„ ſepta, vel limites Monaſteriorum veſtrorum
„ conſiſtentibus, quæ propriis manibus, vel ſum-
„ ptibus excolitis, de quibus aliquis hactenus non
„ percepit, aut de nutrimentis animalium veſtro-
„ rum decimas ſolvere, aut dare minimè tenea-
„ mini. Liceatque etiam vobis quæcunque bona
„ Monaſteriorum veſtrorum, præſentia, & futura
„ pro utilioribus commutare bonis, ſeu vendere,
„ & precium in majorem Monaſteriorum veſtro-
„ rum convertere utilitatem.

„ Poſtremò, ut præmiſſa omnia & ſingula per-
„ petuam habeant roboris firmitatem, diſtrictiùs
„ prohibemus ne ordinarii locorum, vel quicun-
„ que alii, cujuſcunque ſtatûs vel potentiæ fue-
„ rint, præſumant immutare, vel infringere, ſeu
„ impedire ea quæ per generale Capitulum, vel
„ per viſitatores ſeu commiſſarios ejuſdem de

„ electionibus, vel institutionibus, seu destitutio-
„ nibus Priorum & Priorissarum, vel etiam de
„ correctionibus & disciplinis secundùm regulam
„ & statuta ordinis vestri ordinata fuerint vel
„ disposita. Volentes equidem & auctoritate Apo-
„ stolicâ statuimus, ut Capitulum generale, vel
„ Prior superior, seu etiam visitatores omnes &
„ singulos in dictis Monasteriis professos contradi-
„ ctores & rebelles ordinis, & statutorum, ac con-
„ cessionum nostrarũ ad omnimodam subjectio-
„ nem & obedientiam, per censuram Ecclesiasti-
„ cam & alia juris remedia appellatione quâcunq;
„ remota, compescere valeant, vocato etiam ad
„ hoc, si opus fuerit, auxilio brachii *sæcularis*.
„ Hæc autem omnia & singula quæ pro regulari
„ disciplinà in monasteriis stabilienda, per præsen-
„ tes concedimus & statuimus; etiam ad omnia
„ & singula alia Monasteria tàm virorum quàm
„ mulierum præsentia & futura, quæ dicto Ca-
„ pitulo generali subjecta vel colligata sunt, aut
„ subjici, aut colligari contigerit, eorumq́ue Con-
„ ventus & personas extendi volumus, & exten-
„ dimus, eaq́ue, quibus etiam per aliquam gene-
„ ralem revocationem, aut aliàs per sedem Apo-
„ stolicam, vel Legatos ejus, seu aliàs quovis
„ modo,

„ modo, niſi de ipſis & eorum toto tenore de verbo „ ad verbum mentio ſpecialis habeatur, derogari „ nolumus, perpetuò valitura. Ac quicquid in „ contrarium per locorum ordinarios, aut alios „ quoſcunque, quovis modo attentari contigerit, „ prædictâ auctoritate Apoſtolicâ irritum & ina- „ ne decernimus per præſentes. Interpretationem, „ verò, ſeu declarationem omnium & ſingulo- „ rum dubiorum ſeu obſcuritatum, ſi quæ for- „ ſan in præmiſſis, ſeu circa ea, vel ipſorum ali- „ quod, ſeu aliqua exoriri contigerit, Capitulo „ generali duntaxat reſervantes. Non obſtanti- Nota. „ bus tam fælicis recordationis Benedicti Papæ „ XII. prædeceſſoris noſtri, quæ quamvis de or- „ dine veſtro editæ ſint, non tamen fuerunt in „ Provinciâ veſtrâ & in quibuſdam aliis Provinciis „ (ut aſſeritur) particulariter promulgatæ, ſeu „ moribus utentium approbatæ, quàm aliis qui- „ buſcunque conſtitutionibus Apoſtolicis, nec „ non ſtatutis, conſuetudinibus, & ordinationi- „ bus ordinariorum, Provincialium, Metropoli- „ tanorum, & Cathedralium Eccleſiarum, Mo- „ naſteriorum, & aliorum locorum ejuſdem or- „ dinis ſeu religionis, vel etiam per quoſcunque „ veſtrûm priùs forſan factis, vel ordinatis, præ-

„ ſentium fortaſſis, confirmationis, colligationis,
„ conſtitutionum, privilegiorum noſtrorum, te-
„ nori contrariis, juramentis, pactis, votis, con-
„ firmationibus Apoſtolicis, aut quibuſvis firmi-
„ tatibus; aliis roboratis, quorumcunque teno-
„ rum exiſtant, per quæ præſentibus non expreſſa
„ vel totaliter non inſerta, eorum effectus impe-
„ pediri valeat, & de quibus quorumcunque
„ totis tenoribus habenda ſit in litteris noſtris
„ mentio ſpecialis. A quibus nec non juramen-
„ tis & votis hujuſmodi (in quantum præmiſſis
„ obviant) ac etiam Synodorum viſitationibus
„ (illis exceptis qui in Parochialibus Eccleſiis re-
„ ſident) vos omnes & ſingulos tenore præſen-
„ tium abſolvimus, cæteriſque contrariis non ob-
„ ſtantibus quibuſcunque. Verùm etiam quia ſic-
„ ut aſſeritis, præmiſſam pro majori parte vo-
„ bis retroactis temporibus, per eos qui *tem-*
„ pore ſciſmatis pro Romanis Pontificibus ſe
„ gerentes, ſeu eorum Legatos, aut locorum
„ ordinarios ipſo durante ſciſmate, conceſſa fue-
„ rint; voſque multa ex ipſis (occaſione con-
„ ceſſionum hujuſmodi) exercuiſtis uſque nunc,
„ ac timeatis ipſos Legatos ad ſingula ta-
„ lia, poteſtatem ſufficientem non habuiſſe,
„ ſeu

„ seu ordinarios ipsos de suâ ordinariâ potestate,
„ ea facere non potuisse: nos volentes in hoc
„ vestras serenare conscientias, omnia & singula
„ per vos, talium occasione concessorum, aliàs
„ tamen ritè gesta & facta, auctoritate Apostolicâ
„ prædicta, ratificamus & approbamus. Nulli ergò
„ omninò hominum liceat hanc paginam nostræ
„ approbationis, confirmationis, suppletionis,
„ conjunctionis, colligationis, concessionis, sta-
„ tuti, ordinationis, voluntatis, constitutionis,
„ prohibitionis, decreti, inhibitionis, extensionis,
„ reservationis, absolutionis, & ratificationis, in-
„ fringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis
„ autem hoc attentare præsumpserit, indignatio-
„ nem Dei omnipotentis, & beatorum Petri &
„ Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.
„ Datum Florentiæ quintodecimo Calend. April.
„ Pontificatûs nostri anno tertio, scilicet, anno
„ Domini MCCCCXX.

Extat in eodem compendio bulla Innocentii VIII. in quâ referuntur pleraque, quæ circa Canonicos Regulares ordinis S. Augustini contigerunt, & quæ eis à Sede Apostolicâ privilegia indulta fuerunt, sub Sixto IV. Martino V. Eugenio IV. Nicolao V. Calixto III. Paulo II.

ubi maximè notandum eſt teſtimonium Sixti IV. quod in initio Diplomatis ſui dedit de ordine Canonico-Auguſtiniano; ſic ſonat:

„ SIxtus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei ad per-
„ petuam rei memoriam. Dum ad univerſos
„ Regulares ordines, ac loca jugi ſanctimoniæ
„ dedita, perſonaſque voto Religionis obſtrictas,
„ pro injuncto nobis Apoſtolicæ ſervitutis officio
„ crebris vigiliis, & indefeſſis ſtudiis attendimus,
„ ad illum præcipuè Canonicorum Regularium
„ congregationis Lateran. ordinis S. Auguſt. eò
„ libentiùs noſtræ mentis oculos convertimus,
„ quò ordo ipſe in naſcentis Eccleſiæ ſanctâ in-
„ ſtitutione ac primorum Chriſtianæ Religionis
„ Clericorum normâ, traditionibuſque fundatus,
„ & ſacris inſtitutis, ac divinis regulis, elo-
„ quiiſque præmunitus extitit, ab ejuſque pri-
„ mævâ fundatione variis virtutum meritis ſem-
„ per reſplenduit.

Bulla

Bulla Innocentii VIII. quâ terminavit litem inter Abbatem Canonicorum Regularium S. Augustini de Crutzelingen prope muros Constantiæ ex unâ, & Abbatem monasterii in Petri-domo ultra pontem Constantiæ ordinis S. Benedicti ex alterâ, super jure præcedendi in Concilio Constantiensi, confirmantis determinationem factam prius à Ioanne XXIII. extat apud Pennottum lib. 2. Generalis Historiæ cap. 71. num. 4. & producta fuit in processu inter Canonicos Reg. ordinis S. Aug. Congregationis Lateran. & Monachos ordinis S. Benedicti Congregationis Caßinensis, ut videre est apud Ascanium Tumburinium tom. 1. de jure Abbatum disp. 25. quæst. 1. num. 197.

„ 335. INnocentius Episcopus Servus Servorum
„ Dei ad futuram rei memoriam, Provi-
„ sionis nostræ debet provenire subsidio, ut suum
„ jus cuilibet conservetur. Hinc est quod nos
„ tenorem quarundam litterarum Concilii Con-
„ stantiensis in Registro ipsius Concilii reperta-
„ rum, pro eo quòd sicut exhibita nobis pro par-
„ te dilectorum filiorum Abbatis & Conventus
„ Monasterii in Crutzelingen extra muros Con-
„ stantiæ, Ordinis S. Aug. petitio continebat,
„ ipsi

,, ipſi eo indigere noſcuntur, de verbo ad verbum
,, tranſcribi & ad ipſorum ſupplicantium inſtan-
,, tiam præſentibus annotari fecimus, qui talis eſt.

,, Sacroſancta & generalis Synodus Conſtan-
,, tienſis ad perpetuam rei memoriam. Rationi
,, congruit, & convenit honeſtati, ut ea, quæ de
,, Rom. Pontifice gratia proceſſerunt, licet tem-
,, pore quo papatui præfuit litteræ Apoſtolicæ
,, ſuper illis confectæ non fuerint, ſuum conſe-
,, quantur effectum.

,, Sanè dudum pro parte dilectorum filiorum
,, Erardi Abbatis & Conventus Monaſterii Crut-
,, zelingenſis extra muros Conſtantiæ Ordinis S.
,, Aug. Baltaſari tunc Ioanni Papæ XXIII. ex-
,, poſito, quod licet ipſius Ordinis Regularis in-
Nota. ,, ſtitutio, ac ejus per Apoſtolicam Sedem ſub-
,, ſequens Approbatio longè præcederent inſti-
,, tutionem, & etiam per eandem Sedem factam
,, approbationem Ordinis S. Benedicti præfatuſ-
,, que Abbas in abbatialis dignitatis promotio-
,, ne directus Eccleſiæ filium Ioannem Abbatem
,, Monaſterii in Petri-domo ultra pontem Con-
,, ſtantiæ, dicti ordinis S. Benedicti longè præ-
,, ceſſerit, nec non Abbas pro tempore exiſtens,
,, ſupradicti monaſterii Crutzelingen mitrâ & an-

,, nulo,

„ nulo, cæterisque Pontificalibus insigniis, & speciali privilegio Sedis ejusdem, cui non est in aliquo derogatum, uti & gaudere ab olim cõsuevisset, quibus dictus Abbas monasterii Petri-domûs minimè utebatur seu gaudebat, ac eidem Abbati monasterii in Crutzelingen existenti pro tẽpore ut patri Abbati, etiam alia plura monasteria dicti ord. S. Augustini in diversis locis consistentia secundùm ejusdem ord. regularia instituta per Sedem ipsam, ex certâ scientiâ approbata subessent, in quo eorumque personas degentes pro tempore in eisdem jus seu superioritatem visitandi, corrigendi, & puniendi haberet, & propterea Abbas, & Conventus prædicti, nec non Canonici ejusdem monasterii Crutzelingen in quibuscunque actibus solemnibus, nec non processionibus generalibus quæ fierent pro tempore in civitate Cõstantiæ, ac etiam in generali Concilio Abbati & Monachis existentibus pro tempore ac Conventui dicti monasterii Petri-domûs præferri, atque in digniori loco sive ordine collocari deberent.

„ Tamen cùm idem Ioannes Abbas & Conventus monasterii Petri-domûs contrarium asserentes, jactarent ex aliquibus confictis & mi-

„ nùs validis rationibus se in talibus ipsis Abba-
„ ti Canonicis, & Conventui ejusdem monasterii
„ in Crutzelingen fore præferendos, quodque
„ timebatur ex hoc inter partes ipsas exoriri li-
„ tes, jurgia, & scandala, quæ forsan de facili re-
„ parari non possent, ac pro parte dictorum Erar-
„ di Abbatis, & Conventus monasterii Crutze-
„ lingen eidem Balthasari tunc Pontifici humi-
„ liter supplicato, ut in præmissis de benignitate
„ Apostolicâ salubriter provideret, idem Baltha-
„ sar tunc Papa desiderans pacem & concordiam
„ inter Abbatem, & Conventum, ac Canonicos,
„ & Monachos hujusmodi Monasteriorum præ-
„ fatorum perpetuò stabilire, hujusmodi suppli-
„ cationibus voluit & concessit, videlicet, 5. Kal.
„ Decembris, Pontificatûs sui anno 5. quòd Ab-
„ bas pro tempore existens in Crutzelingen præ-
„ fato Abbati etiam pro tempore existenti *in Pe-*
„ tri-domo prædictorum monasteriorum, necnon
„ Canonici in Crutzelingen etiam existentes pro
„ tempore Monachis similiter existentibus pro
„ tempore in Petri-domo monasteriorum præfa-
„ torum tàm illis quàm processionibus hujusmodi
„ dicti Concilii Constantiensis & quàmdiu il-
„ lud duraret, quàm etiam quibusdam aliis pro-
„ cessio-

„ cessionibus, nec non actibus solemnibus & pu-
„ blicis, in quibus pro tempore insimul convenire
„ contingeret præferri, ac locis dignioribus hujus-
„ modi perpetuis temporibus collocari deberent.
„ Non obstante etiam quibuscumque privilegiis,
„ indulgentiis, & litteris Apostolicis generalibus,
„ & specialibus eisdem Abbati & Conventui
„ Petri-domûs, ac ordinis S. Benedicti concessis
„ quorumcunque tenorum existerent, per quæ
„ litteris dicti Balthasaris tunc Papæ, si super his
„ confectæ fuissent non expressa, vel totaliter non
„ inserta effectus earum impediri valerent, quo-
„ modolibet vel differri, & de quibus quorumque
„ totis tenoribus de verbo ad verbum habenda
„ esset in eisdem litteris mentio specialis.

„ Ne autem pro eo quod super voluntate
„ & concessione præfatæ litteræ dicti Balthasaris
„ tunc Papæ, interim quod Papatui præfuit, con-
„ fectæ non fuerint, prædicti Abbas & Con-
„ ventus monasterii in Crutzelingen voluntatis
„ & concessionis prædictarum frustrentur effe-
„ ctu, volumus, & tenore præsentium decerni-
„ mus, quòd voluntas & concessio prædicta à di-
„ ctâ die, videlicet, 5. Kalend. Decembris per-
„ inde suum consequantur effectum ac si litteræ

„ dicti Balthasaris tunc Papæ super illis sub ipsius „ diei datis confectæ fuissent. Quodque præsen- „ tes litteræ ad probandum plene voluntatem & „ concessionem prędictas ubique sufficiant, nec ad „ id probationis alterius adminiculum requiratur. „ Nulli ergò omninò hominum liceat hanc pagi- „ nam nostræ voluntatis ac constitutionis refrin- „ gere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis „ autem hoc attentare præsumpserit, indignatio- „ nem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & „ Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. „ Datum Constantiæ 15. Kalend. Septemb. anno „ nativit. Dom. 1415. Apostolicâ Sede vacante.

„ Cæterùm ut earundem litterarum tenor „ prædictus insertus omnimodam rei seu facti „ certitudinem faciat, Apostolicâ auctoritate de- „ cernimus, ut illud idem robur, eandem vim, & „ eundem vigorem dictus tenor per omnia *ha-* „ beat, quem habent originales litteræ supradictæ, „ & eadem prorsus eidem tenori fides adhibea- „ tur quandocunque & ubicunque, sive in judi- „ cio, sive alibi, ubi fuerit exhibitus vel osten*sus*, „ & eidem tenori firmiter stetur in omnibus, sic- „ ut eisdem originalibus litteris staretur si forent „ exhibitæ vel ostensæ. Per hoc autem nullum *jus*

„ cui-

„ cuiquam de novo acquiri volumus, sed anti-
„ quum cōservari tantummodò. Nulli ergò omni-
„ nò hominum liceat hanc paginam nostri Decreti
„ & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario
„ contraire. Si quis autem hoc attentare præ-
„ sumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac
„ beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se
„ noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Pe-
„ trum anno Incarnationis Dominicæ 1489. 5.
„ Kal. Maji, Pontificatûs nostri anno 5.

Sententia lata à Sanctissimo Domino nostro Pio IV. Pontifice Maximo in causâ præcedentiæ ad relationem trium Cardinalium deputatorum S. R. E. in favorem Canonicorum Regularium S. Augustini.

„ 336. CHristi nomine invocato pro tribuna-
„ li sedentes, & solùm Deum præ ocu-
„ lis habentes, per hanc nostram definitivam
„ sententiam quam ferimus in his scriptis, in
„ causa, & causis, quæ coram nobis, & quas
„ dilectis filiis nostris Ioanni Michaëli Saraceno
„ tituli S. Anastasiæ, Ioanni Baptistæ Cicadæ
„ tit. S. Clementis, & Bernardino Scotto S. R. E.
„ Cardinalibus primo audiendas, cognoscendas,

„ & per eos decidendas & terminandas, & de-
„ inde per præfatos Cardinales, per Apoſtolica
„ noſtra reſcripta nobis referendas commiſimus,
„ inter dilectos filios Abbates, Prælatos, & Cano-
„ nicos Reg. ord. S. Aug. Congregationis Latera-
„ nenſis, & univerſam eorum Congregationem ex
„ una, & Prælatos, Abbates & monachos ordinis
„ S. Benedicti Congregationis Caſſinenſis, aliàs
„ S. Iuſtinæ de Padua nuncupatos, & dictam eo-
„ rum Congregationem, de & ſuper præceden-
„ tia, & jure inter eos præcedendi, tam in pro-
„ ceſſionibus, quam in generalibus, & ſynodali-
„ bus, ſeu provincialibus Conciliis, omnibuſque
„ actibus publicis & privatis, rebuſque aliis in
„ actis cauſæ & cauſarum hujuſmodi latiùs dedu-
„ ctis, & illorum occaſione quæ in primâ, ſeu aliâ
„ verſæ fuerunt, & vertebantur inſtantiis, parti-
„ bus ex altera.

Nota. „ Cauſa hujuſmodi coram dictis Cardinalibus
„ ad plenum ventilata, & ſæpiùs auditis partibus,
„ & dubiis in ea plenè diſcuſſis, & reſolutis, ac
„ viſis de jure videndis, & demum per dictos
„ Cardinales nobis matura deſuper facta rela-
„ tione, pronunciamus, ſententiamus, decerni-
„ mus Abbates, Prælatos, & Canonicos Re-
„ gulares

„gulares Congregationis Lateranenſis uti Cle-
„ricos, dimiſſa ſuperiori veſte pallio ſeu cappa
„in linea veſte, Clericalique habitu incedentes
„(quòd etiam in alma noſtra urbe Romæ conſue-
„tum fuit, & nunc obſervatur) in proceſſionibus
„& omnibus aliis actibus publicis & privatis,
„tam in dictâ almâ urbe noſtrâ, noſtroque &
„ſucceſſorum noſtrorum conſpectu, quàm aliàs
„univerſis, ac quibuſcunque aliis civitatibus, ter-
„ris, oppidis, & locis, dictos Abbates, Prælatos,
„& Monachos ordinis S. Benedicti Caſſinenſes
„præcedere debuiſſe ac debere: eoſdemque Ab-
„bates, Prælatos, & Canonicos Reg. dictamque
„eorum congregationem, ut ſupra incedentes, di-
„ctis Abbatibus, Prælatis, & Monachis S. Bene-
„dicti, & eorum congregationi in omnibus &
„præmiſſis præferendos, anteponendos, & in di-
„gniori loco collocandos fore & eſſe.

„Abbates verò dictarum congregationum La-
„teranenſis & S. Benedicti ſingulariter & de per
„ſe, abſque eorum Conventibus, in Conciliis
„generalibus, Provincialibus, & Synodalibus, &
„aliis actis publicis & privatis, in quibus Abba-
„tes de jure, vel de conſuetudine locum & vo-
„tum habent, vel pro tempore quomodolibet

„habe-

„ habebunt, inter ſe juxta ſingulorum ipſorum
„ Abbatum ibidem intervenientium priorem &
„ antiquiorem promotionem ad Abbatiam; ac
„ illâ promotione dumtaxat, non autem congre-
„ gatione & ordine, cujus fuerint attentis, præ-
„ cedere & præferri, & in digniori loco collocari
„ debuiſſe & debere, prout præferimus, anteponi
„ mus, collocamus, præferrique anteponi, & col-
„ locari reſpectivè mandamus. Iactationes quo-
„ que, moleſtationes, oppoſitiones, perturbatio-
„ nes, vexationes, & impedimenta quæcunque
„ per præfatos Abbates, Prælatos, & Monachos
„ dicti ordinis S. Benedicti, & dictam eorum
„ congregationem eiſdem Abbatibus, Prælatis,
„ Canonicis Regularibus dicti ordinis, & eorum
„ congregationi de & ſuper præfatis omnibus
„ & ſingulis & illorum occaſione quomodolibet
„ factas, præſtitas, & illatas, factaque, præſtita,
„ & illata fuiſſe & eſſe temerarias, illicitas, inde-
„ bitas, & injuſtas, temerariaque, illicita, inde-
„ bita, & injuſta, & de facto præſumptas & præ-
„ ſumpta, illaſque & illa præfatis Abbatibus, Præ-
„ latis, & Monachis feciſſe & facere minimè li-
„ cuiſſe, nec licere de jure. Et propterea de &
„ ſuper illis, ac dicto jure præcedendi, ut ſuprà
„ omni-

„omnibusque aliis & singulis præmissis perpe-
„tuum silentium imponendum fore & esse, ac
„imponimus, utramque partem in expensis, ju-
„stis de causis absolventes.

Ita refero & censeo pronunciandum esse Ioannes Michaël Cardinalis Sarracenus.

Ita refero & censeo pronuntiandum Ioan. Baptista Cardin. S. Clementis.

Ita refero & censeo pronuntiandum esse Bernardinus Cardin. Tranens.

„Lecta, lata, & in Scriptis promulgata præsens
„est diffinitiva sententia, sub annulo Piscatoris si-
„gnata per eundem S. D. N. D. Pium PP. IV.
„Romæ in palatio S. MARIÆ de Arâ Cœli
„in palatio ejusdem S. D. N. PP. anno à nati-
„vitate Domini 1563. indictione 6. die verò 23.
„mensis Septemb. Pontificatûs S. D. N. D. Pii
„divinâ providentiâ PP. IV. anno 4. præsenti-
„bus ibidem Rev. D. Alexandro Palanterio almę
„urbis Romæ Gubernatore, & illustr. D. Com.
„Annibale Altemps ad præmissa & singula vo-
„catis specialiter, habitis, atque rogatis.

Breve ejusdem S. D. N. in quo supplentur omnes & singuli processus & sententiæ prædictæ, defectus etiam substantiales, si qui forsitan intervenerint; ac mandatur ab omnibus inviolabiliter observari debere prædictam sententiam sub pœnis & censuris.

„ 337. PIUS Papa IV. ad futuram rei memo-
„ riam, Sedis Apostolicæ providentiâ
„ circumspectâ, ne rursus ea quæ in controversiis
„ inter personas Ecclesiasticas, præsertim Altissi-
„ mo sub regulari professione famulantes, exor-
„ tis, pro tranquillo religionis statu prudenter or-
„ dinavit, ne in molestos contentionis anfractus
„ relabantur, majorem solet, dum id res ipsa re-
„ quirit, adhibere cautionem.

„ Sanè nuper postquam, sicut nobis innotue-
„ rat, ab antiquis usque temporibus, etiam supra
„ centum annos retroactos lis & causa seu con-
„ troversia inter dilectos filios Rectorem Gene-
„ ralem & Canonicos Regulares S. Augustini
„ ex unâ, ac Monachos S. Benedicti ordinis Cassi-
„ nensis aliàs Iustinæ de Paduâ congregationum
„ partibus alterâ, super eorum præcedentiâ, seu
„ jure præcedendi suborta, & coram diversis ju-
„ dicibus, etiam in nostro palatii Apostolici au-

„ ditorio

„ditorio ventilata, ac demum non ſine animi
„noſtri moleſtiâ in OEcumenico Concilio Tri-
„dentino inter eorundem congregationum Ab-
„bates renovata fuerit.

„Nos conſiderantes lites & controverſias hu-
„juſmodi in Eccleſiâ, præſertim inter Religioſas
„& Reformatas perſonas, quæ relictis mundi va-
„nitatibus, votum ſuum in humilitatis ſpiritu Do-
„mino & Deo noſtro, qui ſe pro nobis uſque ad-
„eò humiliavit, ut formam ſervi acciperet, per-
„ſolvere profitentur, non modicùm illi præcla-
„ræ Deóque præcipuè dilectæ virtuti, quæ eſt
„humilitas, labem infundere, populoque ſcan-
„dalum generare, & propterea illas omni ratio-
„ne ſubmovendas, publicæque Religionis tran-
„quillitati, ac Miniſtrorum Dei reconciliationi,
„& mutuę dilectioni quamprimùm conſulendum
„eſſe rati.

„Motu proprio dictas cauſas & controverſias
„ubilibet, & coram quibuſvis Iudicibus motas,
„& in quibuſvis inſtantiis indeciſas pendentes ab
„eiſdem Iudicibus ad nos advocavimus, illaſque
„dilectis filiis noſtris Ioanni Michaël S. Anaſta-
„ſiæ Sarraceno, Ioanni Baptiſtæ S. Clementis
„Cicadæ, ac Bernardino Scotto nuncupatis

 „S. R. E.

„ S. R. E. Presbyteris Cardinalibus audiendas,
„ cognoſcendas, & decidendas per quandam mo-
„ tûs proprii ſcedulam, & deinde illas per aliud
„ noſtrum reſcriptum eiſdem Cardinalibus per
„ eos audiendos tantùm, nobiſque referendas
„ commiſimus.

Nota. „ Qui quidem Cardinales dictis partibus, ea-
„ rumque Procuratoribus & Advocatis pluries
„ auditis, dubiiſque emergentibus ad plenum diſ-
„ cuſſis & reſolutis, comperto ſatis per eos, ex
„ compluribus litteris Apoſtolicis diverſiſque aliis
„ rationibus & probationibus, quòd ipſi Canonici
„ fuerunt, & ſunt de illis Clericis à *S. Auguſtino*,
„ imò à SS. Apoſtolis inſtitutis, eoſdem Canonicos
„ tàm ſuæ antiquæ inſtitutionis hujuſmodi, quàm
„ etiam dignitatis Clericalis, quâ eos ſtatim, quod
„ profeſſionem regularem emittunt inſignitos eſſe
„ eſſe oportet, aliarumque qualitatum in *eis* exi-
„ ſtentium ratione, dictamque illorum congre-
„ gationem Lateranenſem præfatos Monachos
„ & eorum congregationem Caſſinenſem præce-
„ dere debere cenſuerunt & concluſerunt, ſuam-
„ que cõcluſionem hujuſmodi ad audientiam no-
„ ſtram juxta ultimi noſtri reſcripti præfati teno-
„ rem retulerunt.

„ Unde

„ Unde nos illorum relatione intellectâ, eâque
„ per nos diligenter examinatâ, quoniam eam
„ in omnibus suis partibus veritati & juri conso-
„ nam reperimus, per nostram definitivam sen-
„ tentiam pronuntiavimus, sententiavimus, de-
„ decrevimus, & declaravimus, Abbates, Præla-
„ tos, & Canonicos Regulares congregationis
„ Lateranensis utî Clericos, dimissâ superiori ve-
„ ste, pallio seu cappâ, in lineâ veste Clericalique
„ habitu incedentes (quod etiam in almâ Urbe
„ consuetum fuerat, & tunc observabatur) in pro-
„ cessionibus, & in omnibus aliis actibus publicis
„ & privatis, tàm in dictâ Urbe, nostroque, & a-
„ liorum Romani Pontificis successorum nostro-
„ rum cõspectu, quàm aliàs in universis & quibus-
„ cunque aliis civitatibus, terris, oppidis, & locis,
„ Abbates, Prælatos, & Monachos ordinis S. Be-
„ dicti congregationis Cassinensis prædictos præ-
„ cedere debuisse & debere, ac eosdem Abbates,
„ Prælatos, & Canonicos Regulares, dictamque
„ eorum congregationem, ut præfertur, inceden-
„ tes dictis Abbatibus, Prælatis, & Monachis S.
„ Benedicti, & eorum congregationi in omnibus
„ & singulis præmissis præferendos, anteponen-
„ dos, & in digniori loco collocandos fore & esse.

„ Abbates verò dictarum congregationum sin-
„ gulariter, & de per se absque illorum Conven-
„ tibus in Conciliis Generalibus, Provincialibus,
„ & Synodalibus, ac aliis actis publicis & pri-
„ vatis, in quibus Abbates de jure vel consuetu-
„ dine locum & votum habent, vel pro tempore
„ quomodolibet habebunt, inter se juxta singu-
„ lorum ipsorum Abbatum ibidem intervenien-
„ tium priorem & antiquiorem promotionem ad
„ Abbatiam, & illorum promotione dumtaxat,
„ non autem congregatione & ordine cujus sint
„ attentis, præcedere & præferri, & in digniori
„ loco collocari debuisse & debere, prout ex tunc
„ prætulimus, anteposuimus, & collocavimus,
„ præferrique, anteponi, & collocari manda-
„ vimus.

„ Iactationes quoque, molestationes, oppressio-
„ nes, perturbationes, vexationes, & impedimen-
„ ta quæcunque per Abbates, Prælatos, & Mo-
„ nachos prædictos, & eorum congregationem
„ Cassinensem, eisdem Abbatibus, Prælatis, &
„ Canonicis Regularibus congregationis Latera-
„ nensis super præfatis omnibus & singulis, &
„ illorum occasione quomodolibet factas, præ-
„ stitas, & illatas, facta, præstita, & illata, fuisse

„ & esse

„& esse temerarias, illicitas, indebitas, & injustas, temerariaque, illicita, indebita, & injusta, ac de facto præsumptas & præsumpta, illasque & illa Abbatibus, Prælatis, & Monachis congregationis Cassinensis hujusmodi fecisse & facere minimè licuisse, neque licere de jure. Et propterea de & super illis, ac dicto jure præcedendi, omnibus & singulis aliis præmissis, perpetuum silentium imponendum fore & esse, & tunc imposuimus, prout in rescripto, relatione, & sententiâ prædictis pleniùs continetur.

„Ne autem de sententiæ, aliorumque præmissorum validitate ullo umquam tempore dubitari, ac propterea, vel alio quovis prætextu rem maturè discussam, ac judicatam rursus in controversiam retrahi, néve denuò in Ecclesiâ Dei inter tales personas Religiosas contentiones exoriri, ac populo scandala generari contingat, tempestivè providere, ac supremam huic negotio manum apponere cupientes, nec non veriores litterarum singulorum prædecessorum, ac rescripti, processûs, relationis, sententiarumque præfatorum, & inde secutorum tenores, præsentibus non sufficienter expressis habentes.

„Motu

„ Motu ſimili non ad ipſorum Abbatum, Præ-
„ latornm, & Canonicorum Regularium congre-
„ gationis Lateranenſis, vel alterius pro eis nobis
„ ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex
„ verâ deliberatione, & certá ſcientia noſtrâ, ac
„ de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ad effe-
„ ctum executionis dictæ ſententiæ tum omnes
„ & ſingulos proceſſus & ſententiæ præfatorum
„ defectus etiam ſubſtantiales, ſi qui forſan in
„ eiſdem intervenerint, harum ſerie ſupplemus,
„ ac eandem ſententiam unà cum ejus proceſſu
„ validos & efficaces eſſe, ſuoſque plenarios &
„ integros effectus ſortiri, & ab omnibus invio-
„ labiliter obſervari debere, nec partes ipſas ab
„ eis ullo umquam tempore, quovis prætextu,
„ quæſitóve colore reſilire poſſe, ſed ad illorum
„ obſervationem teneri, cenſuriſque, & pœnis,
„ tàm Eccleſiaſticis quàm pecuniariis ad id cogi
„ & compelli, neque Monachos eorúmve con-
„ gregationem adverſus ſententiam, aliáve præ-
„ miſſa in priſtinum ſtatum quovis quæſito co-
„ lore, vel ingenio reſtitui, nec illa oppugnantes
„ audiri, præſenteſque litteras de ſubreptionis,
„ vel obreptionis vitio, aut intentionis noſtræ,
„ aut alio quovis defectu notari, ſeu impugnari
„ poſſe.

„ Sicque & non aliter per quoſcunque Iudices
„ & Commiſſarios etiam S. R. E. Cardinales ſub-
„ latâ eis, & eorum cuilibet quâvis aliter judi-
„ candi, & interpretandi facultate & auctoritate
„ judicari & definiri debere, ac quicquid ſecus
„ à quoquam quâvis auctoritate, ſcienter vel igno-
„ ranter attentari contigerit, irritum & inane de-
„ cernimus; præmiſſaque omnia perpetuò ſta-
„ tuimus, & quòd ita fiant & obſerventur, volu-
„ mus atque mandamus.

„ Similiter venerabili fratri Epiſcopo Amerin.
„ & dilectis filiis noſtris, noſtro in almâ Vrbe &
„ ejus diſtrictu Vicario in ſpiritualibus ac Curiæ
„ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Auditori, gene-
„ ralibus per præſentes motu pari mandantes,
„ quatenus ipſi vel duo aut unus eorum per ſe
„ vel alium, ſeu alios præſentes litteras, & in eis
„ contenta quæcunque, ubi & quando opus fue-
„ rit, ac quoties prò parte Rectoris generalis &
„ Abbatum, Prælatorum, ac Regularium Cano-
„ nicorum S. Auguſtini congregationis Latera-
„ nenſis præfatorum, vel alicujus eorum fuerint
„ requiſiti, ſolemniter publicantes, ac illis in
„ præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſten-
„ tes, faciant auctoritate noſtrâ illos ſuppletione,

 „ decreto,

„ decreto, ſtatuto, voluntate, & mandato, aliis
„ præmiſſis pacificè frui & gaudere. non permit-
„ tentes eos, vel eorum quempiam deſuper per
„ quoſcumque quomodolibet indebitè moleſta-
„ ri, perturbari, vel inquietari. Contradictores
„ quoſlibet & rebelles per ſententias, cenſuras et-
„ iam Eccleſiaſticas, & pecuniarias etiam arbi-
„ trio ſuo moderandas & applicandas, quàm et-
„ iam privationis beneficiorum Eccleſiaſticorum
„ per ipſos contradictores obtentorum, pœnas,
„ aliaque juris remedia, appellatione poſtpoſitâ,
„ compeſcendo, ac legitimè ſuper his habendis
„ ſervatis proceſſibus, illos ſententias, cenſuras,
„ & pœnas hujuſmodi incurriſſe declarando, *il-*
„ loſque etiam iteratis vicibus aggravando, &
„ interdictum Eccleſiaſticum imponendo, invo-
„ cato etiam ad hoc, ſi opus ſit, auxilio brachii
„ ſæcularis. Non obſtantibus præmiſſis, ac *fœli-*
„ cis recordationis Bonifacii Papæ VIII. præde-
„ ceſſoris noſtri de unâ, & Concilii generalis de
„ duabus diætis; dummodò quiſpiam præſen-
„ tium vigore ultra tres diætas ad judicium non
„ trahatur, ac aliis quibuſvis conſtitutionibus &
„ ordinationibus Apoſtolicis, nec non Monaſterio-
„ rum, & ordinum, ac congregationum præfa-

„ torum

„ torum, etiam juramento, confirmatione Apo„ ſtolicâ, vel quâvis firmitate aliâ roboratis ſta„ tutis, vel conſuetudinibus, privilegiis quoque „ indultis, & litteris Apoſtolicis illis eorumque „ ſuperioribus, ac perſonis ſub quibuſcunque te„ noribus & formis, ac cum quibuſvis etiam dero„ gatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus „ & inſolitis clauſulis, irritantibuſque & aliis de„ cretis in genere vel in ſpecie, etiam motu & „ ſcientiâ ſimilibus quomodolibet conceſſis ac et„ iam iteratis vicibus approbatis & innovatis.

„ Quibus omnibus illorum tenores præſenti„ bus pro ſufficienter expreſſis & inſertis haben„ tes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hâc „ vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè deroga„ mus, contrariis quibuſcunque, aut ſi aliquibus „ communiter vel diviſim ab Apoſtolicâ Sede in„ dultum ſit, quòd interdici, ſuſpendi, vel ex„ communicari non poſſint per litteras Apoſto„ licas non facientes plenam & expreſſam, ac de „ verbo ad verbum de indulto hujuſmodi men„ tionem.

„ Volumus autem quòd præſentium tranſum„ ptis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis „ & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſticâ con-

„ ſtitutæ munitis, in judicio & extra ubilibet lo-
„ corum plena & indubia, eademque prorſus fi-
„ des adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhibe-
„ retur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum
„ Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcato-
„ ris die 18. Ianuarii 1564. Pontificatûs noſtri
„ anno 5.

Hieron. Gadicen.

Hæc conſtitutio cum ſententiâ ſuprapoſitâ refertur in Bullario inter conſtitutiones Pii *IV.* eſtque num. 95. habetur etiam apud Navarrum tom. 1. Comment. 4. de regularibus de ſtabilitate & tranſitu eorum in cap. ſtatuimus 19. q. 3. ex quo Caramuel in Librâ eam exſcripſit num. 162. & ſeq. eandem citat doctiſſimus Andreas Catulle in ſuo motivo juris num. 12. &c. extat etiam apud Pennottum lib. 2. cap. 71. num. 2. & apud Aſcanium Tumburinum tom. 1. de jure Abbatum diſp. 25. quęſt. 1.

Dicet aliquis, hic Aſcanius eâdem diſputatione quæſt. 6. num. 8. aſſerit, quòd ſtabilita hæc & deciſa in favorem Canonicorum Regularium Lateranenſium, non extendantur ad alios Abbates & Canonicos Regulares cæterarum congregationum etiam ſub Auguſtino militantium: *Et*

ideò

ideò minùs benè (inquit) *Ioſeph Mozagrungus lib. 2. & 8. fol. 9. pag. 2. probare contendit, ſententiam à Pio IV. ad favorem Canonicorum Regularium Lateranenſium latam, æquè pro Canonicis ſuæ congregationis S. Salvatoris Bononienſis facere; cùm ex ejuſdem ſententiæ verbis id non ſatis appareat, imò contrarium eliciatur; cùm in eâ Lateranenſis tantùm congregationis Canonici nominentur. Ideò meritò illius dicta circa hoc confutantur à Gabr. Pennotto Hiſtor. tripart. Canonic. Regul. lib. 2. cap. 53. num. 12. ubi teſtatur dictæ congregationis S. Salvatoris Bononienſis Canonicos in eâ causâ, ne per ſomnium quidem nominatos, ſed neque laborum vel expenſarum participes fuiſſe.* Ita ille.

Reſpondeo Gabrielem Pennottum, quem ſequitur hoc loco Aſcanius, oſtendere incunabula Canonicorum Regularium S. Salvatoris Bononienſis eſſe origine & inſtitutione recentiora, nec eos ex ſe eſſe Canonicos Regulares S. Auguſtini, ſed ad ſummum ex privilegio; differunt enim & profeſſione & habitu à Canonicis Regularibus S. Auguſtini propriè dictis, ut ille multis probat libro citato cap. 51. 52. 53. quare mirum non eſt deciſionem Pontificum ad hos non eſſe extendendam.

Cæterùm idem Gabriel Pennottus eodem lib. cap. 71. num. 3. probat omnes Canonicos Regulares qui ſunt verè de illis à D. Auguſtino & à SS. Apoſtolis inſtitutis, ratione prioris illorum inſtitutionis, & etiam ratione Clericalis dignitatis, quæ illis per eſſentiam, & non ex accidenti ineſt (quæ ſunt duo fundamenta Pontificiæ deciſionis) omnes Monachos præcedere debere: *Licèt in dictâ ſententiâ* (verba ſunt Pennotti) *de ſolis Lateranenſibus mentio habeatur, quia à paritate & identitate rationis optimè infertur ad paritatem & identitatem juris.* Ita Pennottus, qui etiam ſuprà dixerat pro comperto ſe habere Canonicos Regulares ordinis S. Auguſtini in Galliâ, Germaniâ, & Belgio reſidentes eſſe tales, & ſpeciatim ac expreſsè inter eos recenſet Canonicos Regulares Aroaſienſes eod. lib. cap. 74. num. 1. unde & idem Pennottus initio præcitati capitis 71. dicit jus præcedendi cæteros ordines in Conciliis, proceſſionibus, & aliis actibus publicis & privatis toti ordini Canonicorum Regularium S. Auguſtini generaliter eſſe conceſſum. Idem etiam tenet doctiſſimus Navarrus ſuprà, quem ſequitur Rodericus tom. 3. qq. Regularium q. 37. art. 1, & alii. Conſule quæ ſuprà notavimus ex

Rode-

Roderico in part. 4. superioris nostri tractatûs num. 269. & quæ scripsimus suprà partis 2. parte poster. cap. 10. num. 184.

Nec his adversari deberet Adversarius, qui Commentario in regulam S. Benedicti num. 893. scribit: *Doctores communiter docere leges debere extendi ad casus similes, & in praxi multos casus difficiles per alios similes eos solere explicare.* Hactenus de sententiâ & brevi executorio Pii IV. Hic autem Pontifex re & nomine verè pius, optimè meritus est de ordine Canonico, quem adeò dilexit, ut Canonicos Regulares S. Augustini in Lateranensem basilicam reducere summoperè optârit, quod & præstitisset, nisi negotium ab ipsis fuisset aut neglectum, aut ad veteres discordias cum Canonicis sęcularibus cavēdas dissimulatum, de quâ negligentiâ Canonici ordinis Superiores non semel, nec leviter ab eo fuerunt objurgati. Cujus rei fidem faciunt litteræ reductionis prædictæ, nondum tamen expeditæ, cum conventionibus inter partes initis, & conventu pro eâdem Lateranensi basilicâ designato, quæ ad rei memoriam servantur in Archivo Romano Canonicę S. MARIÆ de Pace, & quas se vidisse testatur Pennottus Gener. Hist. lib. 3. cap. 45. num. 3.

Pium

Pium IV. immediatè secutus, est ejusdem nominis & pietatis hæres, Pius V, qui edidit sequentem.

Bulla Pii V. Motu proprio eandem controversiam & sententiam terminantis & declarantis in favorem Canonicorum Regul. eorundem.

„338. PIUS Episcopus servus servorum Dei „ad perpetuam rei memoriam. Cùm „ex ordinum diversitate, qui in Dei Ecclesiâ re„periuntur, illa castrorum aciei comparetur, „illius autem gubernium Rom. Pontific. B. Pe„tri vero successori sit demandatum, nemini mi„rum videri debet, si ille curæ sibi divinitùs com„missæ invigilans, cuilibet quod suum est, be„nignè concedendo, & quæ clara etiam sui „ipsorum natura sunt, ne in reciduæ contentio„nis scrupulum relabantur, opportunæ declara„tionis, ac novæ concessionis remedio consoli„dat, ut quibusvis sublatis obstaculis, quilibet „pacis amœnitate frui liberè possit, ac scandalo„rum occasio penitùs tollatur. Cùm itaque sicut „accepimus, dilecti filii universi Canonici Reg. „ordinis S. Augustini congregationis Lateranen- Nota. „sis qui ab Apostolis originem traxerunt, quique

„ab

„ ab eodem S. Auguſtino eorum Reformatore,
„ iterum per reformationis viam mundo geniti
„ meritò prætendere poſſunt, ſe omnes alias per-
„ ſonas Eccleſiaſticas, tàm ſæculares, quàm Re-
„ gulares in proceſſionibus & aliis actibus publi-
„ cis præcedere debere. Cùm tamen non liceat
„ membra à capite ſeparare, ſed tamen eis locum
„ debitum aſſignare, ipſorumque indemnitati, ut
„ ſine populi ſcandalo in publicum prodire, ex-
„ emploque potiùs cæteris Chriſti fidelibus eſſe
„ poſſint, conſulere volentes, atque omnium ac
„ ſingularum litium, quæ forſan ſuper præmiſſis
„ exortæ ſunt, aut exoriri quoquo modo poſſint,
„ ſtatus, & merita, nominaque, & cognomina Iu-
„ dicum, & collitigantium præſentibus pro ex-
„ preſſis habentes.

„ Motu proprio, non ad dictorum Canonico-
„ rum, vel alicujus alterius pro eis ſuper hoc no-
„ bis oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex certâ
„ ſcientiâ noſtrâ, & de Apoſtolicæ poteſtatis ple-
„ nitudine, omnes & ſingulos Canonicos prædi-
„ ctos ubique locorum exiſtentes, quos deinceps
„ proceſſionibus, & aliis actibus publicis vel pri-
„ vatis intereſſe contigerit, ſtatim ipſum Clerum
„ ſæcularem non exemptum ſubſequi dum ipſi

„ ſubſequendo pręcedunt; dum pręcedēdo pręce-
„ dunt illum immediatè ſequi debere auctoritate
„ Apoſtolicá per pręſentes declaramus. Ac inſuper
„ in omnibus locis in quibus talis viget conſuetu-
„ do in proceſſionibus, ut dicti Clerici non ex-
„ empti, præcipuè quando Canonici alicujus Ec-
„ cleſiæ Cathedralis paramenta Eccleſiaſtica in-
„ duunt, ut cultus divinus magis vigeat, ac ut
„ ſanctiſſimum corpus Chriſti, vel aliæ reliquiæ,
„ quæ proceſſionaliter deferuntur, decentiùs ac
„ honorificentiùs aſſocientur; aut quando hoc
„ ipſius ordinarii mandato continget, ipſi Cano-
„ nici ſimiliter, ac illi pluvialia, *planetas*, tuni-
„ cellas, & alia paramenta ſuper eorum Clerica-
„ lem habitûm deferre, nec non pro cruce aſſo-
„ ciandâ, quæcunque luminaria deferre liberè &
„ licitè poſſint, ſtatuimus & ordinamus.

„ Diſtrictiùs inhibentes quibuſvis locorum or-
„ dinariis, etiamſi Patriarchali, Provinciali, Ar-
„ chiepiſcopali, & aliâ dignitate præfulgeant ſub
„ excommunicationis majoris, & indignationis
„ noſtræ pœnâ, ne eoſdem Canonicos, ſeu ali-
„ quem eorum moleſtare, aut præmiſſa quovis
„ modo declarare aut interpretari audeant.

„ Decernentes pręſentes litteras nullo unquam
„ tempore

„ tempore ſubreptionis vel obreptionis vitio, aut „ intentionis noſtræ, vel quopiam alio defectu, „ etiam ex eo quòd locorum ordinarii, aut alii for- „ ſan intereſſe habentes vocati non fuerint, aut „ nullitatis notari, imputari, invalidari, ad termi- „ nos juris deduci, in jus vel controverſiam vo- „ cari, cauſamque vel cauſas, quare præmiſſa à „ nobis emanaverint, verificandum nullatenus „ teneri, nec ob id viribus carere, minuſque ſub „ quibuſvis ſimilium & diſſimilium gratiarum re- „ vocationibus, ſuſtentationibus, limitationibus, „ aut aliis contrariis diſpoſitionibus comprehen- „ di; ſed ſemper ab illis exceptas, & quoties illæ „ emanabunt, toties in priſtinum ſtatum reſtitu- „ tas, repoſitas, ac plenariè reintegratas etiam „ ſub Dat. per ipſos Canonicos eligenda eſſe, „ ſicque ab omnibus cenſeri. Et ita per quoſ- „ cunque Iudices & Commiſſarios, etiam cau- „ ſarum palatii Apoſtolici auditores, ac S. R. E. „ Cardinales, & ipſoſmet ordinarios, ſublatâ eis „ & eorum cuilibet, quâvis aliter judicandi & „ interpretandi facultate & auctoritate judicari „ & definiri debere.

„ Irritum quoque & inane ſi ſecus ſuper his „ à quocunque, quâvis auctoritate, ſcienter vel

 „ igno-

„ ignoranter contigerit attentari. Quocirca di-
„ lectis filiis D. Congregationis Protectori, seu
„ ejus Vice-protectori, & causarum curiæ Cam.
„ Apostolicæ Generali Auditori, ac Vicario ven.
„ fratris nostri Episcopi Lauden. in spiritualibus
„ Generali per Apostolica scripta motu simili
„ mandamus, quatenus ipsi vel duo, aut unus eo-
„ rum per se vel alium seu alios præsentes litte-
„ ras, & in eis contenta quæcunque ubi & quan-
„ do opus fuerit, ac quoties pro parte Canonico-
„ rum prædictorum, vel alicujus eorum fuerint
„ requisiti, solemniter publicantes, illisque in
„ præmissis efficacis defensionis præsidio assisten-
„ tes, faciant auctoritate nostrâ eosdem Canoni-
„ cos, illorumque singulos præmissis omnibus &
„ singulis vi præsentium, continentia, & tenore
„ pacificè frui & gaudere.

„ Non permittentes eos, seu eorum aliquem
„ desuper per quoscunque indebitè molestari,
„ perturbari, & inquietari. Contradictores quos-
„ libet & rebelles, ac præmissis non parentes, per
„ censuras & pœnas Ecclesiasticas, aliaque op-
„ portuna juris remedia, appellatione postpositã
„ compescendo, nec non legitimis super his ha-
„ bendis servatis processibus, illas censuras & pœ-

„ nas

„ nas ipſas incurriſſe declarando, nec non eos
„ etiam iteratis vicibus aggravando, invocato et-
„ iam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæ-
„ cularis, non obſtante fęlicis recordationis PP.
„ Bonifacii prædeceſſoris noſtri, etiam quâ ca-
„ veatur, ne quis extra ſuam civitatem vel Diœ-
„ ceſim, niſi in certis exceptis caſibus & illis ul-
„ tra unam diætam à fine ſuæ Diœceſis ad judi-
„ cium evocetur, ſeu ne Iudices à Sede Apoſto-
„ licâ deputati extra civitatem vel Diœceſim in
„ quibus deputati fuerint, contra quoſcunque
„ procedere, aut alii vel aliis vices ſuas commit-
„ tere præſumant, ac de duabus diætis in Con-
„ cilio Generali edita dummodo ultra tres diætas
„ quis vigore præſentium ad judicium non tra-
„ hatur, ac aliis Apoſtolicis in Provincialibus
„ ac Synodalibus Conciliis editis ſpecialiter,
„ vel generaliter conſtitutionibus, & ordinatio-
„ nibus, ac etiam juramento, confirmatione Apo-
„ ſtolicâ, vel quâvis firmitate aliâ roboratis, ſta-
„ tutis, & conſuetudinibus, etiam immemorabi-
„ libus, privilegiis atque indultis, & litteris Apo-
„ ſtolicis, quibuſvis Eccleſiis, congregationibus,
„ capitulis, collegiis, monaſteriis, & aliis locis,
„ eorumque ſuperioribus & perſonis ſub quibuſ-
 „ vis

„ vis tenoribus & formis, ac cum quibuſvis clau-
„ ſulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, irri-
„ tantibuſque, & aliis decretis, motu, ſcientiâ, &
„ poteſtate ſimilibus, etiam conſiſtorialiter con-
„ ceſſis, approbatis, & innovatis.

„ Quibus omnibus etiamſi de illis eorumque
„ totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa
„ mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut
„ aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda fo-
„ ret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum,
„ nihil penitùs omiſſo, ac forma illis tradita ob-
„ ſervata, inſerti forent eiſdem præſentibus, pro
„ ſufficienter expreſſis habentes, *illis aliàs in* ſuo
„ robore permanſuris, hâc vice duntaxat ſpecia-
„ liter & expreſsè derogamus.

„ Contrariis quibuſcumque, aut ſi aliquibus
„ communiter vel diviſim ab Apoſtolicâ ſit Sede
„ indultum, quòd interdici, ſuſpendi, vel excom-
„ municari non poſſit, per litteras Apoſtolicas
„ non facientes plenam & expreſſam de verbo
„ ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

„ Nulli ergò hominum liceat hanc paginam
„ noſtræ declarationis, ſtatuti, ordinationis, inhi-
„ bitionis, decreti, mandati, & derogationis in-
„ fringere, vel ei auſu temerario contraire. Si

„ quis

„ quis autem hoc attentare præſumpſerit, indi-
„ gnationem omnipotentis Dei & beatorum Pe-
„ tri & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit in-
„ curſurum. Datum Romæ apud S. Petrum anno
„ Incarnationis Dominicæ MDLXX. 10. Kalend.
„ Ianuarii, Pontificatûs noſtri anno V.

CC. Alphonſ. D. ac Ioann. de Monſoi pro comp.
G. Deldado. V. Macaran. Alex. Peregrinus.
A. Canitranen. Ru. Bonſiolus. C. Math.

„ A tergo in calce regiſtratum in Camerâ Apo-
„ ſtolicâ *Iu. Mandoſius.*

Extat apud Pennottum lib. 2. cap. 72. num. 7. apud quem eodem lib. 2. cap. citato num. 6. hæc legitur quam ſubjungo.

„ 339. CUm ſuperioribus diebus, die videli-
„ cet 4. Auguſti, præſentis anni 1603.
„ S. D. N. Clemens Papa VIII. in congregatio-
„ ne illuſtriſſimorum Dominorum Cardinalium,
„ ſuper negotiis Epiſcoporum & Regularium, &
„ ex voto ejuſdem congregationis ſuper contro-
„ verſiâ inter Canonicos Regulares Lateranen-
„ ſes, & Monachos S. Benedicti congregationis
„ Caſſinenſis, ortâ occaſione præcedentiæ in con-

„ grega-

„ gregatione nuncupatâ Sapientia, quæ in civi-
„ tate Patavii celebratur coram Episcopo, inter-
„ venientibus in eâ uno ex Canonicis, & uno ex
„ Monachis prædictis, mandaverit observari sen-
„ tentiam alias inter eosdem Canonicos & Mo-
„ nachos latam à fælicis recordationis Pio IV.
„ prout jacet. Cumque deinde alia nova diffe-
„ rentia in eâdem congregatione Patavinâ inter
„ eosdemmet orta sit, prętendens Monachus Cas-
„ sinensis, ut non solùm Canonicus Regularis
„ Lateranensis (ad hoc ut juxta dictam senten-
„ tiam sit præferendus & anteponendus in dignio-
„ re loco) teneatur demittere superiorem vestem,
„ pallium, seu cappam nigram, sed etiam indue-
„ re super lineâ veste quam rochettum vocant,
„ aliud superpelliceum lineum, vulgò cottam
„ nuncupatum, quemadmodum solet fieri ab ipsis
„ Canonicis Regularibus in publicis processio-
„ nibus. Eadem sacra congregatio negotio matu-
„ rè discusso declaravit sufficere, ut ipsi Cano-
„ nici Regulares Lateranenses in omnibus actis
„ publicis & privatis, & sic etiam in eâdem con-
„ gregatione Patavinâ, remaneant (dimissâ tan-
„ tummodò superiori veste nigrâ) in lineâ veste,
„ videlicet in rochetto, absque alio superpelliceo,
„ & tunc

„ & tunc intelligantur esse in habitu Clericali
„ juxta eandem sententiam Pii IV. & ita obser-
„ vari mandavit Romæ die 1. Septembris 1603.

Determinatio per sanctissimum Patrem facta in causâ habitûs Prælatorum ex ordine Canonicorum Regularium S. Augustini assumptorum.

Venerabili fratri Zachariæ Episcopo Sebastiensi, Prælato nostro domestico.

LEO PAPA X.

„ 340. VEnerabilis frater salutem & Apostolicam benedictionem. Dudum cùm ad Ecclesiam Sebastiensem à nobis de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio promotus esses in Pastorem, dubitatum fuit à nonnullis, an tu, qui ordinem Canonicorum Regul. S. Aug. expressè professus eras, in habitu, & coloribus Prælatis sæcularibus de jure vel consuetudine permissis incedere posses, prout incedebas: & cùm quæstio hujusmodi ad nos perlata fuisset. Nos causam ipsam maturè determinare desiderantes, vene-

„ rabili fratri noſtro Nicolao Epiſcopo Albanenſi, „ tunc titulo S. Priſcæ Presbytero Cardinali de „ Fliſco nuncupato, vivæ vocis oraculo commi- „ ſimus, ut ſuper his ſe diligenter informaret, „ & demum nobis referret. Cùm autem præfa- „ tus Nicolaus Epiſcopus nobis retulerit, de an- „ tiquâ conſuetudine in pluribus locis, etiam in „ Romanâ curiâ, ubi Pontifex reſidet, receptum „ fuiſſe, ut Canonici Regul. hujuſmodi in Epi- „ ſcopos promoti, tàm in capellâ noſtrâ, quàm „ extra, utantur habitibus & coloribus, quibus „ utuntur alii Clerici ſæculares in Epiſcopos pro- „ moti. Nos propterea juxta relationem nobis „ factam ut præfertur, fraternitati tuæ vivæ vo- „ cis oraculo conceſſimus, ut habitus & colores „ quos dicti Clerici ſæculares in Epiſcopos pro- „ moti, tàm in capellâ noſtrâ quàm extra geſtant, „ geſtare poſſes, & ita etiam tenore præſentium „ auctoritate Apoſtolicâ de novo concedimus, „ in contrarium non obſtantibus quibuſcunque. „ Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Pi- „ ſcatoris die 1. Septembris MD.XIX. Pontifi- „ catûs noſtri anno VII.

Nota, Zacharias hic cognominatus eſt Lilius, fuit patriâ Vicentinus, & Canonicus Reg. S Bar- tholomæi

tholomæi Vicentiæ Leoni X. familiaris. Pennot. lib. 3. cap. 34. huic difficultatem circa habitum moverat Paris Grassus Magister cæremoniarum; quâ occasione edidit Zacharias Ferrerius Iureconsultus clarissimus librum de proprio habitu Canonicorum Regularium, in quo doctissimè & solidissimè probat, Canonicos Regulares ad Episcopatum & Cardinalatum evectos, habitu Canonicorum, & cæterorum Clericorum sæcularium, qui ad gradus similes assumuntur, legitimè uti posse; quam sententiam Leo X. hoc decreto publico promulgato probavit, quod habetur in bullario inter bullas hujus Pontificis constitutione 34. & confirmat cæremoniale Romanum, inquit Pennott. lib. 3. c. 42. & extat apud Ascanium Tumburinium tom. 1. de jure Abbatum disp. 20. quæst. 3. num. 25. ex quo etiam pro coronide hujus partis notanda duxi quæ ibidem lego num. 14. *Argumentum scilicet, à simili esse validum, ut Doctores in cap. jus naturale* 1. *dist.* & *illa quæ in jure ponuntur gratiâ exempli, non restringunt regulam juris ad expressa tantum, sed etiam ad alia similia, ut Clem.* 1. *ne Clerici vel Monachi* §. *Hactenus de gradibus.* Item quod ibidem lego num. 17. *Argumentum, nimirum, ab identitate rationis esse*

 fortissi-

fortissimum, *ut in cap.* 1. *Romanor.* 19. *dist. cap. consuetudo* 2. *dist. cap. si Laicis* 31. *dist. cap. de hymnis, de consecrat. dist.* 1. *l. illud ff. ad l. Aquiliam.* Quare jure merito asseruit Pennottus loco suprà citato, quòd licèt sententiæ & diplomata jam recitata tantùm faciant mentionem Canonicorum Regular. ordinis S. Augustini congregationis Lateranensis, eadem tamen etiam locum habere in omnibus Canonicis Regularibus ejusdem ordinis S. Augustini cujuscumq; sint congregationis, & signanter Aroasiensis, quamvis ea jam à longinquo tempore esse desierit; quia *ubi eadem est ratio, idem jus servari debet. lege illud ff. ad legem Aquiliam jam citatam, & cap. dudum* 2. *de electione.* Equidem certum est quod Canonici Regul. Lateranenses non tantùm præcedant Monachos Benedictinos Cassinenses, sed etiam Camaldulenses, Olevitanos, Vallis-umbrosæ, &c. quamvis hi in diplomatibus, nominatim non exprimantur; quidni ergò & reliqui Canonici Regulares S. Augustini non-Lateranenses præcedant, quamvis expresè non nominentur in bullis? Sicut enim reliqui Benedictini Monachi in Cassinensibus, fuerunt victi; ita & reliqui Canonici Regul. Augustiniani in Lateranensibus fuêre victores.

Diploma

Diploma Alexandri Papæ III. datum Abbatiali Ecclesiæ S. Bartholomæi de Eechout; superest etiamnum autographum in Archivis.

„341. ALexander Episcopus servus servorum
„ Dei dilectis filiis, Arnulpho Abbati
„ Ecclesiæ S. Bartholomæi de Eechout, ejusque
„ fratribus tàm præsentibus quàm futuris regula-
„ rem vitam professis in PP. M. Cùm sitis regu-
„ larem vitam Domino inspirante professi. Paci
„ vestræ paternâ consideratione prospicimus, &
„ ne possitis malignorum vexationibus fatigari,
„ Apostolicum vobis patrocinium exhibemus.
„ Eapropter dilecti in Domino filii, vestris justis
„ postulationibus clementer annuimus, & præ-
„ dictam Ecclesiam S. Bartholomæi, in quâ di-
„ vino estis obsequio mancipati, sub B. Petri &
„ nostrá protectione suscipimus, & præsentis scri-
„ pti privilegio communimus. In primis siqui-
„ dem statuentes ut ordo Canonicus qui secun- Nota.
„ dùm Deum & B. Aug. regulam in vestrâ Eccle-
„ siâ institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem
„ temporibus inviolabiliter observetur. Præter-
„ ea quascunque possessiones, quæcunque bona
„ eadem Ecclesia inpræsentiarum justè ac Cano-

 „nicè

„ nicè possidet, aut in futurum concessione Pon-
„ tificum, largitione Regum, vel Principum, ob-
„ latione fidelium, seu aliis justis modis præ-
„ stante Domino poterit adipisci, firma vobis,
„ vestrisque successoribus & illibata permaneant.
„ Sanè sepulturam ipsius loci liberam esse decer-
„ nimus, ut eorum devotioni & extremæ volun-
„ tati qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi fortè
„ excommunicati vel interdicti sint, nullus ob-
„ sistat. Salvâ tamen justitiâ illarum Ecclesiarum
„ à quibus mortuorum corpora assumuntur. Ob-
„ eunte verò te nunc ejusdem loci Abbate, vel
„ tuorum quolibet successorum *nullus ibi* quâ-
„ libet subreptionis astutiâ, seu violentiâ præpo-
„ natur, nisi quem fratres communi consensu,
„ vel fratrum pars consilii sanioris secundùm Dei
„ timorem, & B. Augustini regulam providerint
„ eligendum. Nihilominus etiam arctiùs *inter-*
„ dicimus ne Episcopo, Archidiacono, vel eorum
„ ministerialibus Canonicis seu Clericis aliis pro
„ confirmatione, intronizatione, vel pro benedi-
„ ctione Abbatis vestri, palefridum, cappam se-
„ ricam, aut quidquam aliud facultas vel licentia
„ pateat à vobis obtentu cujuslibet consuetudinis
„ exigendi. Si verò pro his à vobis quidquam exe-
„ gerint,

„ gerint, cùm deteſtabile ſit & obvium rationi,
„ liberè vobis liceat eis quod poſtulaverunt de-
„ negare. Ad hæc cùm generale interdictum ter-
„ ræ fuerit, liceat vobis clauſis januis excluſis ex-
„ communicatis & interdictis non pulſatis cam-
„ panis ſuppreſsâ voce divina officia celebrare.
„ Decernimus ergò ut nulli omninò hominum
„ liceat præfatam Eccleſiam temerè perturbare,
„ aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas reti-
„ nere, minuere, vel aliquibus vexationibus fati-
„ gare. Sed omnia integra conſerventur eorum
„ pro quorum ſuſtentatione ac gubernatione con-
„ ceſſa ſunt, uſibus omnimodis profutura, ſalvâ
„ Sedis Apoſtolicæ auctoritate, & Diœceſani Epi-
„ ſcopi Canonica juſtitia. Siqua igitur in futu-
„ rum Eccleſiaſtica ſæculariſve perſona hanc no-
„ ſtræ conſtitutionis paginam ſciens contra eam
„ temerè venire temptaverit ſecundo tertióve
„ commonita, niſi reatum ſuum dignâ ſatisfactione
„ correxerit, poteſtatis, honoriſque ſui dignitate
„ careat, reamque ſe divino judicio exiſtere de
„ perpetratâ iniquitate cognoſcat, & à ſacratiſſi-
„ mo corpore, ac ſanguine Dei & Domini Red-
„ emptoris noſtri Ieſu Chriſti aliena fiat, atque
„ in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat.

„ Cunctis

„ Cunctis autem eidem loco sua jura servanti-
„ tibus sit pax Domini nostri Iesu Christi. Qua-
„ tenus & hîc fructum bonę actionis percipiant,
„ & apud districtum Iudicem præmia æternæ
„ pacis inveniant. Amen, Amen, Amen.

Ego Alexander Catholicæ Ecclesiæ Episcopus subscripsi.

S.	S.
Petrus	*Paulus*
Alexa	*nder*
PP.	*III.*

Vias tuas Domine demonstra mihi.

Ego Hubaldus Hostiensis Episcopus. SS.

Ego Theodir. Portuens. & S. Rufinæ Episcopus SS.

Ego Hugo Presbyter Cardin. tit. S. Clementis SS.

Ego Matth. Presbyter Cardin. tit. S. Marcelli SS.

Ego Ardicio Diac. Cardin. S. Theodori. SS.

Ego Gratian. Diac. Card. SS. Cosmæ & Damiani SS.

Ego Iohannes Diacon. Cardin. S. Angeli SS.

Ego Ramerius Diac. Cardin. S. Adriani SS.

Ego Matth. S. Mariæ novæ Diac. Card. SS.

Ego

Ego Paulus SS. Sergi & Bachi Diac. Card. SS.

„ Dat. Velletr. per manum Alberti S. Rom.
„ Presbyt. Cardin. Cancellar. 4. Idus Ianuarii
„ indict. 3. Incarnat. Dom. anno MCLXXIX.
„ Pontificatûs verò Domini Alexandri PP. III.
„ anno XXI.

Ex Archivis celebris Abbatialis Cœnobii S. Nicolai de Pratis, vulgò S. Marci, ordinis Canonicorum Reg. S. Augustini nunc in civitate Tornacensi.

„ 342. IN nomine Patris, & Filii, & Spiritûs
„ Sancti. Amen.
„ Ego Everardus Dei gratiâ Tornacensis Epi-
„ scopus, omnibus ad quos istæ litteræ pervene-
„ nerint in perpetuum. In hoc speculam domûs
„ Domini adscendimus, ut quæ infirma sunt ro-
„ boremus, & quæ suo robore sunt infixa, ne ali-
„ quâ incursione detrimentum sustineant Pasto-
„ rali solicitudine tueamur. Ut fortes à nobis ro-
„ boris munimentum accipiant, & infirmi unde
„ subleventur solatium à nobis percepisse se sen-
„ tiant, quia non solùm officii nostri est indi-
„ gentibus subvenire, sed etiam bona volentibus

„ opem ferre, hâc solicitudine inducti Ecclesiæ
„ B. Nicolai de Pratis extra Tornacum altaria
„ Hedenghem, Gelevelch, Hinguddeghem, Led-
„ hem, quæ Gosuinus fratris mei Fastredi filius
„ in manus nostras liberè & sine conditione resi-
„ gnavit, intuitu Religionis pro remedio animæ
„ nostræ, & celebratione Anniversarii nostri in
„ perpetuum faciendi, seu etiam pro expiatione
„ Prædecessorum nostrorum Tornacẽsium Pon-
„ tificum, vel parentum nostrorum, salvo jure
„ nostro & ministrorum nostrorum, liberè in
„ perpetuum possidenda donavimus. Et ne per
„ revolutiones temporum in aliquo nostra dona-
„ tio suo robore minuatur præsentem paginam
„ sigilli nostri impressione munivimus. Si quis
„ huic paginæ calumniam in præjudicium doni
„ nostri movere tentaverit, vel eam aliquatenus
„ infirmare præsumpserit donec ad satisfactio-
„ nem venerit, & erratum suum correxerit judi-
„ cium Dei viventis incurrat, & partem cum Da-
„ tan & Abyron quos terra vivos absorbuit ac-
„ cipiat. Porrò ut præsens pagina, in amplioris
„ roboris exsurgat incrementum, nomina testium
„ qui donationi interfuerunt dignum duximus
„ annotare. S. Domini Everardi Tornacensis Epi-
„ scopi,

„ſcopi, S. Arnulphi Archidiaconi, S. Thomæ, „ Theodorici, Gouteri, Presbyterorum; S. Ma„giſtri Gilberti, Galteri de Iabeka, Goſſuini, „ iterum Goſſuini Canonicorum; S. Matthæi Si„ clinienſis Præpoſiti; S. Gerardi Abbatis Gan„ denſis, S. Arnuldi Abbatis de Eechout, S. Da„ nielis Abbatis de Sonnebecq, S. Samuelis Ab„ batis de Los, S. Danielis Abbatis de Cam„ bron, S. Ioannis Abbatis de Thoſan, S. Theo„ berti Prioris de Cyſonio. Actum Tornaci anno „ Dominicæ Incarnationis MCLXXIX. conſe„ crationis noſtræ VII. 13. Kalend. Auguſti.

Nota, Arnuldus Abbas de Eechout, & Daniel Abbas de Sonnebecq erant ordinis Canonicorum Regularium S. Auguſtini; Samuel verò Abbas de Los, Daniel Abbas de Cambron, Ioannes Abbas de Thoſan, ordinis Ciſtercienſis. Porrò præfatus Arnuldus Abbas de Eechout idem eſt qui & Arnulphus, ſeu Arnolfus, qui ab Alexandro III. præcedens diploma impetravit, eodem enim anno ab Arnuldo, & illud diploma impetratum, & hoc inſtrumentum ſignatum: ex quo manifeſtè apparet, Abbatem Eechoutanum in eâ congregatione Cleri Tornacenſis digniorem locum tenuiſſe, reſpectu Abbatis

Sonnebecani; & hunc, & illum respectu reliquorum Cistertiensis ordinis Abbatum, ibidem præsentium, & hîc commemoratorum. Priorem autem subscriptionem, ab antiquis temporibus habitam, semper fuisse digniorem, & præcedentiæ signum patet ex mirabili facto S. Eusebii Vercellensis Episcopi & Martyris, qui Mediolani ut Athanasii damnationi subscriberet, ab Hæreticis rogatus, facturum se dixit, si deleto nomine Dionysii, sibi tanquam seniori primum locum ad subscribendum concessissent: sed cùm deletâ statim ipsius Dionysii subscriptione, chartam ad scribendum porrigerent, subscribere noluit; & ita Dionysium mirabili sapientiâ liberavit.

Baronius ad annum 355.

Quod annotâsse placuit contra Adversarium, qui alibi se hujusmodi subsignationis ordinem non magni facere insinuavit.

Ex Archivis civitatis Brugensis.

De kennisse ende oorcontschepe vande Prelaten die waren ter casseringhe vanden ouden Zeghel der Stede van Brugge / ende ter solemnisatie vanden nieuwen Zeghel. in daten M.CCC.V.

343 A *Tous chians qui ces presentes lettres verront & oyront: Nous Pierre par la souffrance de*

de Dieu de S. Andrieu dencoste Bruges de l'ordre de S. Benoict, Wouttier de le mesme soffrance de S. Barthelemieu de l'Eechout en Bruge de l'ordre d'Arrouase, & frere Willaume de le Capielle de les Bruges de l'ordre de Cisteaux dicts Abbez. Prieur de l'ordre des freres Prescheurs en Bruges, Guardien des freres Mineurs en Bruges, & le Doyen de le Chrestiente en Bruge salut. Comme le semmedy apres le jour de Pasque pardeuant nous à che semons & requis aient monstre li Esceuin, li Bourgois, & toute li Communite de le ville de Bruges que le saiel dont il auoient vsé dusques à l'heure dadont, par asses de parfaicte raisons necessaires & convenantes qu'il nous monstrerent euidement & expressement, & pariurerent par liberal & convenable tesmoignage auec tout chou que on en vseroit ou pourroit vser pour le temps auenir sauuei eu robur deut & en fermetei perpetuelle quicunque pour le temps passei on en ouoit vsei, il cassoint, annulloint & prononchoint de nulle valeur & moment, & le nous monstrerent souffisanment cassei, & nous monstrerent un saiel à enprente, intitulation, & sculpture certaines & asseurans lequel il requisent par grand volunte & diligence estre celebrei & confirmei pour eux vser. Eans & le corps de le ville en forme & maniere dentes & vse du temps passei. Sachent tout

De le Capielle, aliàs de Thosan, vulgò Doest.

que à le requeſte de dicts Eſcheuins, Bourgois, & Communitei nous recognoſſons & teſmoignons le primier dit ſaiel de leur volonte en le maniere, & par les raiſons deſſuſdicts, eſtre caſſei, annullei, & prononche de nulle valeur & le ſaiel deſſuſdict de nouel confirmei, nous teſmoignons de leur volonte, deſyr, & requeſte, eſtre faict, authoriſe, & confirmei à vſer pour le corps de le ville pour le temps auenir ce ceſt iour & heure en auant, en forme & maniere dentes & vſees en le dicte ville ou temps paſſei. Et pour accomplir toutes les ſolemnites à che afferans, li dict Eſcheuins, Bourgois, & Communitei de le ville de Bruges pour tout le corps de le ville, pour eaus & pour leur Succeſſeurs quicunque du ſaiel paſſei auoit eſtei euſque au iour & le eure dore, fait conſentu conuenenche permis & ſaele. Il ratifierent & permiſent à tenir fermement à tous iours ſans corrumpre, blecher ne enfraindre ſus l'obligation des eaus, de leurs ſucceſſeurs & dou corps de le ville de Bruges deſſuſdict. Et obligerent & lyerent eaus, leurs ſucceſſeurs, & les corps de le ville de Bruges à tenir fermement à touſiours quicunque dou dict ſaiel de nouel confirmei, on feroit, vſeroit, conuenencheroit, conſentiroit & permetteroit, & ſaeleroit dou iour & del eure de huy pour le temps auenir, & quant à

chou

chou & toutte chou que dessus est dict de point en point il renoncherent à tout exceptions, fraudes, cauillations, à tout droicts, lois, escrys, & ne une escris à tous vsages, à tous immunemens des priuileges, de liberteis, de apostele, ou des se soinges de Empereurs, de Roys, de Duchs, de Contes, de Barons, & à tous drois de Chrestientei, & de le loy mondaine, & closement à toutes choses qui ayder leur pourroint à blecher & enfraindre ne le tout ne le partie des choses susdictes sus l'obligation dessusdicte toutes les choses dessusdictes: li dit Eschevin, Bourgois, & Communitei de le ville de Bruges souuent dite, ont reconnu pardeuant nous, & acceptei, & permis quiconque on saelera en auant dou dit nouel saiel dont li enprente pent à ches presentes lettres en la derraine Relue, apres les nous saians à tenir loyaument & fermement si comme dessus est dict. Et nous Pierre, Waultiers, & frere Willaume par le souffrance de Dieu dit Abbez. Prieurs, Gardiens, & Doyen dessusdicts à le priere & requeste des Esceuins, Bourgois, & Communitei de le ville de Bruges souuent dis ensigne de recognoisance & tesmoignage des choses dessusdictes auons à ces presentes lettres faict mettre nos saiaus auec l'emprente dou dict nouel saiel. Faict, recognu, consentu, & permis en le Hales de Bruges le Semmedi dessusdict.

dessusdict à eure de nueue en l'an de grace mil, trois cens, & cinq.

Collation faicte auec son originel est ceste copie, auec icelle troune accorder de mot à aultre, par moy Notaire Publyc resident à Bruges.

BEERBLOC.

COPIE.

344. *VEu au grand Conseil du Roy nostre Sire, le different meu sur requeste du vingtiesme d'Aougst 1629. enter l'Abbe de S. Iean en la ville de Valencienne suppliant d'une part, & l'Abbe de S. Saluue Lez laditte ville rescribent d'aultre le Roy faisant droict garde, e maintient le dict suppliant en la preseance dont est question declarant ledict Rescribent en ses conclusions prinses au contraire non recepuable ny fondé, compensant les despens entre lesdicts parties, & pour cause. Prononcé à Malines le 6. de Septembre xvj.c trent vng: plus bas estoit signé auec paraffe* I. van Paeffenrode. *Et aussi: collationné à son originel, en parchemin daté & signé que dit est, que trouué concorder de mots à aultre par le Notaire soubsigné ce xvij. iour de Decembre*

bre 1631. tesmoin. & soubsigné I. le Dieu *Notaire Publicq.*

Nota. Abbas S. Joannis Valencenensis ordinis Canonicorum Reg. S. Augustini, Abbas verò S. Saluii ordinis S. Benedicti.

Copie vande Acte vande provisionele sententie.

345. GHesien 't Proces hangende soo ter provisie als ten principale tusschen den eerweerdigen Heere den Prelaet vanden Duynen heesschere in materie van maintenue ter eender sijde / ende den eerweerdighen Heere Prelaet vanden Eechoute tot Brugghe verweerdere ter andere / gemoveert ter cause van preseance in alle publijcke Processien / vergaderinghen / obsequien / ende andere publijcke acten binnen der stede van Brugge ende elders / die elck vande voorsz. partyen mainteneert hem te competeren / ende daer van in possessie te wesen; 't Hof uytende sijn advijs ter provisie / wijst den verweerder anne de recredentie vande sake litigieux op seeckere ende voor recht te doene ten principale ordonneert

 beede

beede partyen over te nemen elcanders inventaris ende overlegh/ om daer jeghens te dienen van contradictien / ende daer naer van solutien duncket hunlieden goedt / staterende de costen totter diffinitive. Gedaen in de Camere vanden Raede in Vlaenderen te Gent den 16. April 1631. onderteeckent

Masseau.

EPILO-



EPILOGVS.

346. HÆc quidem pro veritatis dilectione, quam *arrogantiæ non est vel quærere, vel asserere*, & pro defensione ordinis Canonico-Augustiniani, juxta PONDUS SANCTUARII, id est, Diplomata Pontificia collibrata, in lucem proferenda habui; multa, ut aliquibus fortè videbitur, sed pro argumenti copiâ, pauca. Neque enim omnia quæ dici potuerunt, dicta sunt, sed quædam reservata urgentiori necessitati, si fortè Adversariis replicare placuerit, suo tempore & loco dicenda. Equidem paratum habeo Hagiologium Chronico-canonicum, cujus passim facta mentio, in quo velut in sacro quodam theatro, præcipuæ personæ utriusque sexûs suo sæculo exhibentur, & earum vitæ recitantur, quæ in ordine Apostolico-Canonico, ante & post Augustinianam reformationem per universum orbem, ab initio usque ad nostram ætatem

August. contra Crescon. lib. 4.

illuſtri ſanctitate, miraculis, ſcriptis, & in ſanctam Romano-Catholicam Eccleſiam meritis; vel aliàs inſigniori præ cæteris ſanctitate claruerunt: cui apparatum præfixi, in quo quædam huic argumento vicina tractantur, ubi ſecundo & uberiore calamo, fortè futuris Adverſariorum replicis, poterimus reſpondere. Porrò in hoc opuſculo præſente adornando, abſtinui ab Oratorio fuco, eò vel maximè, quia video Adverſarium illo delectari; ſummatim itaque, & per ordinatas certis numeris periodos, ſtylo ſimplici & ſcholaſtico magis, quàm Rethorico, neglexi ejus facundiam, utpote cum quo noluerim pueriliter componere pro imperio. Imitatus *illorum* priſcorum Brahmanorum morem, de quo illorum quidam in epiſtolâ ad Alexandrum Magnum: *Artem benè dicendi non diſcimus, neque facundiæ Oratorum Rhetorumq; operam damus; cujus officium eſt falſitatis ſermonibus figmentare mendacia, & innocentiæ fidem conferre criminibus.* Amator autem veritatis, *Qui ſuave clamat eſſe quod verum eſt*, hunc ſcribendi modum non habet ingratum; nam *Bonorum ingeniorum inſignis eſt indoles, in verbis verum amare, non verba; quid enim prodeſt clavis aurea, ſi aperire quod volumus*

Vide Vitriacum in Hiſtor. Orient. cap. 92.

Auguſt. enarrat. in Pſalm. 118. verſ. 39.

Idem de Doctrinâ Chriſtianâ lib. 4. c. 11.

mus non potest? & quid obest lignea, si hoc potest, quando nil quærimus nisi patere quod clausum est? Dabis igitur veniam, Lector, verbis Barbaris, quibus frequenter in decursu hujus opusculi usi sumus; nam & Lipsius ipse, præsentibus hujusmodi vocabulis uti se profitetur, ut morbo & moribus hujus sæculi serviat.

Equidem præbere fidem non fucatæ assentantium gloriolæ, sed elucidandæ veritati servire proposui, & proinde clarè potiùs, & planè aliquando, quam purè & Latinè sum locutus, memor dicti S. Augustino familiaris, teste Sixto Senensi in Bibliothecâ: *Malo me reprehendant Grammatici, quàm non intelligant populi*. Quod verò hucusque siluerim, modestiæ fuit, non malæ conscientiæ; quo modo se excusat S. Hieronymus: *Vt aut agnoscam crimina*, inquiens, *aut diluam, aut in accusatorem quæ objecta sunt retorqueam, & ostendam quòd huc usque silentium modestiæ fuerit, non malæ conscientiæ.* Dictum Catonis; *Sat citò, si sat benè*, usurpatum augustè ab Augusto Principe, teste Tranquillo in Actis ejus; quo Imperator, ut antiquitatum peritis notum, significatum voluit, quicquid benè, celeriter faciendum, qui adeò sic semper celer, ut præcipitem appella-

Lib. 1. adversus Rufinum.

verit Lucanus in Pharſalicis: *Sit ſubitum quodcunque paras, ſed Cæſar in omnia præceps.* Menſibus aliquot, ſed paucis præ materiæ pondere opuſculum abſolvi gravitatem rerum, celer agilitate ſuperavi, diu noctuque, æſtu geluque urebar cum Jacobo, recedebatque ſomnus ab oculis meis: neque laſſitudinem unquam labor animo peperit; imò ita mens delitiabatur operi inſudando, ut otiando mœreret, laborando gauderet, loqui liceat cum Oſeâ vate, docta diligere trituram; vel cum Phœnice Aquilæ interroganti, reſpondente apud D. Cyrillum: *Quia in hoc igne*, inquit, *non doleo, ſed delector, dum in generationem alterius totam me ipſam effundo;* nimirum cuncta ſua beneficia, non ſine magnâ delectatione liberalis natura naturans Deus communicat, nam cùm digeſtum cibum ſtomachus donavit, delectatur; omnis enim donatio liberalis cum jucunditate eſt cordis, ut verbis Cyrilli utar, & quemadmodum:

In Apologetico lib. 3. cap. 24.

Labor improbus omnia vincit.

Virgil. Sic

Omnia vincit amor; omnia ſcilicet difficilia.

Ariſtot. Et

Delectatio perficit opus, ſi Philoſopho credimus.

Itaque

Itaque opus *ſat citò* quidem factum, ſed an *ſat benè*, antequam prodiret in publicum Doctorum proborumque judicium fuit expectandum & tandem quod aliquot, ut dixi, menſibus adornatum eſt, non niſi poſt aliquot annos, è latebris in lucem venire compulſum ab iis, qui doctrinâ, prudentiâ, & in Auctorem auctoritate pollentes, ita poſſe & debere fieri judicabant, quorum judicio non ſtare, conſilio non acquieſcere, imò imperio non parere mihi Religio videbatur.

Tandem Chriſtianæ charitatis, & Auguſtinianæ ſinceritatis non immemor, magni Patris Auguſtini, cujus ordinem propugnavi, verbis meum Antagoniſtam compellabo & dicam: *Cùm videas nil à te dici potuiſſe, quod non hæc tua cauſa refellat atque convincat, da veniam ſi quo verbo duriùs emiſſo te offendi.* Quamquam excuſari poſſe videar hiſce ejuſdem S. Patris verbis in ſimili causâ prolatis, & noſtræ accommodandis: *Sic ergò librum, cui nomen eſt libra, te opòrtet refellere.*

Auguſtin. contra Creſcon. libr. 4. cap. 66.

Idem lib. contra mendacium c. 21.

Benevole Lector, hactenus cum patientiâ, ſpectator fuiſti, tetrici tibi (ut vereor) certa-

minis

minis; quare ne cum nauſeâ abeas, ad lætiora te invito ſpectacula, celebrati nimirum Iubilæi, ob annum millenarium à fundatâ noſtrâ Abbatiâ Eechoutaná-Brugenſi, cujus deſcriptionem ſequens dabit MANTISSA.



MANTISSA

IN QVA

Laconicè per diaria deſcribitur Celebratà ipſo anno Jubilæo M. DC. L.

FESTIVITAS SECVLARIS

ANNI MILLENARII

A FVNDATA

ABBATIA BRVGENSI EECKHOVTTANA

PER

S. TRVDONEM

CONF. PRESBYTERVM

ANNO CHRISTI DC.L.

Itemque,

Anni ſexcentenarii à plenariâ reſtauratione conſummatâ Anno M. L. in ejuſdem Sancti natali xxiij. Novemb. & per totam octavam.

Sub auſpiciis R. Adm. in Chriſto Patris, Ampliſſimiq; Domini,

D. NICOLAI van TROOSTENBERGHE

PRÆSVLIS MERITISSIMI.



Descriptio
JUBILÆI
EECHOUTTANI
celebrati Anno MDCL.


SOLEMNE olim fuit Iudæis, quolibet quinquagesimo anno recurrente, ex præscripto divino, celebrare Iubileum; quæ vox à *Iobel*, quod juxta quosdam buccinam significat, vel, arietis cornu, quo illo anno clangere, in memoriam Isaac liberati, ejusque loco substituti, immolatique arietis solebant, suam derivationem habere videtur. Alii verò à radice *Iabal* eam deductam volunt, quod Hebræis idem est, quod afferre cum gaudio, ut annus dictus sit *Iobel* quasi omnia afferens bona, & quemque in pristinam libertatem & hæreditatem reducens. Nonnulli derivatam censent à radice *Iebel*, quod germen denotat: quasi annus Iobel sit annus germinans omne bonum.

Levit. 25.

Lyranus, Toletus, & alii.

Ribera, Serarius, Cornelius à Lapide.

Cajetanus, Bellarminus.

Latini verò non absurdè etymologiam petunt

à jubilando, quod in Diplomatibus innuere videntur Pontifices, dum versiculum Psalmi 46. *Omnes gentes plaudite manibus, jubilate Deo in voce exultationis*, usurpant. Quæ omnia annum Iubileum insinuant solemnem esse, lætum, faustumque.

1. Cor. 11. Iudæorum illud Iubileum (*Omnia enim in figurâ contingebant illis*) præludium quoddam fuit Christianorum Iubilei; quod à Bonifacio VIII. quolibet centesimo anno revertente fuit institutum, à Clemente VI. ad annum quinquagesimum, à Sixto IV. & aliis Pontificibus ad vigesimum-quintum deductum. De multitudine concurrentium ad Iubileum anni 1450. hæc habet Pennottus: *Hoc anno*, inquit, *Romæ tantus peregrinorum fuit concursus, ut singulo die hominum triginta millia civitatem ingrederentur, & amplius, totidem ex urbe successivè recedentibus. Vnde & contigit, ut quâdam die ad D. Petri basilicam propter videndam Salvatoris nostri Iesu Christi imaginem, Veronicæ nuncupatam, tanta populi multitudo confueret, ut ad pontem S. Angeli plus quàm tercentum utriusque sexus interirent, vel à multitudine conculcati, vel in profluentem delapsi. Quam ob causam Pontifex duo sacella in utroque pontis capite fieri fecit, in quibus pro animabus defunctorum sacra fieri sole-*

Lib. 3. General. Hist. cap. 24. n. 2.

solebant. Hactenus Pennottus. Qui autem reversi sunt ex urbe fide digni, testantur, solemni benedictioni publicè habitæ ab Innocentio X. Pontifice Maximo in conclusione novissimi Iubilei anni MDCL. interfuisse plus quàm ducenta quinquaginta hominum millia.

Inde deventum ad varios status, ut-puta Sacerdotalem, Religiosum conjugalem: ut qui quinquaginta annos consumpsissent in Sacerdotio, Religione, Cōjugio, suum celebrarent Iubileum, & vulgò Iubilarii audirent. Certè de S. Remigio notat Molanus in Natal. SS. Belgii ad 13. Januarii, quòd nuncupatus sit Iubilæus, postquam Episcopatum suum administravit 50. annos, reliquis 24. quibus in eâdem supervixit administratione: *Ex quo discimus*, ait Molanus, *non nuperum esse ut Iubilarios honorare, qui laudabiliter 50. annos in sacerdotio, aut quod rarissimum est, in Episcopatu exegerunt.*

Anno 1640. festivissimè per orbem Christianum, Iubileum anni centenarii à fundatâ Societate Iesu celebratum usq; quo Deo grates habitæ pro beneficiis per eam Ecclesiæ Catholicæ collatis, in confusionem nuperorum illorum Sectariorum, quos Lutheranos vocant, qui quasi

Catholicorum ſimii, annum centeſimum ab exortâ ſuâ noviciâ religione per Iubileum celebrem eſſe voluerunt incidentem in annum milleſimum ſexenteſimum decimum ſeptimum.

Igitur ſi annus XXV. ſi L. ſi C. quid-ni & CIↃ. ſolemni Iubileo veniet celebrandus; milleſimus, inquam, à primò fundatâ per S. Confeſſorem & Presbyterum Hasbaniæ Principem Trudonem, Abbatiâ Brugenſi-Eechoutanâ, qui incidit in annum M.DC.L. quo univerſalis Eccleſia Romana jubilavit, & ex omnibus Catholici orbis partibus in urbem moribus antiquis convocavit, & innumeros peregrinos venientes læta ſuſcepit, fovit, ac apertis ſpiritualium divitiarum theſauris, eoſdem cœleſtibus donis divites, hilareſque dimiſit.

9. Novemb. quæ incidit in fer. 4. Hujus rei conſideratione motus, datâ occaſione ſuggeſſi admodum Rever. Dom. Abbati noſtro D. Nicolao van Trooſtenberghe, præſentibus RR. piis, ac eruditis DD. Domino Huberto Waeghenaers tunc Pœnitentiario poſtea Archipresbytero, Sacræ Theologiæ Licentiato, & Domino Cæſare Nieuburgh Licent. V. I. Canonicis Eccleſiæ Cathedralis Brugenſis fore operæ prætium inſtante S. Trudonis Fundatoris Monaſterii noſtri Eec-

houtani

houtani festo, & per Octavam celebrare Iubileum anni millenarii: ad majorem Dei gloriam ejusque S. Confessoris præfati, cujus nos grato animo profitemur alumnos, & huic suggestioni prædicti DD. faventem præbuerunt aurem.

10. Novemb. idem ipsum nactâ opportunitate secundò eidem perquàm Rev. Dom. Abbati nostro per iteratam suggestionem à Rever. Dom. Bernardo Isenbaert Con-Canonico nostro fuit refricatum.

11. Novemb. Propositum fuit negotium Religiosis DD. Canonicis Eechoutanis capitulariter, ut loquimur, congregatis, & communi calculo resolutum Iubileum celebrandum. Quamobrem

12. Novembr. per venerandum Antistitem eundem requisiti fuerunt RR. adm. DD. Vicarii Generales Episcopatûs Brugensis, vacantis per obitum perillustris ac R^mi Domini D. Nicolai de Haudion, octavi Brugensium Episcopi piæ memoriæ, quatenus cum ipsorum notitiâ & licentiâ procedi posset ad hujusce Iubilei celebrationem, & eâ durante, per octiduum, visitantibus Ecclesiam Eechoutanam 40. dierum indulgentia in formâ consuetâ concedi, cum pulsu omnium campanarum per totam civitatem Brugensem ab horâ

7. vesper-

7. vespertinâ usque ad 8. in ipsâ S. Trudonis festivitate. Denique ad ostendendum quam hæc postulatio justa esset & fundata, exhibita est brevis relatio primariæ fundationis Abbatiæ Brugensis-Eechoutanæ à S. Trudone factæ anno 650. à quo præsens erat millesimus, atque adeò Iubileus: quam ad veriorem ejusdem rei notitiam juvat hîc forma subjicere ampliori.

Relatio de S. Trudone Presbytero Hasbaniæ Principe, & per eum factâ fundatione Abbatiæ Brugensis-Eechoutanæ Christi anno 650. restauratæ verò anno 1050.

BEatum Trudonem Sanctorum catalogo adscribunt Martyrologium Romanum, Beda, Usuardus, Martyrologium Monasticum, Molanus in additionibus ad Usuardum, & in Natalibus, & in indiculo die 23. Novemb. ubi Baronius, & Arnoldus Wyon in annotationibus ad Martyrologium. Ejus vitam primi scripsisse videntur Donatus Diaconus ad Ingelramnum Archiepiscopum, & Guicardus Abbas, itemque Harigerus Abbas Lobiensis; quos secutus est Theodoricus ex Abbate S. Petri Blandiniensis factus Ab-

bas

bas Trudonopolitanus, de quo N. Draeck Lector Abbatiæ Trudonopolitanæ apud Iosephum Geldolphum à Rijckel Abbatem Gertrudanum historiæ S. Gertrudis Virginis lib. 3. pag. 578. *Theodoricus*, inquit, *præest anno* 1098. *præfuit autem annis octo, discedit anno* 1107. 7. *Kal. Maji, vir optimè de Monasterio meritus*; cui successit in Abbatiali dignitate *Rodolphus natus in pago supra Sambram fluvium, cui nomen Monasterium, consecratur in Abbatem anno* M.C.VIII. 7. *Kal. Martii; præfuit admodum laudabiliter annis* 30. *mense uno, diebus* 7. *obiit anno* 1138. *pridie nonas Martii.* Ita Dominus Draeck in Catalogo Abbatum Trudonensium: Rodolphus hic auctor seu inchoator est Chronici Trudonensis, quod M. S. extat in eâ Abbatiâ teste Auberto Miræo in originibus Cœnob. Benedict. qui & idipsum penes se habuisse in Chronico Belgico pag. 311. testatur. Auctor item est idem Rodulphus epistolæ ad Walramum Ducem Limburgensem, & Advocatum Ecclesiæ Trudonensis scriptæ anno 1130. apud eundem Aubert. Miræum. Facit autem tam in hâc epistolâ, quam in illo Chronico Rodulphus mentionem Cœnobii à S. Trudone suo in alodio prope Brugas fundati. Porrò vita ejusdem

In Annal. Belg. ad ann. 689.

Sancti à Theodorico Abbate descripta, ea est quæ extat apud Surium, quam Zacharias Lippelo in compendium contraxit; ubi ejusdem Monasterii mentio ad calcem. Ejusdem meminit Cœnobii Gerardus Moringus in vitâ ejusdem S. Trudonis, ex quo Molanus.

In Natalib. ad 23. Novembr.

Scriptores passim S. Confessorem natum asserunt Christi anno 628. defunctum verò anno 693. ætatis suæ 65. *Natum*, inquam, *ex nobilissimis parentibus Wilboldo & Adilâ sanctissimâ Matronâ miraculis clarâ, cujus reliquiæ collocatæ juxta altare in vico Zeilem prope Diest*, verba sunt Molani, *in fundo hæreditario in veneratione habentur; ejusdemq; os permagnum & maxillæ pars in Monasterio visuntur Trudonopolitano, qui amplas habebant ditiones in Flandriâ, Hasbaniâ, & Campiniâ, ob quas nomine, & Comitum dignitate celebres habebantur.* Quinimò ex nobili stirpe Francorum Regum, & Ducum Austrasiorum, id est, Orientalium Francorum ad distinctionem Neustrasiorum, id est, Occidentalium; qui Austrasii modò Lotharingi indigitantur. Postquam enim Franci bellis in Romanos gestis occupârunt Galliam, & Reges longè latèque dominantes publica omnia loca, oppida, vicos, castra, lucos, & nemora ad se traxe-

Harigerus, Theodoricus, Rodulphus.

Olivarius Vredius lib. 2. Prod. pag. 413.

traxerunt, eaque filiis, nepotibus, atque propinquis sunt partiti; factum est, ut Quercetum cum aliis possessionibus juxta castrum, vicumque Brugensem tandem ad S. Trudonem jure hæreditario devenerit, è Francorum Regum stemmate, ut dictum est, oriundum.

Rodolphus, Moringus, Molanus.

Erat Quercetum tunc lucus Iovi sacer; quercum siquidem Ethnici omnes, inter quos & Franci, qui veterem Flandriam, quam verisimile est primam fuisse Franciam, incolebant, sanctam habuerunt, & ex eâdem sua oracula exspectârunt; quâ de re multa pulchra eruditus admodum & sagacissimus antiquitatis explorator Olivar. Vredius nostras lib. 2. Prod. pag. 411. & seqq. posteritati commendavit. Cujus elogium habetur in Bibliothecæ Ecclesiasticæ parte alterâ cap. 123. lib. posthum. Auberti Miræi.

Verisimile autem est, Quercetum prisco illo ævo multò spatiosiùs excurrisse quàm modò Abbatia Eechoutana, adeò ut complexum fuerit loca circumvicina, quorum fundus etiamnum ad eandem jure antiquo spectat; in quo modernum S. Trudonis Cœnobium, Asceterium quoque Dominicanarum, & Coletanarum, Xenodochium S. Magdalenæ, Sacellum Ierosolymitanum

tanum, Conventus fratrum Alexianorum, Schola pauperum Bogardica dicta, cum aliis locis excurrentibus extra civitatem, per pagum Odegemianum usque ad pontem Lapideum, quæ etiam hodie censum annuum pendunt Abbatiæ Eechoutanæ, cui omninò vicina est Ecclesia Præpositalis B. Mariæ qui totus fundus, bonum patrimoniale, & ut vocant, Alodiale S. Trudonis fuisse & ipsi defunctis parentibus jure hæreditario creditur obtigisse. Quâ observatione facilè reconciliari videntur Scriptores, quorum aliqui in Querceto moderno, aliqui in loco ubi modò Ecclesia B. Mariæ, aliqui in urbi vicinâ Parochiâ Odegemianâ S. Trudonem juxta Brugas eo tempore non adeò amplas fundâsse Monasterium, de quo infra, commemorant: siquidem priscum illud Quercetum (cujus Brugenses omnes Costellani advocati fuêre) hæc omnia loca verisimile est, olim fuisse complexum, ut annui censûs pensio protestari videtur. Quo animadverso ad S. Trudonem redeamus. Itaque S. Trudo à teneris unguiculis, singularis pietatis gratiâ præventus, cœpit cogitare de ædificandis Oratoriis, Ecclesiis, Cœnobiis, ut meritò pro insigni gestet; dum pingitur sacellum.

Harigerus, Theodoricus, Moringus, Molanus, off. prop. Can. Regul.

Paren-

Parentibus defunctis, pius Adolescens S. Remacli consilio, ad Metensem profectus est Episcopum S. Clodulphum, ibique quicquid in Hasbaniâ (quæ patria ipsi natalis fuit, hodie in ditione Leodiensi) patrimonii possidebat quasi sibi dictum reputans; *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia, & da pauperibus; & qui non renunciat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus*; perfectorum Clericorum statum affectans, quorum tonsura olim symbolum erat hujusmodi renunciationis, in honorem S. Stephani largitus est Ecclesiæ Metensi; quæ tunc temporis Regularis erat instituti, non quidem Monachalis, sed Clericalis, quod institutum ibidem suscepit Clericus inibi ordinatus, & jam sacris litteris instructus, non multò post Presbyter est consecratus, mox sacer Christi Præco futurus. Adolescentes equidem primævis illis temporibus, in quibus singulare Apostolici spiritûs specimen præ cæteris elucebat, ætate juvenes, moribus senes, Presbyteri creabantur; exemplo sint S. Joan. Chrysostomus, & S. Remigius, quorum prior anno ætatis 22. ad Episcopatum quæsitus, posterior reipsâ Episcopus est inauguratus. B. Petrus de Lutcemburgo ætatis anno 10. Canonicus Pa-

Molanus

Pennott. Hist. Gen. lib. 2. cap. 39. num. 6. Et Not. in vitam S. Trud.

Lippeloo in vitis SS. tom. 4. ex Hincmaro & Baronio.

est institutus, & post biennium Archidiaconus Carnotensis, decimo quinto Episcopus Metensis, & paulò post Cardinalis ad S. Georgium ad velum aureum, obiit anno ætatis 18. aliàs 22. anno Domini 1387. vide Molanum in Natalib. SS. 2 Iulii.

Libr. 2. Prod. & in Poëmate In Histor. Ecclesiast. In Flandria illustrata.

Quo eodem ætatis anno, nempe 22. Christi verò DCL. ut nobiscum sentiunt Vredius, Gazetius, Sanderus, celebre tunc prope Brugas, fundare cœpit Monasterium, quod & dotavit, in quo temporis successu, suam ante mortem, ipsemet fundator S. Trudo congregationem habuit, & aluit 80. Cœnobitarum, quâ de re Rodolphus Abbas Sarchiniensis in epistolâ ad Walramum suprà citatâ: *Inter cætera*, ait, *Bruges in Flandriâ Alodium S. Trudonis fuit, ubi & congregationem* 80. *Monachorum habuit*. Quod idem hisce verbis reddit in Chronico citato: *B. Trudo habuit ex parte patris dominium villæ Brugis nuncupatum cum suis attinentiis, quæ modò est oppidum famosum in terrâ quæ vocatur Flandriâ.* Et post pauca: *Monasterium ipse B. Trudo ibidem in proprio suo Alodio fundavit & dotavit, & in eo* 80. *Monachos instituit.* Cui consonat Molanus in Chronicâ Sanctorum Belgii recaptulatione cap. 11. *S. Trudo Hasbanus in*

De Walramo vide Myræum. in Chron. Belg. pag. 289.

Brugensi agro sibi gentilitio Monasterium construebat, ubi 80. Monachos aluit. Quo titulo idem Molanus & Gazetius ponunt S. Trudonem inter Sanctos qui coluntur in Diœcesi Brugensi, quod Monasterium profectò non aliud quàm Abbatia Eechoutana Brugensis, quæ præter S. Trudonem fundatorem alium, cùm aliquem habuisse certum sit, non agnoscit. Ita nobiscum sentiunt Molanus, Moringus, Ioannes Gramayus, Lippeloo, Mutsaert, Sanderus, Vredius, Auctor Legendæ Flandricæ, Gabriel Pennottus, &c.

Molanus in præfat. ad Natal. SS. Gazet. in Histor. Ecclesiast.

Est autem Cœnobium hoc in territorio Brugensi fundatione primum; nam reliqua longè posteriora, ut Aldenburgense, quod anno 1084. Andreanumque 1098. primùm fundari cœptum, ut lego apud Miræum de orig. Benedict. cap. 39. & 48. Dunense autem anno 1627. Brugas translatum, cætera recentiora.

Quamvis primitivi illi Clerici, cùm institutum Clerico-regulare susciperent, propriis renuntiarent, ut ea pauperibus distribuerent, Ecclesiis vel Cœnobiis ad hunc effectum videntur, cum consensu Superiorum retinuisse eorum administrationem salvo carentiæ proprii voto, ut observat Pennottus in notat. ad historiam vitæ S. Ludgerii

Ludgeri ex S. Auguſtino ſerm. de communi vitâ Clericorum; incapacitas ſiquidem Dominii, inhabilitas ad matrimonium, annus novitiatûs, certa ætas ad profitendum requiſita, poſtmodùm tantùm & tandem inducta ſunt Eccleſiaſtico jure. Porrò S. Trudonem ut Clericum, ſeu Canonicum Regularem inter ſuos Sanctos colit nobiſcum tota congregatio Lateranenſis, & Windeſemenſis ex indulto Pii V. concinnatis propriis lectionibus, in quibus hæc in ejus feſto recitantur: *Cumq; plures adoleſcentes, comprimis nobiles, contemptâ mundi fælicitate, in illius contubernium, & diſciplinam recipi contenderent, eorum causâ monaſterium Clericorum regulariter viventium apud Eccleſiam ædificavit, & ampliſsimè dotavit, factus ipſe eorum Rector, & forma vivendi exemplo bonorum operum. Duo alia inſuper Monaſteria erexit apud Brugas, urbem paternæ ditionis, alterum in loco Querceto.* Vbi tamen emendanda mentio regulæ S. Benedicti; cui mendo occaſionem dedit Molanus, qui deceptus, ſcripſit ad 23. Novemb. in Natal. SS. ſuo tempore Brugis in Querceto Benedictinos reſidere, quem ſecutus eſt Pennottus Italus, concinnator dictarum lectionum; quá de re ſtatim.

Notat

Notat Ioannes Baptista Gramayus Quercetanam fundationem Sarchiniensi esse nonnihil antiquiorem; hæc siquidem si fides Miræo, facta est anno 657. illa verò anno 650. ut suprà docebamus: quòd autem aliqui scribunt Cœnobitas à S. Trudone congregatos, Benedictinos fuisse, verisimile non est; neque enim regula S. Benedicti ante annum 743. quo celebrata est Synodus Liptinensis, in Galliam Belgicam, seu Germaniam Inferiorem, videtur fuisse invecta. Vide Miræum in præfat. ad orig. Bened. unde & vetustiora pleraque Galliæ Belgicæ, seu Germaniæ Inferioris Cœnobia, quæ hodie Benedictini sunt instituti, olim à primævâ fundatione Regularium fuerunt Clericorum. Cujus rei ne longiùs exempla petamus, adsunt duo talia Cœnobia, quorum primum Sarchiniense, seu Trudonopolitanum; posterius Audaginense, cujus *Auctor fuit Beregisus, qui in Sarchiniensi Cœnobio, à S. Trudone recens extructo, regularibus disciplinis informatus, locum hunc à Pipino Majore domus Regiæ impetravit.* Verba sunt Miræi de orig. Bened. cap. 16. ubi & producit testimonium Chronographi Trudonopolitani, quem suprà diximus Rodolphum Abbatem, quod sic sonat: *Beregisus ex pago Condro-*

In Flandria Franca tit. de suburb. Brug.

In orig. Bened.

ſio ortus, & à parentibus intra Monaſterium S. Trudonis, ſub habitu Religionis, litterarum ſtudiis & lege diuinâ imbuendus traditus, largiente Pipino Principe eidem lata prædia, monaſterium Andainenſe in honore S. Petri conſtruxit, in quo Clericis ordine Canonico militantibus, ipſe pater in eodem habitu eſt ſociatus, quod modò S. Huberti in Ardennâ nuncupatur, ubi Waſo Leodienſis Epiſcopus, delato eodem à Trajecto corpore dicti S. Huberti, pro Canonicis Regul. Monachos instituit. Hactenus teſtimonium Chronographi Trudonopolitani, cui ſubnectit Miræus: *Ex quibus Trudonenſis Chronographi verbis illud effici videtur, cùm apud Sarchinienſes, tum apud Andaginenſes, ex primævâ inſtitutione fuiſſe non Monachos, ſed Clericos, ſeu Canonicos, ut vocant,* Regulares. *Quod ante nos & Ioan. Molanus, vir Eccleſiaſticarum, præſertim noſtratium peritiſſimus, obſeruavit.*

Inſtitutum igitur Clericorum, quos modò Canonicos Reg. vocamus, quod S. Trudo in Eccleſiâ Metenſi Cathedrali (in quâ id viguit uſque ad Waſonem Epiſcopum, ſub quo Clerici hactenus Regul. *Facti ſunt nomine & converſatione,* ait Molanus, *Canonici Sæculares & proprietarii*) Didicit, & ſuſcepit, in ſuo Sarchinienſi Cœnobio

Molan. in Natal. SS. 6. Martii.

poſuit;

posuit, in quo idem ipsum S. Beregisus imbibit, atque inde in suum Andainum transportavit. Quo eodem modo de instituto primitivorum Cœnobitarum Quercetanorum sentiendum. Illo enim S. Trudonis ævo nondum in Galliâ Belgicâ regulam S. Benedicti in usu fuisse, intelligere est ex originibus Cœnobiorum Bened. quas justo volumine ex eorum Archivis prosecutus sæpè citatus Miræus publicabat, ut jam dicebamus. Gandense Bavonicum, Blandiniense, Elnonense, Trunciniense, antiquissima Cœnobia à S. Amando fundata priùs fuerunt Clericorum Cœnobitalium, postea verò Monachorum; ex Molano & Miræo. Item Lutosanum priùs Regular. posteà Sæcul. Canonicorum; Molan. 8. Octobr. Matth. Lamb. Hist. Ecclesiast. cujus 1. Abbas S. Badilo. Cæterùm institutum Clerico-Regulare, quod ducentis circiter annis ante Benedictinum in Galliâ floruit, à primâ fundatione per S. Trudonem factâ, apud Cœnobitas Eechoutanos usitatum fuisse, nobiscum tenent Ioannes Baptista Gramayus suprà citatus, Geldolphus Richelius Abbas Gertrudanus, lib. 3. vitæ S. Gertrud. pag. 531. Sanderus in Flandriâ illustratâ; quod confirmatur ex eo quòd istius temporis Monachi

nondum curam pastoralem administrarint, in Flandriâ adeò recenter conversâ; hi autem Cœnobitæ à S. Trudone in Querceto congregati, educati, sustẽtati, & informati eam obierint atque eâ de causâ decimæ & oblationes solitæ fuerint ad eos devolvi. Quâ de re pulcherrimè antiquitatum nostratium peritissimus Vredius in poëmate infra ad longum recitando, ex quo nonnulla excerpenda quæ ad rem pertinent præsentem:

Lucus erat densus è Quercu *frondibus ater,*
Quo vixdum radiis solis adire datum.
In medio luci Iovis olim stabat imago
Vibrantis dextrâ fulmina dira manu.
Hic dudum fuerant Druidarum sacra peracta
Queîs solis fingunt numina nosse, datum.
Hunc sibi de primis Francis & patre profectum
In Christo *templum vertere* Trudo *parat;*
Et ne fortè iterum retrò labentibus annis
Vnquam aliquis Christi *Præco deesse queat,*
Cœnobium fundat, quo Franca & Brugica possit
Christiadum institui prima juventa, sacris.
Approbat Eligius factum, firmatq; sigillo,
Et loca quæ restant erudienda, petit.
Interea schola fit Christi, Trudone *Magistro*
Quercetum, *& tantâ Relligione viget,*

Vt

Vt sibi Trudo *senex, intra penetralia Claustri*
Bis quadragenos viderit esse viros,
Moribus insignes, omni virtute coruscos,
Doctrinâ eximios, eloquioq; graves;
Quos Augustini *non tantum vivere Christo*
Verùm etiam populo, regula sancta jubet.
Ad vetera hinc numquam Bruga est idola relapsa
Solaq; sunt Christi culta deinde sacra.

Ex ultimo hoc disticho facilè est observare, eo ipso anno 650. (quo primò fundatum est Cœnobium Abbatiale Eechoutanum) in territorio Brugensi Paganismum penitus fuisse extirpatum operâ S. Eligii, cooperante S. Trudone, & collaborantibus Cœnobitis ab eo ibidem institutis, adeò ut Brugenses ab eo tempore numquam fuerint ad idololatriam relapsi; sed constanter profecerint in Christianismo, in eoque perseveraverint per mille annos usque in tempus præsens, quo celebrata festivitas sæcularis anni millenarii à fundatâ Abbatiâ Eechoutanâ, à Paganismo Brugis penitus exciso, & Religione Christianâ stabilitâ, per ejusdem urbis Apostolos, & Patronos SS. Eligium, & Trudonem, cujus Brugense Cœnobium ab anno 650. per ducentos amplius annos, plurimos aluit, ex relictâ S. Trudonis dote

Zacharias Lippeloo tom 4. 23. Novemb.

Clericos Religiosos sanctitate, doctrinâ, & exemplo bonorum operum, quibus Brugenses, in ipsis Religionis Christianæ incunabulis sunt educati & confirmati, florentes usque ad annum 880. quo anno à Nordmannis & Danis, cum aliis plurimis in Belgio Cœnobiis est destructum, de quâ vastatione Molanus in Chronicâ SS. Belgii recapitulatione cap. 23. contra quos à Balduino Ferreo primo Flandrorum Comite antiquum munitum fuerat Burgum Brugense, cui vicinum vetus Quercetum; unde Cœnobitis dispersis (*in eo enim luctuosissimo statu Clerus & Monachi cum Sanctimonialibus*, ait Molanus suprà, *exustis ac depopulatis suis Monasteriis, ubi poterant oportunius latebant*; aut *de locis ad loca peregrinabantur*) unde, inquam, Cœnobitis dispersis, in locum desertum seu derelictum videntur Flandriæ Comites, juris quid sibi usurpâsse & vendicâsse, quod temporis lapsu tandem devolutum est ad Theodoricum Elsatium, qui illud abdicavit, & Religiosis Eechoutanis postliminiò resignavit, ut ex nostris patet Archivis.

Olivar. Vredius libr. 2. Prod. c. 25. pag. 525.

Videntur interea temporis præfatorum Cœnobitarum aliqui commorati circa Ecclesiam de Ameresham, in agro Brugensi, quæ etiamnum

hodie

hodie villa nostra est antiquissima, & creditur olim fuisse pars patrimonii, seu alodii S. Trudonis: donec dispersi denuò collecti sunt circa annum 6. decimi sæculi quo sæculo multa Monasteria à Nortmannis eversa in Flandriâ reparari cœperunt, ait Molanus suprà, collecti inquam, operâ Episcopi Tornacensis (non Uldarici, ut aliqui volunt, quia hujus nominis nullus in Tornacensium Episcoporum catalogo; nec etiam Balderici, ut alii, quia hic multò posterior) sed Lamberti, erecto Cœnobio, cum Parochiali Ecclesiâ in Parochiâ de Odeghem juxta Brugas sub titulo S. Trudonis, ob superstitem ab eodem S. factam dotationem, ex cujus reliquiis hæc restauratio, cum iteratâ Cœnobitarum congregatione est adornata; qui Cœnobitæ Clericali suo more ibidem curam animarum, ratione cujus ab eo decimæ receptæ, & oblationes, quod jus inpræsentiarum durat in Præfecto Sanctimonialium Trudonissarum ex concessione Antistitæ, exercuerunt. Verum enimvero

Archiva Trudonissarum.

Sanderus in Flandriâ illustratâ.

Anno 1016. pars Cœnobitarum (quos jam in Odegemianâ S. Trudonis Ecclesiâ denuò congregatos diximus) ob devotionem, ut videtur, erga primæ fundationis locum regressa est in Quercetum,

Ex Archivis.

cetum, nondum ab omni jure, occaſione deſolationis loci, ut ſcripſimus, à Flandriæ Comitibus uſurpato, liberum, ubi iterum reſtauratum Monaſterium, quod temporis lapſu in formam ſurrexit ampliorem, & titulum reſumpſit Abbatialem, cui prius illud Odogemianum, ſolo titulo Prioratûs, ut vocant, contentum, tam quoad ſpiritualia, quàm temporalia, manſit ſubjectum, & ab eodem dependens. Poſt annos verò duos ſupra triginta nimirum anno 1048. B. Everelmus Anachoreta admiſſus eſt in Quercetum (in quo etiamnum forma inſulæ propter fluviolumReyam undique circumfluentem) à Cœnobitis Quercetanis; non ut ipſorum more vitam ageret Cœnobiticam, ſed potiùs quaſi Anachoreticam & ſolitariam, qualem conſueverunt illi, quos ea ætas recluſos vocabat, quibus ſubinde conceſſus locus contiguus Cœnobiorum oratoriis, ubi ſolitariè degentes, abſque egreſſu, cum ſolo Deo converſabantur. Qualis exempli causâ fuit Geldinus ille, cujus meminit Auctor Chronici Aquicincti, a-
Anno 1090. pud Miræum de orig. Benedict. in Auctario cap. 41. ſcribens in hæc verba: *Eâ tempeſtate venit Aquicinctum quidam nomine Geldinus, qui ex Monacho Laudunenſi Abbas S. Michaëlis de Terraſciâ, re-*

lictâ

lictâ Abbatiâ, ob amorem Domini reclusus vixit Aquicincti. Quod contigit sub Abbate 3. Aquicinctino Haimerico, cui defuncto dictus succenturiatur Geldinus, qui tamen onus regiminis, tandem fastidiens, eligensque potiùs olim actæ otium reclusionis, curam reliquit animarum, iterumque effectus est reclusus ad S. Bertinum, ut in prædicto chronico est videre. Qualem denique fuisse notat Molanus in nat. SS. 2. Feb. Columbanum Abbatem Hibernensem, reclusum in cœmiterio Gandensis Cœnobii anno 987. ubi post biennium obiit, & in cryptâ B. Mariæ requievit. Ut hîc nil dicam de S. Bavone, qui in urbe eâdem reclusus vixit in suo Cœnobio Bavonico. Qualem insuper fuisse commemorat idem Molanus suprà ad 17. Aprilis, Beatum Gervinum, qui reclusus habitavit sub basilicâ S. Petri in Aldenburgh, quia locus ille per dignitatem S. Petri miraculorum signis illustrabatur, & tandem electus est in ejusdem loci Abbatem secundum, qui ad Dominum migravit anno 1117. Simili modo vitam eremiticam, seu Anachoreticam duxisse legitur S. Aibertus reclusus juxta Cœnobium Crispiniense, de quo consulendus Molanus ad 2. Maji. His adde B. Mariam Oigniacensem sic di-

ctam à Cœnobio Oigniacensi ordinis Canonicorum Regul. S. Augustini, prope cujus Ecclesiam reclusa vixit in magnâ sanctitate, ad Sponsum transiit anno 1203. de eâ Molanus supra ad 3. Iunii & in Chronicâ recapitulatione cap. 27. Porrò post biennium ab admissione B. Everelmi, tandem perfectè restauratum est Cœnobium Quercetanum, & juxta hunc sensum intelligenda Meyeri verba in Annalibus Flandriæ:

Anno 1050. *In suburbano Brugensi conditum est Cœnobium Regularis disciplinæ, cui nomen Quercetum.* A quo eodem anno supputatione factâ modernus deprehenditur sexcentesimus hoc titulo iterum Iubileus, à quâ Cœnobii amplificatione vel consummatione annis elapsis circiter decem scilicet

Anno 1060. piè in Domino obdormivit B. M. Everelmus, quem perperam Querelinum cum Gazetio, (qui loco Eechout Octerloo habet) Meyerus nuncupat his verbis: *Anno 1060. Brugis in Cœnobio Quercetano obiit religiosissimus Querelinus Anachoreta.* Hunc sanctis, qui in Diœcesi Brugensi celebres habentur accenset Guillelmus Gazetius, nec immeritò; siquidem in signum sanctimoniæ sepulchrum ejus honoratum est antiquissimâ tumbâ lapideâ elevatâ, cui superstructus

In histor. Eccles.

immi-

imminet Auſtralis murus baſilicæ, ſupra tumbam verò in ipſo muro viſitur tabula ex albo lapide exhibens imaginem Anachoretæ cum hoc epigraphe: *Hîc jacet Everelmus Anachoreta, qui duodecim annos hâc in inſulâ luci noſtri converſatus eſt, & obiit anno Domini* MLX. *ſecundâ die Octobris.*

Anno 1091. in viciniâ Querceti fundatur Collegium B. Mariæ & anno 1094. electus eſt in primum Præpoſitum Gummarus, qui præfuit annis 20. hic Romam profectus fertur Eccleſiam Monialibus ceſſiſſe, at ſucceſſor ejus reclamavit. Ita Sanderus in Flandriâ illuſtratâ lib. 2. Rerum Brugenſium ex Archivis. Videntur hæ Moniales eædem illæ quæ hactenus in viciniâ commemoratæ, poſtea dictæ ſunt Trudoniſſæ, &c

Anno 1110. ſub Roberto Friſio juniore, ſeu Ieroſolymitano admiſſæ ſunt à Cœnobitis Quercetanis in ſuam ſocietatem & curam, tàm ſpiritualem quàm temporalem, deinceps ſimul cohabituræ & eodem loco, & eâdem lege, regulâ Canonicâ ſcilicet, ſeu Auguſtinianâ. Obſervandum hoc loco olim quandoque contigiſſe, ut ejuſdem inſtituti utriuſque ſexûs Religioſi ſcilicet & Sanctimoniales in eodem degerent Cœnobio: exemplum eſt in Ooſtbrouckano olim prope Ultrajectum,

Archiva Trudoniſſarum.

Miræus de orig Benedict. cap. 49. item cap. 25.

jectum, quod Monachorum ſimul & Monialium fuit fundatum anno 1122. itemque in Stauriensi, quod ex Monaſterio Clericali, quale ex primævâ fuit fundatione, mutatum eſt in Benedictinum utriuſque ſexûs, circa annum 1232. denique in celeberrimo ſanctæ Crucis Monaſterio Canonici ordinis prope Conimbriam Luſitaniæ, Canonici ſimul, & Canoniſſæ quas vocant habitârunt circa tempora S. Theotonii, primi ibidem Prioris, qui ad Dominum migravit anno 1126. ſed de his hactenus.

Archiva Trudonissarum & Ianus Leruntius in vitâ Caroli Boni.

Anno 1122. ſub Flandriæ Comite Carolo Bono prædictæ Moniales, quas diximus receptas fuiſſe in curam tam ſpiritualem quàm temporalem Cœnobitarum Quercetanorum, transferuntur in Prioratum Odegemianum, cujus Paræcialis Eccleſia titulo S. Trudonis erat inſignita. Unde & illæ Deinceps Trudoniſſæ vulgò fuerunt indigitatæ, manſeruntque ibidem ſub immediato regimine Prioris, à Cœnobiarchâ Eechoutano quantum ad utrumque regimen ſpiritale & temporale cum illis dependentis: bonis S. Trudonis, quæ allodialia vocant, communibus manentibus, & utrique ſexui, & utrique Monaſterio, Quercetano ſcilicet, & Odegemiano.

Anno

Anno 1126. 12. Kalend. Aprilis Burchardus Stratensis Princeps Paricidarum Caroli Boni confugit ad Monasterium Eechoutanum, tunc temporis in suburbano Brugensi, oppido, ut nunc nondum amplificato, etiamnum situm, ibique per dies quatuor delituit, & extorto habitu, & tonsurâ regulari, quo securiùs evaderet, ad quod quærebatur, supplicium; ubi pervenit ad Scaldim fluvium, sæpiùs trajicere conatus, semper miraculo repulsus, tandem comprehensus, capite est minutus. Meyer. in Annal.

Anno 1130. Quercetum Cœnobitis Eechoutanis B. Mariæ, S. Bartholomæo, Willebrordo eorum Ecclesiæ Præsidibus servientibus, in perpetuum, liberè possidendum traditur à Comite Flandriæ Theodorico Elsatio, cujus decessores juris quiddam acquisierant in Eechout (in Diplomate jacere dicitur in Royâ vivario Principis; porrò vivarium non tantùm piscium est, sed & avium & ferarum ad victum pertinentium) occasione desolationis, & ad tempus derelictionis, per destructionem prioris Cœnobii à S. Trudone fundati, factam per Nortmannos & Danos, ut supra notatum est. Et quanquam Cœnobitarum denuò collectorum pars quædam posita sit in Extat Diploma in Archivis Eechoutanis, quod recitant Miræus & Vredius.

in Parochiali Ecclesia Odegemianà, cujus titularis post B. Mariam S. Trudo, pars vero amore loci primævæ fundationis ad Quercetum sit reversa, ut diximus, supra ad annum 1016. Hoc tamen incolere solummodo permissa est, nondum libero acquisito Domino, & loci proprietate, quousque hoc anno 1130. absolutam possessionem, cum omni jure & reditibus Flandriæ Comiti hactenus pendi solitis, adjectis insuper quatuor caseorum pisis, ut vocat diploma, post liminiò est adepta.

Anno 1133. Monasterii S. Trudonis in Odegem prope Brugas priorem egit Liethardus Priorem, inquam, dependentem ab Abbate Eeckhoutano, ut supra est notatum. Gubernabantur itaque illo tempore Moniales Trudonissæ immediatè per Priorem ibidem degentem, paucis fratribus associatum, mediatè verò per Abbatem Eeckhoutanum: cui quidem Liethardo Priori, ejusque fratribus, notabilem terræ partem dono dedit, idem qui supra Flandriæ Comes Theodericus, quâ de re exstat Diploma illo ipso anno 1133. notatum. Ex quibus manifestum fit ea ætate, sub Priore Liethardo, in Odegemiano illo S. Trudoni dedicato Monasterio Regula-

Archiva Eechoutana.

res

tres fratres simul habitasse & Moniales.

Anno 1206. Philippus Marchio Namurcensis (ut est in Archivis nostris Eeck-houtanis) attestatur Arnoldum Ooscampanum militem, sic eo ævo nobilis eques significabatur, qui nunc eques auratus, Dominis Eeck-houtanis vendidisse totum illum agrum, qui interjacet inter Ecclesiam S. Trudonis, & Ecclesiam de Amersham (quæ hodie in agro Brugensi, Villa nostra est) idque ad opus Ecclesiæ S. Trudonis, intellige vel ad reparationem, vel amplificationem. Hinc constat etiamnum eo tempore DD. Eeck-houtanos dictæ S. Ecclesiæ fuisse Curatores, & Abbatem Eeck-houtanum utrumque Monasterium, & Quercetanum, & Trudonicum gubernasse, ut hinc natus videatur mos in nostris insigniis duplex pedum exhibendi.

Archiva Eechoutana.

Anno 1219. Joanna Flandriæ Comitissa notabilem Agri portionem per donationem à se factam, communem esse voluit, & Canonicis Eeck-houtanis, & S. Trudonis Canonissis. Verumenimverò post annos ferè triginta nempe

Anno 1248. ad sopiendas quasdam inter utrosque exortas difficultates, facta est bonorum divisio, & personarum separatio, nec non

exemptio

exemptio Monialium Trudonissarum ab Abbate Eeck-houtano tunc Gouswino nomine, ejusque successoribus, Comite auctoritatem interponente, & teste assistente Abbate Dulcisvallensi, institutâ denique primâ Antistitâ Vsiliâ nobili, ac singularis pietatis Sanctimoniali. Verum post annos ab hac mutatione factâ tredecim S. Trudonis Monialium Cœnobium jam Abbaticum cælitus tactum, incendio conflagravit: nimirum

Meyer. in Annalib. Flandr.

Anno 1261. postmodum verò novum extructum est Cœnobium, in viciniâ juxta viam Curtracensem, quod superiori sæculo Calvinisticâ rabie eversum

Anno 1580. 10. Maji in civitatem Brugensem est translatum, converso in illud refugio Bavonico, & fratrum quondam S. Francisci Tertiariorum Asceterio adjuncto, in fundo Eechoutano. Hæc de ortu & progressu utriusque Monasterii à S. Trudone derivati & dotati, ex probatis Auctoribus & certis Archivis. Unde eâdem operâ corrigendi quidam lapsus recentioris cujusdam Scriptoris, magni aliàs rerum Belgicarum Elucidatoris, secuti incorrectam quandam tabulam & nimium cræduli fœmineæ cuidam narrationi.

Miræus in orig. Can. Reg. c.31.

Ioannæ Plassiæ.

1. Est

1. Eſt quòd ſcribat ad Monaſterium Quercetanum, jam conditum, ut ex Meyero notat (qui quomodo intelligendus dictum aliàs)

Anno 1050. evocatos primùm fuiſſe Religioſos Canonicos ex Tornacenſi Abbatiâ S. Nicolai de Pratis, nunc S. Marci: quod ſtare non poteſt, nam ut eod. lib. de orig. Canonicor. Regul. cap. 59. idem ſcribit, illud S. Nicolai de Pratis Monaſterium primùm fundatum fuit

Anno 1125. ab Ogerio Canonico Regulari montis S. Eligii, apud Atrebates.

2. Eſt quòd ponat quendam Uldaricum Tornacenſem Epiſcopum; cùm in catalogo Epiſcoporum Tornacenſium apud Gazetium & alios nullus reperiatur hoc nomine nuncupatus. In Hiſtor. Eccl.

3. Eſt quòd eundem Udalricum ab anno 906. uſque ad annum 1010. pluſquam centum annos neceſſe ſit Tornacenſem manſiſſe Epiſcopum, ut vera ſint, quæ ibidem ſcribit, de neſcio quibus fratribus de Capellâ, poſitis in Odegemianâ S. Trudonis paræchiali Eccleſiâ, ab eodem Vdalrico anno prænotato 906. & ſub eodem Præſule fratres illos, factos Canonicos Regul. anno 1010. quod quàm ſit incredibile, imò fabuloſum, primâ fronte eſt manifeſtum.

4. Eſt, quòd Aroaſienſes Canonicos eod. cap. ſcribat initium habuiſſe anno 1000. cùm veritas habeat, & ipſemet Auctor ſcribat eod. lib. cap. 10. Aroaſienſem Abbatiam ſolummodò fundatam anno 1097. ex quo facilè notari poteſt & emendari

5. Quòd ibidem narratur dictos fratres de Capellâ, Aroaſienſes factos Canonicos anno 1010. cùm poſt annos circiter octoginta tantummodò exorti ſint Aroaſienſes, & ipſa congregatio multis annis ſit poſterior. Porrò ad fratres de Capellâ quod attinet, videntur illi qui aliàs Thouſani dicti; nam Abbatia Thouſana olim dicebatur Capella Thouſana, & Abbas Thouſanus dictus eſt Abbas Capellæ: olim autem ante tumultus Belgicos ſita erat prope Brugas ad regionem Septentrionalem, cùm Quercetani ad Auſtralem habitarent, hinc quia ambo juxta Brugas, inter ſe confuſi videntur.

6. Eſt, quòd notet Moniales Trudoniſſas fuiſſe receptas in ſocietatem & curam Dominorum Quercetanorum anno 1116. & poſt pauca eod. cap. id factum narret anno 1110.

7. Quòd ponat eaſdem Moniales habitu *nigras*, cùm tamen priùs dixiſſet eas ipſas fuiſſe

ejuſdem

ejuſdem inſtituti & ordinis cum Canonicis Quercetanis, nimirum Aroaſienſis, cujus habitus non niger, ſed albus, quo illæ etiam hodie utuntur.

8. Quod aſſerat in Monaſterio prope Brugas à S. Trudone fundato, Monachos conſtitutos fuiſſe 70. cùm alii Auctores paſſim 80. fuiſſe conſtanter ſcribant cum Rudolpho Abbate Trudonopolitano, in epiſtolâ ad Walramum; imò ipſemet Scriptor hoc ipſo capite ponat 80.

9. Quòd eoſdem Monachos vixiſſe referat ex S. Benedicti inſtituto, cujus nullum apud nos veſtigium, quodque ſuprà refutatum.

10. Quòd poſt deſtructionem Nortmannorum Trudonicum Monaſterium deſertum jacuiſſe ſcribat uſque ad tempora Balderici Epiſcopi Tornacenſis, qui ſedere cœpit anno 1097. cùm antea ſolummodò uſque ad, neſcio quem, Uldaricum Nerviorum Epiſcopum, anno 906. ſedentem, eam deſolationem manſiſſe eodem capite ſcripſiſſet. Gazet. in Hiſt. Eccl.

11. Eſt in anno donationis Querceti factæ, juxta Scriptorem illum anno 1134. per Theodoricum Elſatium Flandriæ Comitem, cùm ex ſuperſtitibus ejuſdem donationis literis certò conſtet eam factam anno 1130. Archiva Eechoutana.

12. Quòd referat combusto S. Trudonis Monasterio, aliud extructum fuisse apud Curtracenses, cùm clarum sit restitutum fuisse apud Brugenses prope viam Curtracensem. Dictum Scriptorem secutus videtur Paulus Laymannus apud R. D. Iosephum Geldolphum à Rickel Histor. S. Gertrudis lib. 2. pag. 253. ubi hæc lego: *B. Trudonis Monasterium Brugis olim à* 80. *Benedictinis inhabitatum, deinde datur Cœnobitis, demum anno* 1110. *conceditur Canonicis Regularibus S. Augustini.* Cœcus cœco dux, ne sutor ultra crepidam. Nec opus à me refutari, abundè siquidem refutatum à Geldolpho lib. 3. vitæ S. Gertrudis Virginis pag. 531. ubi probat à B. Trudone Brugense Monasterium Eechout nunc vulgò dictum, fundatum ab initio non à Benedictinis; sed à Canonicis Regularibus fuisse inhabitatum. Hæc paulò fusiùs scribere placuit juxta certa Archiva, & probatos Auctores, quò satisfactum sit quorundam mussitationibus, ut audio, Criticorum, absque ullius tamen præjudicio, majus jus, vel evidentius testimonium habentis; siquidem cultores sanctorum esse volumus, non verò propugnatores errorum: *Quamquam non sit alienum à religione*, ait Molanus, *quemquam sanctum honorare, quia ejus corpus*

In Append. defens.

In Natal. Sanctor. 27. Nov. 2.

corpus nos habere putamus [eadem est ratio de Sancto quem juxta antiquam traditionem fundatorem piè credimus] *nam & nummum, & cultrum, & similia in pretio habemus, quia putantur hujus, aut illius fuisse, etiamsi obscuram tantum eâ de re famam habeamus.* Ita Molanus.

Hac itaque relatione in compendium contractà, & prænominatis RR. Dominis Vicariis exhibitâ 12. Novemb. Sequenti die quæ fuit Dominica, tradita est in scriptis facultas per Rev. D. Ioannem Baptist. vander Zijpe Canonicum Cathedralem Brugensem Dominis Vicariis à secretis, & concessa 40. dierum indulgentia, omnibus Eechoutanam Ecclesiam S. Bartholomæi Apostoli visitantibus, & ibidem orantibus pro fœlici successu armorum Catholicæ suæ majestatis, ipsâ festivitate S. Trudonis, & totâ durante Octavâ; formula autem concessionis quæ sequitur. 13. Nov.

Actum Brugis in congregatione adm. Reverend. Dominorum Vicariorum Generalium vacantis Episcopatûs Brugensis 12. Nov. 1650.

AD expositionem R. Adm. in Christo Patris D. Nicolai van Troostenberghe Abbatis Eechoutani, exponentis qualiter cum consilio suorum Religioso-

rum capitulariter congregatorum, resolutum fuisset solemniter celebrare Iubileum anni millenarii, à primâ fundatione Abbatiæ Eechoutanæ: itemque sexcentenarii à restauratione plenariâ ejusdem circa annum 880. *per Nordmannos & Danos cum multis aliis Monasteriis Comitatûs Flandriæ quondam destructæ; & supplicantis quatenus Admod. RR. Dominis Vicariis Generalibus præfatis, placeret concedere* 40. *dierum indulgentias, in ipso instante S. Trudonis festo & per octavam lucrandas ab iis qui Ecclesiam prædictæ Abbatiæ visitaverint & ibidem Deum omnipotentem oraverint pro fœlici successu & profectu armorum Catholicæ suæ Majestatis, ad obtinendam pacem diutiùs desideratam; declarantis insuper eam suam esse intentionem, quatenus in ipso S. Trudonis festo, omnes hujus civitatis campanæ per horam pulsarentur sumptibus ipsius supplicantis, confidentis hoc ipsum RR. Dominis Vicariis præfatis non futurum ingratum:*

Adm. RR. DD. Vicarii Generales venerando Domino exponenti consentiunt in postulatas indulgentias, ordinantes nostro Secretario, quatenus desuper expediat litteras in formâ. Ad pulsum autem campanarum hujusce civitatis Brugensis quod spectat, quandoquidem aliàs simile quid hîc usitatum sit in occasionibus minoris momenti, Adm. RR. Domini Vicarii declarant

id sibi

id ſibi gratum futurum, dummodò impetretur conſenſus reſpectivorum capitulorum civitatis ejuſdem, & aliorum ad id jus habentium.

Actum die, menſe, anno ut ſuprà
me præſente
IOAN. BAPT. vander ZIIPE.

14. Novemb. amandatus fui cum D. Bernardo Iſenbaert ab adm. R. Domino Abbate noſtro ad Capitulum Cathedrale, à quo obtentus fuit campanarum pulſus audiendus in ipſo S. Trudonis fundatoris & dotatoris noſtri feſto, datâ in ſcriptis facultate hac formulâ.

Actum in Capitulo Eccleſiæ Cathedralis Brugenſis die 14. Novemb. 1650.

COmparentes RR. DD. Cornelius Bartholomæi & Bernardus Iſenbaert Canonici Regulares S. Auguſtini Abbatiæ de Eechout, ad hoc deputati ex parte Adm. Rev. Domini Prælati ejuſdem Abbatiæ, exposuerunt quòd Adm. R.D. Prælatus intendat hoc anno per octiduum inchoandum à feſto S. Trudonis, quod incidit in 23. hujus celebrare ſolemnitatem ſæcularem, ſeu Iubileum decimi ſæculi & anni milleſimi à primâ fundatione ejuſdem Abbatiæ, per eundem S. Trudonem factâ, anno ſexcenteſimo quinquageſimo adbi-

adbibitis ad hoc ceremoniis opportunis, & signanter pulsu campanarum Ecclesiarum hujus civitatis, rogando quatenus Domini ad honorandum seu promovendum hujusmodi solemnitatem, dignentur ejus expensis concedere pulsum hujus Ecclesiæ: Domini ad majorem splendorem tàm laudabilis solemnitatis, in petitum pulsum hujus Ecclesiæ consenserunt.

Actum ut suprà me præsente
H. WALGENAERS.

Similter obtentus fuit pulsus campanarius, à perquàm Reverendo Domino Præposito Ecclesiæ B. Mariæ Brugensis: itemque Ædituis Ecclesiæ S. Salvatoris. Quibus impetratis

15. Novemb. alia cœpta sunt præparari quæ magis spectare videbantur ad solemnem futuram Iubilei celebrationem.

16. Novemb. per DD. Iosephum Beerblock & Prosperum de Vinck Canonicos nostros, invitati sunt viri primarii civitatis Brugensis tam Ecclesiastici, quàm Sæculares, & Franconatûs ad solemnem Missam & mensam in festivitatem S. Trudonis.

17. Novembr. Obtinuimus per libellum supplicem à Senatu Brugensi, pulsum maximæ campanæ,

panæ, & luminis triumphalis, ex phalis &.turri Ecclesiæ B. Mariæ exponendi; libellus autem sic sonabat:

Nobilibus Dominis Consulibus & Scabinis civitatis Brugensis.

EXponunt cum debitâ reverentiâ Adm. Rev. D. Prælatus & Religiosi Domini Abbatiæ Eechoutanæ, se resolvisse celebrare, instante feriâ quartâ, quæ erit 23. Novembris, in quam incidet festum S. Trudonis sui fundatoris, & per octiduum Iubileum anni millenarii à primâ fundatione sui Cœnobii factâ à S. Trudone anno 650. quo eodem tempore S. Eligius majores nostros à Paganismo convertit ad Christianismum, fundavitq; in Burgo Ecclesiam B. Mariæ, postea S. Donatiani nuncapatam, & in suburbio Ecclesiam S. Salvatoris. Ad cujus Iubilei celebrationem honorandam, quandoquidem Adm. RR. Dominis Decano & Capitulo Cathedralis Ecclesiæ consultum visum fuerit, pulsari omnes campanas à septimâ vespertinâ usque ad octavam, ut patet per actum his annexum; supplicant nobilibus dominationibus vestris, quatenus in pulsum campanæ maximæ triumphalis, ab horâ octavâ vespertinâ usque ad nonam, & in accensionem lucernarum & lampadum in utraque turri editione

vestris sumptibus consentire dignentur, in gratam memoriam luminis fidei, prænotato tempore, primitus in hac civitate accensi, quo præstito, &c.

In margine notatum erat:

Collegium Scabinorum Dominis supplicantibus, id quod postulant, concedit. Actum in Curiâ 17. *Novemb.* 1650. *me præsente*

G. vander WOESTINE.

18. Novemb. facta est nobis facultas à Dominis Vicariis Generalibus habendi supplicationem ex Abbatiâ nostrâ Eechoutanâ ad Abbatiam Sanctimonialium S. Trudonis in octavâ ejusdem S. Confessoris post solemne sacrum, in quam incidit festivitas S. Apostoli Andreæ; quâ de re copiosiùs posteà suo die.

19. Novemb. collocatum fuit loco pictæ tabulæ super altare princeps prostare solitæ in concavo, spectaculum quoddam repræsentans sanctum Confessorem Trudonem fundatorem dotatoremque duobus mendicis stipem erogantem, ornatum pluviali nostro pretiosissimo artificiosissimoque ex panno argenteo, limbis prominentibus auriphrigiatis, quod spectatores rapere solet

in

in admirationem; cum hâc inſcriptione litteris aureis, S. TRUDO PATER PAUPERUM.

Eodem die ſupra ſepimentum quod anteriorem Eccleſiæ noſtræ partem à poſteriore dirimit, conſtituta alia ſimulachra, quorum primum repræſentabat eundem S. Trudonem quaſi Cœnobium noſtrum fundantem, appoſitis hinc inde perſonatis Architectis, & iis qui erant quaſi à conſiliis, circumſtantibuſque perſonatis Canonicis Eechoutanis, & Sanctimonialibus Trudoniſſis, quo dabatur intelligi utroſque Sanctum ſæpe dictum recognoſcere fundatorem dotatoremque.

20. Novemb. Simulacra, de quibus jam agere cœpimus, magis magiſque (quod dici ſolet) ad vivum fuerunt, promota & apparata. Navis item Eccleſiæ adornata fuit tapetis artificioſiſſimis, pretioſiſſimis, ampliſſimiſque regali palatio dignis, qualia vix unquam Brugis viſa ubi tamen ea ars textrina à priſcis temporibus hucuſque ſemper floruit, vivaciter exhibentibus vitam Caroli quinti Imperatoris ſemper auguſti fel. recordationis. Primum vivaciter reddebat Carolum Africæ domitorem. 2. Luſitaniæ amatorem.

rem. 3. Civium defensorem. 4. Romanorum Imperatorem. 5. Sui ipsius Triumphatorem; Cujus cum nuper, datâ occasione, Gandavi essem conclave natale in palatio principis cum admiratione, delectatione, & veneratione spectavi.

21. Novemb. Supra Basilicæ nostræ vestibulum ex ramis virentibus confictus est lucus Quercetanus, in quo Iovis simulachrum olim ibidem culti, jussu S. Trudonis, & operâ Quercetanorum ejus sodalium dejectum. Demum super altare sacelli, hoc ipso anno celebrati Jubilei, amplè & magnificè fundati & consummati, Industriâ Adm. R. Dñi Nicolai Abbatis optimè meriti, in honorem Dei Virginis Deiparæ; posita ēst Crux, cujus basis in modum tabernaculi, perspectivo & tornatili opere composita ex testis concharum marinarum, raris, speciosis, pretiosis, & versiciloribus, mira arte & ordine undique dispositis, variaque emblemata exhibentibus, artifice D. Ambrosio Sasboldo Concanonico, ingeniosè concepta & affabrè confecta, innumeros spectatores ad se traxit, detinuitque in admiratione. Denique supra portam anteriorem Cœnobii nostri, quæ respicit plateam Eeck-houtanam

tanam. præfixum eſt ligneum frontiſpicium variis emblematis deauratis & inſigniis Abbatiæ & Abbatis moderni circumornatum, cui non abſimile præfixum eſt ſupra valuas templi continens deauratam hujuſmodi inſcriptionem.

IVBILEVM

Decimi ſæculi primæ fundationis Brugenſis Abbatiæ de Eeck-houte, factæ per SANCTUM TRVDONEM *anno* 650. *Celebratum ipſo feſto ejuſdem* S. TRVDONIS 23. *Novemb.* 1650.

22. Nov. Matutino tempore deſignatus fui, comite adſignato Dño Joſepho Beerblock ad invitandum Senatum Brugenſem, quatenus dignaretur, quod dici ſolet, in corpore, & habitu Senatorio, intereſſe craſtino ſolemni ſacro, annuit Senatus, quo ipſo anno Magiſtratum gerebant, qui ſequuntur.

CONSVL SCABINORVM.	CONSVL COMMVNITATIS.
D. Vincentius Stochoue Toparcha S. Catharinæ.	D. Petrus Adornes, Toparcha de Poelvoorde, &c.
SCABINI.	CONSILIARII.
D. Alphonſus de Gras, Toparcha de Bouchoute.	D. Petrus Sucx.
D. ac Mr. Olivarius Vredius I. C.	D. Gualtherus Triſtram.
D. Gerardus van Volden.	D. Arnoldus de Walle.
	Mr. Ignatius de Muelenaere f. D. Guillelmi.

D. Petrus Soutieu.
Carolus Raepaert
D. ac M. Ioannes de Tollenaere I. C.
D. Ioannes Cloribus.
D. Ioannes Baptista Humbelot.
D. Michael de Valcke.
D. Martinus Bruynsteen.
Franciscus Claysman F. D. Valentini.
Iacobus Scherlinck.
D. Ioannes van Bogaerde.
Iudocus Wouters.
D. Ægidius Ramont.
D. Georgius Saegheman.
D. Carolus Ingelbrecht.
Balduinus L'espé.
D. Antonius Beerblock.
Philippus Blanckaert.

THESAVRARII

D. Georgius Aerts.
D. Ioannes vander Leepe.

HOOFTMANNI.

D. Petrus Lootyns F. Ioannis.
D. Ioannes de Clercq.
D. Adrianus Villegas.
D. Bathasar Claysman.
D. Daniel Pallant.
D. Franciscus de Gooris.

Primæ vesperæ solemnissimè sunt celebratæ, Adm. Rev. Dño Abbate, assistentibus sibi ministris, paratis pluvialibus pretiosis, officiante; similiter & completorium, quo absoluto, quinque tubicines ex nostro campanili tubis, festivissimè buccinare cœperunt, harmoniâ nostrâ campanariâ consonante.

23. Novemb. ipso S. Trudonis festo, ad horas matutinas, circa medium quartæ est pulsatum, quæ solemnissimè organo resonante, sunt decan-

decantatæ. Populi fidelis concursus incœpit, circa quintam. Porrò in frequentissimo auditorio horâ sextâ dicta est prima Missa privata, & subsequenter reliquæ usque ad horam undecimam. Circa horam verò septimam, sedilia decorata tapetis venturo Magistratui sunt præparata, qui adfuit circa medium undecimæ in corpore, ut dicunt, & habitu Senatorio. Tanta autem fuit turmatim accurrentium hominum multitudo ut plebæis à choro arcendis publici vix sufficerent ministri. Summum sacrum maximâ solemnitate celebratum fuit à Rever. Adm. Dño Abbate in Pontificalibus infulis, ipso & sibi assistentibus ministris in panno aureo pretiosissimo effulgentibus, festivissimè Musicis Cathedralibus modulantibus ad organum & musicalia instrumenta, postea liberalitèr remuneratis. Divinum cultum suâ præsentiâ honestârunt Perillustris ac Reverendissimus D. Carolus vanden Bosch Episcopus Brugensis, tunc Decanus Ecclesiæ Cathedralis S. Donatiani; Adm. Rev. D. Henricus vander Zijpe Abbas S. Andreæ prope Brugas, cujus encomium lib. posthumo Aub. Miræi cap. 222. recitatur; perquam Rev. ac nobilis D. Jacobus de Bernemicourt Præpositus Brugensis Ecclesiæ Collegiatæ B. Mariæ, Topar-

Toparcha de Vrevin &c. Rev. adm. D. Chriſtianus vanden Berghe Archidiaconus. Rev. D. Bartholomæus de Crits Cantor. Rev. D. Hubertus Waegenaers Archipræsbyter. Rev. D. Petrus Cortewyle Officialis. Rev. D. Cæſar Nieuburch. Rev. D. Joannes Bapt. vander Zype, Canonici Cathedrales; & cujuſvis ordinis Religioſi, inſuper præter Senatores Brugenſes interfuerunt etiam Conſules & Senatores Franconatenſes, inter quos D. Ludovicus vander Haghen Eques, Dominus de Lembeke &c. D. Iacobus de Velare Dominus de Noortvelt &c. Nobiles denique Matronæ, & promiſcuæ plebis multitudo copioſa. Finito ſacro honeſtiſſimo procænio optimates ſunt excepti, ad bellaria, recitata ſunt duo poëmata feſtiviſſimo verſu explicantia myſterium tantæ lætitiæ compoſita ab Eruditiſſimo ampliſſimoque, Brugenſi Conſule D. Olivario Vredio, ſic habent:

Plaudite Brugenſes, agitur milleſimus annus,
Quo CHRISTI *Brugis eſt ſtabilita Fides.*
Anno Christi 500. *Francorum latè Clodovæus ſceptra gubernans,*
Vixdum ſacrato flumine tinctus erat;
503. *Cum mox* Remigius *'per Belgica rura* Vedaſtum
Cum ſancto ſanctum mittit Eleutherio,

Hi

Hi Fidei ſparſere quidem ſacra ſemina, at illa 510.
Non ſatis exculto delituêre ſolo;
Bella inter natos, Clodovæi morte, ſuborta 515.
Ob regnum, tanti cauſa fuêre mali.
Poſtea Eleutherii reſidens in ſede Medardus 523.
Magnanimâ ſacrum mente reſumpſit opus,
Quindenaſq́; tulit CHRISTI de ſemine meſſes, 530.
Diruta vanorum poſt ſimulacra Deum.
Aſt humeris cum Chlotarius ſublata Medardi 560.
Sacra Suëſſonico condidit oſſa ſolo;
Bello inter Fratres, extincto Patre, renato, 563.
Qui ſacra det Flandris dogmata, nemo fuit.
Alter Chlotarius donec ſubmiſit Amandum, 626.
Liſiacas jungit quà ſibi Scaldis aquas.
Hîc mox cœnobium, templum quoq́; ſtruxit Amandus,
Cui Bavo largas ſuppeditavit opes,
Bavo Hasbanorum ſoboles, de ſanguine Regum,
Quoſ Franco-Auſtraſios indigitare ſolent.
Trudo quoq́; Hasbanus, de ſanguine natus eodem,
Dum multas Brugis dudum habuiſſet opes,
Cum fortè Eligius Tornæi Sede relictâ 647.
Frandriacas viſit, Franca per arva, plagas,
Rumpere congaudet ſimulachra profana Deorum, 648.
Quæ rurſum longis invaluêre moris;

Condere quin etjam passim nova templa, sacrasq;
In variis ædes accumulare locis.
Primam, in Bruganâ statuerunt arce, MARIÆ,
Tum SALVATORI *structa secunda fuit.*
Lucus erat densis è QVERCV *frondibus ater,*
Quò vixdum radiis solis adire datum.
In medio luci Iovis olim stabat imago
Vibrantis dextrâ fulmina dira manu,
Hic dudum fuerant Druydarum sacra peracta,
Queis solis fingunt numina nosse, datum.
Hunc sibi de primis Francis à patre profectum
In CHRISTI *templum vertere* TRVDO *parat;*
Et ne forte iterum retro labentibus annis
Vnquam aliquis CHRISTI *præco deesse queat,*
Cœnobium fundat, quo Franca, & Brugica possit
Christiadum institui prima juventa sacris.
Approbat Eligius *factum, firmatq; sigillo,*
Et loca, quæ restant erudienda, petit.
Interea scola fit CHRISTI TRVDONE *Magistro*
QVERCETVM, *& tantâ relligione viget,*
Vt sibi TRVDO *senex, intra penetralia claustri*
Bis quadragenos viderit esse viros,
Moribus insignes, omni virtute coruscos,
Doctrinâ eximios, eloquioque graves;

Quos

Quos Augustini, *non tantum vivere* CHRISTO

Verum etjam populo, regula sancta jubet.

Ad vetera hinc nunquam Bruga est idola relapsa,

Solaque sunt CHRISTI *culta deinde sacra.*

Festivos igitur victrix age Bruga triumphos,

Cum spolia à victo dæmone opima refers,

Splendida dispositis celebra convivia mensis,

Nec sit tam festâ luce madere, rubor,

Natali gaudeto die, quo, sidere fausto,

Tuque, & posteritas tota renata Deo es.

ALIVD EIVSDEM

AVCTORIS.

A Quercu [a] sumpsit Quercetum nomen,& omen,

Insula Hamadriadum [b] dum locus iste fuit.

Vatibus à Druidis [c] hic postquam tempore multo

Fulmineo fuerant sacra peracta Iovi, [d]

TRVDO *genus ducens Francorum à sanguine Regum,*

Inter opes cujus Quercea *sylva fuit.*

Quercetum *exscidit, delubrum fregit, & ædem*

Constituit, Christo, Cœlitibusque [e] sacram.

Cœnobium adjunxit, quò Brugis mille per annos

Insignes essent relligione viri;

Annuit incœptis Sancti TRVDONIS *olympus,*

Hinc agitur totâ festus in urbe dies;

a Vetus inscriptio Monasterii Eechoutani etjamnũ in insula siti

b Dearum, quæ fingebatur cum quercubus nasci ἅμα cum, δρῦς δρυὸς quercus

c Druydæ. Sacerdotes Sacrificia peragẽtes in lucis querceis. *Plin. lib.* 16. *cap* 44.

d Quercus sacra Iovi.

e *Virg.* D. Bartholomęo.

 Autumnos

Autumnos etenim nunc Phœbus mille peregit,
TRVDO suas in hæc cum sacra vertit opes.
Et quia lux Fidei nova tum Brugensibus orta est,
Hinc tot lucernas utraque turris habet;
Resplendent totis quoque lumina multa plateis,
Illa domus præfert lampadas, illa faces.
Templa coronantur sertis, altaria fumant,
Et redolent sacris thura cremata focis.
Indulgent plerique epulis, & vina bibuntur,
Et choreas ducit femina, virque, canens.
Verum hæc lætitiæ tantum sunt signa potentum,
Et quibus haud modicas sors cumulavit opes.
Pauper ubique jacet, nullo solamine, & expers
Omnis lætitiæ, pauper ubique jacet.
Vidit & indoluit Præsul, cui nomen, & omen
Solari mœstos, *ipseque mœstus ait:*
Siccine TRVDONEM celebrabimus, omnia quondam
Qui bona pauperibus, cœnobiisque[f] *dedit?*
Pauperis & turbæ nos prava oblivio tanget?
Absit id à nostra dedecus æde procul.
Bis sex quadrantum pistorem pinsere panes
Trititio mox è polline mille jubet.
His discurrit ovans urbis per compita, fundens
Pro Te millenas pauper ad astra preces.

[f] Trudonensi in Hasbania, & Brugẽsi Querceta-no, unde orta & Abbatia Monialiũ Brugis, vulgo S. TRVEN.

Sic

Sic faveant precibus Superi, sic gaudia posthac,
In cœlo maneant millia mille Tibi.

Eandem festivitatem Iubilarem Logicalibus suis Thesibus Præside R. P. Iacobo Isenbaert S. I. Philosophiæ Professore Brugensi in universitate Duacenâ propugnatis cohonestavit ingenuus adolescens Franciscus Adrianus van Wissen Harlemiensis, in Epigraphe quâ easdem dedicavit, misericordiæ matri, cujus icon è ligno foyensi in novo sacello Ecclesiæ Quercetanæ colitur, sic præfatus: I*n publico Brugarum gaudio, MISERICORDIÆ MATER, in communi Quercetanæ familiæ jubilo ob primam sui originem & ortum à decem jam sæculis retro-actis, Logica mea venire gestit in partem Iubilei, quod Reverendus Admodum Dominus D. Nicolaus van Troostenberghe, meritissimus ejusdem familiæ Præsul unà cum suis festivo apparatu, ritu sacratiore, solemni omnium aggratulatione in D. Bartholomæi non minus piè instituit, quàm feliciter. Præludere dudum visus fuit, MISERICORDIÆ MATER, cum tibi aram sub hoc titulo magnis impendiis adornavit, muros vastissimos ampliavit, & sacras exercitationes quot Hebdomadibus ad aram tuam celebres esse voluit & fecit. Gratulabunda graphicâ cum tabellâ quantocius ad-*

nolat Logica mea, moræ impatiens longioris, tuis tholis apponenda, ut vel ego absens, adscripto nomine valeam te MISERICORDIÆ MATREM ibi agnoscere, Dominam suspicere & pio animi sensu supplex venerari, ubi simul clares beneficentiæ tuæ symbolis & amore.

Vinum honorarium ab utroque Senatu Brugensi scilicet & Franconatensi liberaliter præsentatum. Et ne pauperibus tanti gaudii aliquod participium deesset, in aliquale eorum solatium distributi sunt mediantibus plumbetis, ut vocant, mille panes, juxta numerum annorum lapsorum à primâ fundatione ad Iubilæum.

Horâ tertiâ promeridianâ magnâ celebritate officium vespertinum est decantatum, quo finito per totum octiduum à diversis Concionatoribus selectis diversæ habitæ sunt conciones in quibus, septem fere notabilia de Querceto declamata.

1. Quercetum olim lucus Iovi sacer tandem Sancti Trudonis ex Francorum Regum prosapiâ progeniti factum patrimonium vulgò Alodium, ejusdem Sancti operâ in Cœnobium conversum anno 650.

2. Quercetum venerabilis Everelmi Anachoretæ

retæ Domicilium, oratorium quondam & mausolæum.

3. Quercetum, S. Bernardi Abbatis Claræ-vallensis quondam hospitium, qui testis adfuit cuidam donationi Ecclesiæ Eeckhoutanæ factæ anno 1146. à Radulpho Castellano Brugensi, qui sicut & omnes alii Brugenses Castellani præcedentes, & succedentes, fuerunt Advocati .i. protectores Ecclesiæ ejusdem; tenor instrumenti istius donationis ad verbum sic habet: *IN NOMINE SANCTÆ AC INDIVIDVÆ TRINITATIS. Ego Radulphus Brugensis Castellanus pro redemptione animæ meæ, quadraginta solidos ex decimâ meâ de Lophout Ecclesiæ S. Bartholomæi apud Eechoud in Brugis contuli, Theodorico Flandrensi Comite, assensum præbente, & sigilli sui impressione confirmante. Testes affuerunt Bernardus Abbas Claræ-vallensis, Robertus Abbas ex Dunis, Lennotthus S. Bertini, Anselmus Dapifer, Eustachius Camerarius, Balduinus Desthuga, Dodinus frater ejus. Actum Brugis, Anno Incarnationis Dominicæ M.C.XLVI. Regnante Ludovico Rege Franciæ, Theodorico Flandriam tenente.* Ex Archivis Eeckhoutanis.

4. Quercetum Illustrissimi Principis Henrici Perchii ex nobilissimo S. Caroli Magni stemmate,

te, Noort-umbriæ Comitis potentissimi, de quo multa Polidorus Virgilius in Historiâ Anglicanâ; quondam per tres menses refugium.

5. Quercetum Domicilium Luberti Haudschilti Abbatis, Illustrissimorũ Principum Ioannis Ducis Bituricensis, Itemque Ioannis Ducis Burgundiæ & Comitis Flandriæ Consiliarii, Prophetæ Belgii, cujus vaticinium ut olim sic nunc & videmus impleri totâ Europâ famosum, cujus demum sepulchrum epigraphe Ænygmaticâ inscriptum frequenter ab exteris visitatur: qui propter doctrinam & morum gravitatem, in Concilio Constantiensi à patribus mitrâ donatus fuit, & sex ex suis Canonicis, partim nostro, partim nostri ordinis cœnobiis aliis, Abbates dedit: quique sodalitium magnatum instituit (qui dicti sunt Confratres nostri ad succurendum) gestabant hi certum numisma ad pectus, dicti sodalitii tesseram. Quos inter fuit Eminentissimus Cardinalis Petrus de Aliaco Episcopus Cameracensis, scriptis Theologicis & Mathematicis clarus, magni Ioannis Gersonis magister, singularis Luberti Quercetani Abbatis mœcenas. Denique Ioannes Archiepiscopus Rigensis. Præterea Ioannes Dux Bituricensis, nec non Henricus

ctus Perchius prænominatus, Noort-umbriæ Comes.

6. Quercetum multorum insignium Abbatum plantarium qui temporibus & rebus difficillimis, pro Brugensibus velut fortia robora steterunt olim, & pro eis legatione functi ad Principes pacem subinde reportarunt, quorum unus instar omnium, Adm. Rev. Dominus D. Antonius de Mil cum laude commemoratus. Plantarium denique tot Religiosorum virorum, qui olim & nunc divino officio reverenter insistentes, & Missæ sacrificio indesinenter operantes populo Brugensi gratis adstiterunt & assistunt, & religione ac eruditione conspicui verbo eundem ædificant & exemplo. Quæ & his majora Religiosi Eeck-houtani non sine verecundiâ audire sunt coacti.

7. Quercetum titulo Abbatiæ Brugensis ut singulari ac sibi propriâ tesserâ vulgò notum, Brugensis urbis insigniis à tempore immemorabili nobilitatum, summorum Pontificum, Regum, aliorumque Principum privilegiis, & donariis auctum, regulari observantiâ virens & Canonicâ professione florens; cujus incolæ gloriantur se ipsius S. Trudonis Confessoris Presbyteri Has-

baniæ principis Alumnos, qui S. Trudo commendatus fuit à generosâ prosapiâ, à pietate in Deum quam à pueritiâ declaravit, in templis & cœnobiis fundandis & dotandis, in Evangelio prædicando, paganismo extirpando, in territorio Brugensi, à mundi contemptu, à liberalitate in pauperes, &c.

Ordo Canonicus laudatus ab antiquitate, à Sanctorum multitudine, à Professorum ejus sanctimoniâ & doctrinâ, ab exercitio Chori, quod piè peractum Angelicum potiùs est quam humanum.

Igitur prima Concio habita est circa horam quartam pomeridianam à Rev. ac Eruditissimo Dño D. Antonio Cabreels Canonico Cathedrali magnâ cum facundiâ & energiâ. Thema, ex Isaiæ 6. *Sicut Quercus quæ expandit ramos suos: semen sanctum erit id, quod stetit in ea.*

Concionem subsecutæ sunt Laudes exposito Augustissimo Sacramento, priùs tamen solemniter decantato Completorio, quibus debitâ cum celebritate expletis, post horam sextam, cœpit pulsus sex nostrarum Campanarum, sibi harmoniacè proportionatarum, tribus distinctis vicibus, expositis lucernis ex campanili, & in viâ quæ ducit

à platea

à plateâ ad ostium templi. Ab horâ septimâ usque ad octavam resonabant campanę omnes omnium Ecclesiarum & Monasteriorum, quæ haud exiguo numero sunt in urbe Brugensi, tanto sonitu ut facilè auditus sit à Dammensibus & ulterioribus opidanis. Interea accensi sunt ignes triumphales in utroque ponte Eeckhoutano & per totam plateam Eeckhoutanam. Itemque in ponte B. Marię, ante Cœnobium Monialium Trudonissarum; ante Nosocomium B. M. Magdalenæ: Denique per vicum vulgò Diveriam, & per totā ferè viciniam, Abbatiam Eeckhoutanam circundantem. Ante portam verò ipsius Abbatiæ, ubi præcipuè focus triumphalis fulgebat, & populus turmatim se premebat, quædam opera pyria ex pulvere tormentario artificiosè compacta, suo spectaculo tumultuantis plebis frequentiam recreabant. Insuper quinque Tubicines, nunc è turri templi, nunc ante portam Cœnobii, nunc alibi in viciniâ festivissimè concrepabant. Circa horam octavam in coronâ altissimæ turris Ecclesiæ Collegiatæ B. Mariæ, quæ per aliquot milliaria in Oceano, & ipsis Zelandis se spectandum præbet, diadematis in modum circumpositæ, accensæ sunt lucernæ, prout & in phalis civicis in quibus per quinque di-

ſtinctos ordines circumcirca diſpoſitæ lucernæ & lampades piceæ, quaſi aſtra in cœlo relucebant; jucundo ſpectaculo non ſolum civibus Brugenſibus, verùm etiam propinquioribus opidanis, ſed & campana maxima triumphalis ab octavâ ad nonam uſque reſonabat, harmoniâ campanariâ conſonante, & communi gaudio Senatu, populóque Brugenſi exultante prout in publicâ lætitiâ fieri conſuevit pro victoriâ vel pace obtentâ, jubilante, & Religioſis Canonicis Eeckhoutanis congratulante.

24. Nov. Deputatus fui adjuncto Comite D. Iudoco Inbona Concanonico, ut nomine Adm. Rev. Dñi Præſulis Eeckhoutani ejuſque *Religioſorum*, Capitulo Cathedrali pro honore exhibito per pulſum campanarium grates haberem, & ab eodem poſtularem dentem *S.* Trudonis in Catalogo Reliquiarum quem piæ memoriæ *Rev.* Dominus Ioannes Iacobs publicabat, erat conſignatus. Reſponſum datum, priùs de eo faciendam inquiſitionem, & poſteà dandam reſolutionem.

Item Adm. Rev. Dñs Archimandria Miſſarum ſolemnia celebravit: reſonante plenâ muſicâ tam vocali quam inſtrumentali, prout etiam in *Veſperis* circa horam tertiam decantatis, Completorio,

 & Lau-

& Laudibus de *Venerabili*. Post vespertinum officium habita est docta & pia Concio de notâ Ecclesiæ, antiquitate scilicet, de laudibus S. Trudonis & Monasterii Eeckhoutani ab eo fundati, per Rev. Dñm Hugonem de Werchein quondam Ecclesiæ S. Salvatoris tunc Xenodochii S. Ioannis pastorem Thema. *Mille anni ante oculos tuos*. Psalm. 89.

25. Novemb. Summum Sacrum itidem solemni ritu factum fuit, à plurimum Venerando Dño Cœnabiarchâ ad medium undecimæ, cui intersonantibus instrumentis, plena musica consonabat, similiter in Vesperis & Completorio ac Laudibus cum expositione *Venerabis*. Circa quartam pomeridianam dictus est Sermo à Rev. Patre Seraphino Capucino. Thema ex *Psal*. 111. *In memoria æterna erit Iustus, ab auditione mala non timebit: potens in terra erit semen ejus, generatio rectorum benedicetur*.

26. Novemb. Hora septima matutinâ, eo quod esset dies sabbathivus, more majorum assistentibus Diacono & subdiacono, in frequentiâ populi, decantatum est Sacrum in honorem Deiparę Virginis, ad organum musicè modulantibus Religiosis: summum denique sacrum consuetâ celebrita-

te peractum ab Antistite plurimū colendo, quod suâ præsentiâ cohonestavit nobilis Domina uxor Marchionis Strossi. Item generosus Baro Ioannes Baptista Camargo Gubernator Dammensis cum Conjuge. Inter Vesperas & Completorium cum Laudibus subsecutis consuetâ solemnitate & musicâ decantatis, Concionem habuit Rev. Pater Marcus Capucinus. Thema *Lampas contempta apud cogitationes divitum.* Iob 12.

27. Novemb. ratione dominicæ primæ adventûs, cantavimus unam Missam de eâdem; alteram de S. Trudone, cui Præsul perquam Reverendus operatus est adsonante solemni musicá, interfuerunt generosa Marchionissa Strossi, cum matre nobilissimâ, itemque vidua illustris Baronis Maleani, nec non promiscuum vulgus frequentissimum. Post vesperas solitâ solemnitate absolutas celebrem concionem habuit Rever. Dominus Joannes vander Stael Clivius Parochus B. Mariæ portionis, ut vocant, argenteæ. Thema: *Et folium ejus non defluet.* Psal. 1. auditorium adeò fuit copiosum, ut ei capiendo non sufficeret Basilica, quantumvis hoc anno spacioso & magnifico adaucta sacello, homines qui foris erant intrare, qui verò intus, exire nequibant, quorum

non

non modicus se comprimentium exortus est tumultus. Subsecutum est Completorium & laudes solemnes.

28. Novemb. Legatione functus sum ad Capitulum Cathedrale Brugense comitante Domino Iudoco Inbonà Concanonico, auditurus resolutionem dicti Capituli circa supplicationem nostram nuper factam pro dente S. Trudonis, quem nobis addixit Reverendissimus Dominus Decanus cum suo Capitulo, si adhuc superstes inter Reliquias repeeiretur.

Itidem horâ consuetâ, festivissimo ritu summum sacrum perfecit venerandus Abbas cum solitâ symphoniâ, quod honoratum plurimarum primariarum personarum præsentiâ quarum Rhedæ expectabant ante fores templi: vesperæ peractæ sunt adhibitis cæremoniis solitis, quas subsecuta est concio præsente honesto auditorio, quam dixit Rev. Pater David Capucinus. Thema: *Ecce Sacerdos magnus, qui in vitâ suâ suffulsit domum, & in diebus suis corroboravit templum.* Eccl. 50.

29. Novemb. præparata sunt ea quæ videbantur, necessaria crastinæ supplicationi, adornatum tabernaculum herbis odoriferis deargentatis, gestandum à duobus Religiosis Canonicis super feretrum

retrum subserviens sacrosanctis Lipsanis S. Trudonis deferendis. Missarum solemniis perfunctus est, Pontificiis infulis indutus Prælatus perquam venerandus, non defuit musica consueta. A prandio post *Magnificat* celebri decantatum symphoniâ, sermo dictus est à Rev. Patre Balduino Cattenbroucq Capucino Guardiano Conventûs Brugensis. Thema: *Quid videbis in Sunamite, nisi choros castrorum*. Cant. 6. quod apposité applicatum præcipuè Canonicorum Regul. chorum tenentium functioni, in quo die ac nocte, divini officii resonant laudes; quorum denique alterum munus bellum vitiis indicere. Demum multa dicta in Canonici ordinis commendationem. Concione finitâ circa quintam vespertinam incœptum completorium, quo absoluto, musicè resonabant laudes de *Venerabili* prout præcedentibus diebus.

30. Novemb. die octavâ quæ incidit in festum S. Andreæ Apostoli, à mane in vesperum tanta fuit populi catervatim concurrentis frequentia, præsertim in maximo sacro, vespertino officio, Concione, Completorio, & Laudibus, ut eam templum non caperet, plurimis foris remanere coactis. Circa septimam Matutinam per duos Religiosos Canonicos allatæ sunt supra feretrum

Vene-

Venerabilis Reliquiæ S. Trudonis, inclusæ Lipsano-thecæ argenteæ, quam decorabat tabernaculum palmis pulcherrimè deargentatis condecoratum, & expositæ fidelis populi venerationi, adhibito lumine, in Chori medio. Sacrum præcipuum magnificentissimè concelebratum ab Amplissimo Domino Præsule, assistentibus illi solitis ministris, Diacono, Sub-diacono, Presbytero à libro, alio à mitrâ, tertio à pedo, duobus Cantoribus cum scipionibus argenteis, omnibus circumcirca dictum Amplissimum Dominum Pontificiis infulis eminentem in panno aureo vel argenteo pretioso, magnificè fulgentibus. Musicorum duo fuerunt Chori, vocalium unus, instrumentalium alter. Post celeberrimum sacrum, decantatâ nonâ, instituta est supplicatio hoc ferè ritu & ordine. More solito præcedebat crucifer medius inter duos ceroferarios; secuti sunt tediferi Laici copioso numero; deinde Canonicorum Eechoutanorum faces gestantium, & hymnos cantantium ad directionem prędictorum duorum DD. Cantorum chorus. Postea duo Seniores Canonici Eechoutani, pluvialibus holosericis speciosis induti supra feretrum veneranda S. Trudonis Lipsana deferebant; inter complu-

res pulchellos pueros habitu Angelico personatos tedis itidem instructos ab utroque latere gradientes, postmodùm pane albo sigillatim remuneratos, subsecutus est tandem Amplissimus Dominus celebrans pretiosissimo magnificentissimoque pluviali inter fulgentes suos ministros effulgens, Augustissimum Sacramentum corporis Christi deferens sub Baldachino, musicis instrumentalibus proximè præcedentibus, & festivissimè modulantibus. Sequentis populi cujusque sexûs & ordinis innumerabilis multitudo. Processum ex Cœnobio Eechoutano clangentibus tubicinibus ad portam, per plateam Eechoutanam, forum frumentarium, vicum vulgò angulum rusticanum, retrò conventum fratrum minorum Recollectorum, quæ loca omnia pulcherrimè fuerunt adornata, tapetibus, pannis versicoloribus, sayetis variegatis, picturis, & aliis cimmeliis, & supernè decussata, funibus virente palmâ circumdatis. Tandem approximatum oratorio Dominarum Trudonissarum, quarum Patres reverendi bini pretiosis pluvialibus amicti incensantes obviam venerunt; mox oratorium ipsum festivissimè præparatum, ingressus Chorus Dominorum Canonicorum Eeck-houtanorum, posito *Ve-*

nerabili ſuper altari, & S. Trudonis Reliquiis ſuper menſulâ nitidè comptâ quieſcentibus cecinit Antiphonam: *O ſacrum convivium. &c Similabo eum. &c.* Sanctimonialiũ Choro ad crates Religiosè ſpectante & tantam celebritatem admirante, Laicis verò tediferis cum ſubſecuto populo foris remanentibus; & Auſcultantibus adoleſcentem recitantem Flandrico idiomate compoſitũ Rythmum myſterium tantæ ſolemnitatis exponentem. Finitis Antiphonis verſibus & collectis de *Venerabili*, & S. Confeſſore Trudone datâ benedictione ſolemni, Cantoribus incipientibus Hymnum *Te Deum laudamus*, & Choro proſequente receſſum eſt præter Noſocomium B. M. Magdalenæ trans parvum pontem Eeckhoutanum, & ſic perventum ad Eccleſiam Eeckhoutanam, ubi iterum datâ per Adm. Rev. Dñm Sacramentali benedictione, ſupplicatio eſt completa.

Circa tertiam pomeridianam more conſueto, officiante Rev. Adm. Abbate ſolemniſſimo cultu Veſperæ ſunt decantatæ, quibus perſolutis in frequentiſſimo auditorio habita eſt concio regratiatoria, perorante Rev. Dño Adriano van Cattenbroucq Con-canonico noſtro, cum totius auditorii applauſu. Thema. *Benedicite Deum Cœli, &*

coram omnibus viventibus confitemini illi, quia fecit nobiscum misericordiam suam, Thobiæ 12. In ea explicatæ rationes celebrati Jubilæi, Grates dictę, primò Deo Opt. Max. Deinde Senatui populoque Brugensi pro ostensa Religione per totum octiduum, & reciproca oblata servitia à nobis pręstanda, urgente necessitate, & in defectu Parochorum ac Religiosorum mendicantium, qui quasi recentiores milites, Canonicis Reg. veteranis jam quasi factis præsidiariis, in officio curæ proximi successerunt & populi fidelis saluti vel infidelium conversioni ex professo invigilant, dum illi pro statu suo moderno, divinis laudibus jugiter, magis occupantur. Fulminatum contra hodiernos Hæreticos, novos quidem & Novatores, occasione antiquissimæ fundationis jam à mille annis factæ à S. Trudone Confessore, presbytero Religiosissimo & Principe Generosissimo, in confusionem sectariorum vicinorum nuperorum illorum, qui templa & Monasteria (quæ cane peiùs & angue oderunt) Catholicorum deturbant, qui Sacerdotium contemnunt, Sacramenta conculcant, verbum Dei adulterant, & sacra omnia profanant: Quâ finitâ, ad organum musicè decantatum Completorium, subsecutæ Laudes celeber-

rimæ

rimæ expoſito auguſtiſſimo Corporis Chriſti Sacramento, agente plurimùm Venerando Præſule, pontificiis ornamentis amicto, aſſiſtentibus ſibi conſuetis miniſtris pluvialibus aureis fulgidis inter copioſa luminaria, in Choro, navi Eccleſiæ & alibi radiãtia: capiendo omnis ſexus & ordinis populo baſilica non ſufficiebat. Pietatem præcipuam oſtendit nobilis Domina uxor Marchionis Stroſſi pro tempore Gubernatoris noſtri, cum Matre nobiliſſimâ & aliis primariis perſonis, quæ quotidie ferè divinum Officium ſuâ præſentiâ cohoneſtavit. Laudibus ad finem perductis, plebe recedente, & expoſito igne triumphali ex turri vicini noſtri D. Matthæi de Tolenaere viri Senatorii, tubicines in campanili noſtro inter exſtantes lucernas feſtivè ſunt modulati, & ſex noſtræ campanæ harmoniacæ, more per totum octiduum obſervato, perſonuerunt atque ita conſummatum eſt Jubileum cum honore, ad majorem Dei, & S. Confeſſoris ejus Fundatoris noſtri Trudonis gloriam. Nullo in tanto populi ſe comprimentis infortunio, niſi quod nonnullis minùs cautis vel felicibus furtivè præciſæ ſint crumenæ. Sic ferè ſemper mala vicina bonis, & ut S. Hieronymus ait, epiſtolâ ad Ruſticum: *In omni conditione &*

gradu optimis mixta sunt pessima.

1. Decemb. Solvi cœpti sunt sumptus qui, haud modici facti sunt in descripti cultu Iubilæi, & operarii prandio excepti.

2. Decemb. Concionatores octo qui durante octiduo per vices declamaverant honesto convivio sunt recreati. Inscriptiones aureæ, quæ supra anteriorem cœnobii partem & valuas templi totâ octavâ prostiterant, ad perpetuam rei memoriam, translatæ sunt in majorem aulam Conventus & ibidem stabilitæ.

Quod reliquum est: tempore descripti Iubilæi anno 1650. in vivis degebant, sub Adm. R. in Christo Patre Amplissimoque Dño D. Nicolao van Trooftenberghe Abbate-Brugensi-Eeckhoutano, annum vigesimum septimum in Abbatiali dignitate agente

Rev. Dominus Alexander de Muliers Prior.

D. *Franciscus Bone Meetkercke Ecclesiæ nostri patronatus Pastor.*

D. *Paulus de Buyre Senior domus.*

D. *Cornelius Bartholomæi Lector.*

D. *Adrianus van Cattenbroucq Concionator.*

D. *Iudocus Inbona OEconomus.*

D. *Bernardus Isenbaert Cantor.*

D. *Petrus*

D. Petrus Steenlant Theſaurarius.
D. Auguſtinus Blomme Sacellanus Abbatis.
D. Ambroſius Sasboldus.
D. Iacobus Peerman.
D. Ioſephus Beerblock.
D. Proſper de Vinck.
D. Robertus de la Fontaine.
D. Philippus Iennyn,
D. Guilielmus vande Walle & prænotati omnes Sa-dotes.
D. Franciſcus Steenlant.
D. Thomas Cereſo.
D. Ioannes Loock, hi tres Diaconi, in fine tamen hujus ejuſdem anni ad Sacerdotium promoti.
D. Nicolaus Rylant Subdiaconus, ante finem hujus anni Diaconus ordinatus.
F. Alexius de Necker converſus.
Mr. Iacobus Pollet Organiſta.
Ioannes le Blan Baillivus Templi & Ianitor.

Celebrati Jubilæi Eeckhoutani noſtri pompam quam pro mea tenuitate ſolutæ orationis penicillo huc-uſque pingebam: ſequenti eleganti poëmate doctiſſimo ſuo operi poëtico Mariano inſerendo, pangebat R. & Eruditus D. Ioannes de la Salle Paſtor in Schore noſtratiũ flos Poëtarum.

Quid

Quid video? cur tanta tibi devotio Bruga,
Trudonis festum commemorando diem?
Cur millesimus hic & sexcentesimus annus
Cum decies quinto, tanto in honore tibi est?
Cur Eeckhoutanam populus quasi pulsus ad ædem
Hîc litat æterno tam pia vota Deo?
Cur oblatus ei tam multus cereus ardet?
Cur tibi tam lætis organa pulsa sonis?
Tam nova cur totum stupefecit musica templum?
Omnia cur festi triplicis acta modo?
Cur confeßio? cur tanta hæc communio? tanta
Cur isto festo concio facta fuit?
Cur & in octavam sese devotio tanta
Proripiens, cœlo tot nova corda parit?
Cur tot ab aulæis, ramis & imagine pulchra?
Hæc domus ornatum deforis, intus habet?
Brugarum totis cur talia gaudia muris?
Vrbe patens tantâ jubilus unde venit?
Vnde tot in vestrâ, cives sunt lumina turri?
Cur mediâ tantos detego nocte rogos?
Vnde tot ante fores vestras cum plausibus ignes?
Cur vorat accensas sic sacra flamma pices?
Audio campanas totâ simul urbe tonantes,
Lætitiæ rarum significare genus.

Aspicio

Aspicio totâque leves hac nocte choreas,
Quas ciet in vico femina, virque suo.
Innumeris plateis pueros, & cerno puellas
Ludere, ad accensos corpore, voce focos.
Intueor subitas ascendere in aëra flammas,
Quas accensa levi pulvere massa facit.
Et facit obscuris terrores nubibus, omnem
Vrbis & aspectam nocte dat esse domum;
Percipio noctemque tubâ, & testudine lætam,
Vtque sonet multâ musa sonora domo.
Ante fores Eeckhouta tuas, tibicine docto
Freta scatet nimiis ista platea jocis.
Nec solis sunt divitibus festi hujus oborta
Gaudia: lætitiam tunc quoque pauper habet.
Cæcus habet mutusque, manus habet inops & auris,
Orphanus, & viduo femina mæsta tore.
Pauperibus sic consuluit meritissimus Abbas,
Iusserit ut panum millia distribui.
Sic populus, sic clerus, egens divesque triumphat,
Lætitiis festo TRVDO sacrate tuo.
Penna, metro tanti titulum depinge triumphi
Quercetanæ & eris magnus Apollo domus.
O pietas! ô sancta fides antiqua! vocetur
Roma, sonans Brugis jubilus ille tuus,

Iure tuus! ſubdit tibi ſe pia filia matri
Quidque ligas, ſolvis ſolvit & illa ligat!
Imo tuus! tu quod proprio tibi credidit ore
Petrus Evangelium nobile, ſemper habes!
Semper habes! & habebis in omnia ſæcula! portæ
In te nempe ſtygis nil ſibi juris habent!
Si poſſent habuiſſe; diu te, Roma, dediſſent
Vt viduam muris, ſic viduamque viris
Id toties & Turca potens molitus Arabſque
Omnis & hæretici dogmatis atra ſchola!
Sed tecum ſeſe eſſe Deus qui voce ſpopondit;
Arcuit à portis iſta venena tuis!
Ter fatuos Luthere tibi, Calvine ſalutem
Qui tibi conſtituunt pectora vana ſuam!
Incipitis vafroque fides exſugitis ungue,
Quas vos ante potens credere nemo fuit!
Nemo fuit qui vos docuit ſic ante! ſuſurri
Sunt Sathanæ binæ hæ, turpia monſtra, fides!
Vix numerat centum bina hæc inſania meſſes
Et tot habet miſeros iſta ruina procos!
Natus ego infauſto ſæclo, quo peſtibus iſtis
Obruta, vix aberat, Belgica Nympha fuit!
Heu! per quot pagos, & per quot regna, per urbes
Iſta cacangelii ſparſa libido fuit!

Bruga sali, lætare, sona, bibe, plaude, triumpha,
Cur nunc in Domino sic recreeris habes!
En quod Cœnobium complecteris Eechoutanum,
Hoc tibi structum annis dicere mille *potes.*
Millenis paganismo nunc libera ab annis
Inseruis verò sponso sacrata Deo!
Mille domus sacræ segetes hîc præfuit Abbas
Mille vovent annos, hîc tria vota viri!
Mille Sacerdotes annis hîc sacra celebrant,
Pontifici parent & sacra Roma, tuo!
Mille Dei coluit Genitricem hæc vinea Messes,
Et sacra tot soles Bartholomæe tibi est.
Sunt & adhuc veneranda tibi hæc ô inclyta Bruga,
Et tibi in egregio est sanctus honore cruor!
Est tibi millenos persuasa MARIA per annos
Non satis ornari munere, voce potest!
Perge Dei laudem cœlique merebere regnum
Hæc animæ nostræ per quasi fulcra *duo!*
O! bene Quercetum domus hæc sacrata vocere!
Vera tot hîc annis floruit una fides!
Floruit & Quercu quoque fortior, exspuit omnes
Hæreseos, domino suppeditante, dolos!
Quot verò Cœlis missas ex te hortule Quercus
Hactenus! hinc quantis patria læta viris!

Et quas non nardos, narcissos, lilia, Calthas,
Balsama pergenuit hortulus iste rosas!
Respicio! te plantavit, te nempe rigavit
Plena poli succo, numine plena manus!
Inde Comes TRVDO est, electus Eligius inde
Qui tibi Romanum constituêre jugum!
Qui castum, docuere pium te vivere, jussa
Omnia præpositi solvere teque tui!
Te mundo debere mori, si vivere Cælo
Expetis, & carnis pellere tela cupis!
Et superûm vim regna pati, crucis atque sequelâ
Cum fame, cumque siti, frigoribusque rapi!
Hæc felix Eechouta facis, quam dirigit Abbas
Qui quæ jussa legit voce, reapse facit!
Presbtyeri facitis! num sit paradysus, an unum
Cænobium, mihi mens fluctuat, ista domus.
Filioli certè dociles! jam TRVDO per annos
Mille fuit vester Syndicus, atque Pater,
Et sedet illius memori sententia mente,
Ac velut ante unum sit recitata diem!
Pergite; TRVDONIS si verba & facta tenetis
Lætitiæ socios vos quoque scribo suæ.

Iubilus

IVBILVS EVCHARISTICVS
ET
HYMNVS IUBILÆVS

Quo antiqua domus Eeckboutana

DEO OPT. MAX.

Gratias agit pro acceptis hactenus beneficiis præsertim sub regimine viginti quinque annorum Adm. Rev. Patris ac Domini D. NICOLAI VAN TROOSTENBERGHE Abbatis sui de se suisque optimè meriti.

Iubilate Deo omnis terra servite Domino in lætitia *Psalmo 99.*

Anno Domini M.DC.XLIX. ipso S. Virg. Mart. Agnetis festo.

Prisca domus Eechoutana
Intra Mœnia Brugana,
Quæ nunc dudum habito,
Sancto olim à Trudone
Principe & Marchione
Veteris Hasbaniæ:
Generosum ducens stemma,
Honoravi velut gemma,
Caput ejus inclytum.
In Brugensi agro nata
Sancto Genitore sata
Sanctitate florui.

Ad Brugense suburbanum,
Fundum vulgò Eechoutanum
Remigrare placuit
Everelmi Sanctitate
Tracta, atq; claritate
Tanti Eremicolæ,
Qui duodecim hic annis,
In Anachoretæ pannis
Domino servierat:
Annus fere qui sexentis
Tumbâ suâ mea gentis
Famam longè protulit.

Comitis Theodorici,
Postmodum affectum vici,
Vt me manumitteret,
Amplius nec jam servirem
Vt vivarium transirem
Verum in Dominium
Liberum Canonicorum
Regularium dictorum
Augustini Præsulis.
Sancto postmodum Bernardo
Qui Clarevallensis Cardo
Præbui hospitium,
A quo benedicta crevi
Sobolemque multam sevi
Asperante numine.
Dedi plurimos Abbates,
Quos Ecclesiæ Primates,
Exornarunt Baculo.
Accesserunt & favores
Sæcli Principum, honores
Qui auxerunt largiter.
Stephanus tunc Tornacensis
Atq; Milo Morinensis
Veteres Episcopi,
Famâ bonâ excitati
Quibus fuimus dotati
Contulerunt decimas.
Binsfius ast Andræanus
Pontifex, Antesignanus
Scoticæ Ecclesiæ,
Quondam me sit diligebat,
Nempe quando eligebat
Apud me quiescere,
Tuba mirum spargens sonum
Coget omnes ante thronum,
donec simul sistere.
Tandem tempore labente,
Sancto Spiritu volente,
Magis me provehere:
Prodiit Lubertus Ille
Haudschilt, unus inter mille
Flamine Prophetico
Inspiratus, qui prædixit
Tabulâ, quam in me fixit
Mala, quæ nunc cernimus:
Cujus prophetiæ fama
Clamat, quasi vox in Rhama
Per Europam eminus
Hic Ioannem tunc Burgundũ
Ducem, & non injucundum
Flandriæ tunc Comitem,
Ducem & Byturicensem
Sic Ioannem, non per mensem
Docuit consilia.
Perchium & is Henricum,
Anglus quem ut inimicum,
Comitem Noort-umbriæ
Effugarat, perbenignè
Ardens charitatis igne,
Tenuit hospitio.
Fuit in Constantiensi
Synodo, Aliacensi

Petro

Petro factus intimus
Ob mathesim & virtutem
Adeo, ut inde putem
Auctum mytrâ reducem.
Multos transeo Prælatos,
Mihi cælitus donatos,
Nam ad unum propero
Nicolaum Troostenberghe
(Mihi Musa labrum terge
Nomen dum pronuncio)
In quo mihi consolamen
Monte, fuit & levamen,
Quo in altum surgerem,
Pro quo Deo ago grates
Qui post bonos tot Abbates
Licet sit novissimus,
Primum tamen in tiarâ
Post Lubertum esse rarâ
Vult Vrbanus Pontifex.
Huic deus annos quinque
Et viginti dedit, linque
Parca, eum vivere,
In Abbatiali pedo
Annos multos, nam sic credo
Est decretum numinis.
Sancta virgo martyr Agnes
Quam divinus traxit magnes
Iubilaum numerum
Sicut cœpit, sic finivit
Hodiernâ cum redivit
Ad nos solis Orbita.
Adiuva nos jubilare
Deo laudes decantare
Virgo Martyr inclyta.
Sumus insufficientes
Deo nam convenentes
Laudes, gratis solvere,
Pro tot in nos Dei donis
Tot annorum in coronis,
Per hunc datum cælitus
Qui in primis reformavit
Et ad normam conquadravit
Præsulis Aurelii
Mores nostros, ut sic tota
Servarentur tria vota,
Iure ante omnia
Vt floreret Dei cultus
In me, fuit ille multus,
Viveret Religio.
Hinc & is Canonicorum
Auxit numerum suorum
Duplicato fenore,
Largam benedictionem
Tantam per provisionem
Aspirante numine,
Qui ad Organum sonorum
Musicum teneret chorum
Diu noctu jugiter
Tempore ut matutino
Missas, sic & vespertino
Laudes semper agerent.
Ad quas per campanas senas

Plebs

Plebs Brugensis tracta plenas
consequatur gratias.
Totus chorus fulget auro,
Et sacrarium thesauro
Dives est argenteo.
Pulchra sunt & ornamenta
Acupicta quæ talenta
Constitisse diceres.
Cuncta hæc per istum virum
Dedit Deus, id quod mirum
Sæpe visum æmulis.
Tandem post religionem,
Esse eruditionem,
In me idem voluit.
Hinc salubriter statutum
Vt Theologiæ tutum
Esset hic Gymnasium;
Quo ab otio remoti
Studiis intenti toti,
Essent Dei famuli.
Quando vacant à divinis
Laudibus, est datus finis
Calicis officiis.
Sunt hinc Concionatores
Sunt hinc denique Pastores
More, ore strenui.
Sunt qui scribũt libros doctos
Quos cum tempore percoctos
Sapiet posteritas.
Est qui novit idioma
Habræorum quo est gnoma
Tradita Syrachica.
Vnus facit Chartabellas
Iuxta Rituum pagellas
Magno Cleri commodo.
Alter facit Rithmos bonos
Flandricos latinos tonos
Servans arte metrica.
Transfert tertius libellos,
Quibus animos novellos
formet atque moveat.
In officio divino
Sunt qui ludunt violino
Organo & Barbito.
Insuper & florent artes,
Tales quas mirantur partes,
quæ hinc longe dissita.
Ex materia marina,
De qua quasi genuina,
Fiunt peristromata.
Nec hic desunt qui ex ære
Instrumenta parant verè
Arte Mathematica.
Astrolabia quadrantes
Annulos & circinantes
Mira horologia.
Minabantur ipsa tecta
Quæ ruinam, sunt refecta
Hujus & industriâ.
Ipsum Chori pavimentum
Marmor sternit, ornamentũ
Quod & Refectorii.

Sed

Sed & pars Abbatialis
tota nova, quæ & qualis,
Quanta sit, conspicitur.
Quin & novum molendinum
Est equinum, ut pistrinum
Novum braxatorium.
Sacramenti & sacellum
Venerabilis, perbellum
Fere hic omiseram,
In quo semper ardet lumen,
Prout tantum petit numen
Intra muros aureos,
Novum quod à fundamentis
Est extructum hujus mentis,
Erit hoc Mnemosynon,
Opera sunt hujus Abbæ
Hæc ab intra, sancto Sabbæ
Iure Comparabilis;
Sed ad extra properemus
Atque sedulo lustremus
Et ejusdem fabricam.
Villæ multæ reparatæ
Ab eodem quæ prostratæ
Ævo, bello fuerant;
Imo aliquæ de novo
Atque veluti ab ovo
Hoc parente natæ sunt.
Sunt & Ruri spaciosa,
Novis plantis speciosa
Consita pomaria,
Quæ propitiâ Bellonâ
Multa poma, pyra bona,
Suo dabunt tempore.
Nullum propter hæc gravamē
Sensit, contra sed levamen
Claustrum in redditibus.
Hæc sunt opera præclara
Multa, pulchra, mira, rara
Vnius Antistitis
Per viginti quinque soles,
quibus rexit, tanta moles
Et surrexit altius,
Montis Consolationis
Verè digni cæli thronis;
Verum nobis opus est,
Multos adhuc annos regat,
Et nobiscum sanus degat,
Lætus & incolumis.
Hæc sunt magna Dei dona
Cujus dextera tam prona,
Ad hæc beneficia,
Super caput Nicolaï
Trooſtenberghe *in aulaï*
Quercetanæ medio:
A quo universum datum
Optimum descendit gratum
Numini, efficiens;
Cui uni trino Deo,
In hoc sacro Iubilæo
Sit æterna gloria.
Qua ut semper perfruatur,
Qui nunc jubilat precatur

Abbas cum familiâ.
Sanctâ Martyre Agnete
Inveniente latè,
Cunctis cum cælicolis:
Et in his Bartholomæo,
Augustino atque meo,
NICOLAO *Præsule.*
Quorum hactenus favore,
In vigore atque flore,
Eccheout dudum constiti
Sub regimine Prælati,
Tot jam annis præservati
Mortis ab interitu.
Singulari Dei dono,
Magno quoque mei bono,
Vt totius Ordinis,
Quare soli Trinitati
Iterum sint Hymni dati
Nunc & in perpetuum.

C. B.



A

B

C

D

E

F

Tru-

Imprimatur, ut ex hoc magis resplendeat titulus Iubilei millenarii.

C. vanden Berghe, Archidiaconus Brugensis, L. C.